LEGATORIA
ANISPERNA 222-A

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/cursustheologiem0034canj

P. 531

CURSUS
THEOLOGIÆ MORALIS

CURSUS

Theologiæ Moralis

ad usum Scholarum Theologicarum

AUCTORE

Can. J. B. PIGHI S. Theol. Doct.

ANTISTITE URBANO

Editio quarta

in nonnullis emendata - in pluribus aucta

LIBER TERTIUS

DE PRÆCEPTIS

ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
P625
Alma, California

VERONÆ
SORORES CINQUETTI FILIÆ FELICIS
Bibliopolæ Editoris Pontificii
In Via « Croce Verde » N. 6
MCMXXVI
PRINTED IN ITALY

1458

Veronæ, Typogr. M. Bettinelli

INDEX

DE PRÆCEPTIS

Tractatus Primus

De præceptis decalogi	Pag.	1
De primo præcepto	»	2
Cap. I. De virtute religionis et ejus actibus	»	»
Art. I. De devotione	»	»
Art. II. De oratione	»	3
Art. III. De adoratione	»	6
Art. IV. De sacrificio et oblatione	»	7
Art. V. De voto	»	8
§ I. De essentia voti ejusque obligatione	»	»
§ II. De cessatione obbligationis voti	»	12
Punct. I. De cessatione voti ex se	»	»
Punct. II. De voti commutatione	»	13
Punct. III. De irritatione	»	14
Punct. IV. De dispensatione	»	15
Art. VI. De jurejurando	»	17
§ I. De requisitis ad validum et licitum juramentum	»	18
§ II. De efficacia jurisjurandi promissorii	»	21
Art. VII. De adjuratione	»	23
Art. VIII. De laude Dei	»	»
Cau. II. De peccatis religioni oppositis per excessum	»	24
Art. I. De cultu veri Dei indebito	»	»
Art. II. De cultu divino exhibito creaturæ	»	»
§ I. De idolatria	»	»
§ II. De superstitione stricto sensu accepta	»	25
Punct. I. De superstitionibus antiquis	»	27
Punct. II. De superstitionibus recentibus	»	28
Cap. III. De peccatis religioni oppositis per defectum	»	31
Art. I. De tentatione Dei	»	32
Art. II. De sacrilegio	Pag.	33
Art. III. De simonia	»	36
§ I. De essentia simoniæ	»	37
§ II. De reatu simoniæ	»	38
§ III. De pœnis contra simoniacos	»	41
De secundo præcepto	»	42
Cap. I. De blasphemia	»	»
Cap. II. De vana usurpatione nominis Dei	»	47
De tertio præcepto	»	48
Cap. I. De objecto et subjecto hujus præcepti	»	49
Cap. II. De parte negativa hujus præcepti	»	51
Art. I. De operibus vetitis	»	»
Art. II. De causis quibus licere possunt servilia	»	53
Cap. III. De parte affirmativa hujus præcepti	»	55
Art. I. De auditione Missæ	»	»
Art. II. De causis excusantibus a Missa audienda	»	58
De quarto præcepto	»	60
Cap. I. De officiis filiorum erga parentes	»	»
Art. I. De amore parentibus debito	»	61
Art. II. De reverentia debita parentibus	»	62
Art. III. De obedientia parentibus debita	»	»
Cap. II. De officiis parentum erga filios	»	64
Art. I. De amore filiis debito	»	»
Art. II. De educatione corporali	»	65
Art. III. De educatione spirituali	»	66
Cap. III. De mutuis officiis conjugum	»	68
Cap. IV. De officiis famulorum et opificum	»	69
Cap. V. De officiis domino-		

rum erga famulos et operarios Pag. 71
Cap. VI. De officiis superiorum civilium » »
Cap. VII. De officiis civium erga superiores civiles » 73
De quinto præcepto » 77
Cap. I. De occisione sui ipsius » »
Cap. II. De occisione delinquentis » 79
Cap. III. De occisione aggressoris » 80
Cap. IV. De occisione innocentis » 83
Cap. V. De duello » 88
De sexto et nono præcepto » 90
Cap. I. De luxuria in genere » »
Cap. II. De luxuria consummata » 93
Cap. III. De luxuria non consummata » 94
De septimo et decimo præcepto » 98
De octavo præcepto » »
Cap. I. De læsione veritatis » 99
Art. I. De mendacio » »
Art. II. De restrictione mentali » 100
Art. III. De custodia secreti » 104
Cap. II. De læsione famæ » 106
Cap. III. De læsione honoris » 112

Tractatus Secundus

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ Pag. 115
SECTIO PRIMA. De præceptis communibus » 116
De confessione annua » »
De communione paschali » 118
De abstinentia » 120
De jejunio » 123
De decimis » 126
De crematione cadaverum » 128
De libris prohibitis » 130
Cap. I. De prohibitione librorum in genere » »
Cap. II. De prohibitione librorum ex Codice » 132
Cap. III. De Indice librorum prohibitorum » 135
SECTIO ALTERA. De præcepta particolaribus Pag. 136
De officiis clericorum » »
Cap. I. De vocatione ad statum clericalem » 137
Cap. II. De scientia » 139
Cap. III. De sanctitate vitæ » 141
Cap. IV. De cælibatu » 145
Cap. V. De habitu ecclesiastico » 147
Cap. VI. De recitatione divini officii » 148
Art. I. De obligatione quoad substantiam » »
Art. II. De obligatione quoad accessoria » 154
Art. III. De causis a recitatione divini officii excusantibus » 157
Cap. VII. De vetita clericis negotiatione » 158
Cap. VIII. De privilegiis communibus clericorum » 163
Cap. IX. De munere parochiali » 164
Art. I. De residentia » 165
Art. II. De prædicatione verbi Dei » 168
Art. III. De sacramentorum administratione » 169
Art. IV. De obligationibus accessoriis » 170
De officiis religiosorum » 172
Cap. I. De ingressu in religionem » 173
Cap. II. De professione religiosa » 177
Cap. III. De obligatione votorum » 180
Art. I. De voto paupertatis » »
Art. II. De voto castitatis » 184
Art. III. De voto obedientiæ » 186
Cap. IV. De privilegiis religiosorum » 190

Tractatus Tertius

DE CENSURIS Pag. 191
SECTIO PRIMA — DE CENSURIS EX CODICE » 192
Cap. I. Quæ sunt omnibus censuris communia » »

Cap. II. Quæ sunt censuris speciei diversis propria Pag. 195
Art. I. De excommunicatione pag. 195
§ 1. De exclusione a communione fidelium » »
§ 2. De effectibus excommunicationis » 196
Art. II. De interdicto » 200
Art. III. De suspensione » 201
SECTIO ALTERA — CENSURÆ HODIE VIGENTES » 202
Cap. I. Excommunicationes » »
Art. I. Excommunicationes Sedi Apostolicæ reservatæ specialissimo modo » »
Art. II. Excommunicationes Sedi Apostolicæ reservatæ speciali modo » 209
Art. III. Excommunicationes nes Sedi Apostolicæ reservatæ simpliciter » 218
Art. IV. Excommunicationes reservatæ Ordinario » 227
Art. V. Excommunicationes nemini reservatæ » 232
Cap. II. Interdicta » 236
Cap. III. Suspensiones » 238
Art. I. Suspensiones reservatæ Sedi Apostolicæ » »
Art. II. Suspensiones nemini reservatæ » 241

Tractatus Quartus

DE IRREGULARITATIBUS Pag. 243
Cap. I. De irregularitatibus in genere » »
Cap. II. De irregularitatibus in specie » 244
Art. I. De irregularitatibus ex defectu » »
Art. II. De irregularitatibus ex delicto pag. 246
Cap. III. De cessatione irregularitatis » 250

Tractatus Quintus

DE INDULGENTIIS Pag. 253
Cap. I. De indulgentiis in genere » »
Art. I. Theoretica circa indulgentias » »
Art. II. De auctore indulgentiarum » 255
Art. III. De subjecto indulgentiarum » 256
Cap. II. De præcipuis indulgentiis in specie » 261
Art. I. De Jubilæo » 262
§ I. Opera ad Jubilæum præscripta » »
§ II. Favores adnexi Jubilæo » 263
Art. II. De Altari privilegiato » »
Art. III. De exercitio Viæ Crucis » 265
Art. IV. De indulgentia Portiunculæ » 266
Art. V. De benedictione papali in articulo mortis » 267
Art. VI. De actu eroico caritatis erga defunctos » 268
Art. VII. De præcipuis scapularibus » »
Art. VIII. De coronis precatoriis » 270
Art. IX. De indulgentiis apostolicis » 271
Index alphabeticus » 273

Liber III.

DE PRÆCEPTIS

Liber iste quinque exhibet tractatus: I. *De præceptis Decalogi.* — II. *De præceptis Ecclesiæ,* tum communibus, tum quorumdam statuum propriis. — III. *De censuris.* — IV. *De irregularitatibus.* — V. *De indulgentiis.* — Ex his, primus quoad substantiam juri naturali innititur, cujus Decalogus est positiva promulgatio et confirmatio; tamen quoad accessoria quædam spectat ad jus etiam positivum: ceteri vero juri tantum ecclesiastico innituntur. Hinc distinctio potissima hujus Libri a præcedenti, ejusque titulus *De præceptis.*

TRACTATUS PRIMUS

DE PRAECEPTIS DECALOGI

1. Cum lex naturalis, mentibus hominum inscripta, pravis moribus ac diuturna perversitate obscurata fuerit, Deus Moysi dedit Decalogum; quo et naturalem legem illustriorem redderet, et ejus præcepta aut explicite, aut implicite, positiva promulgatione populo Israelis intimaret. Hæc eadem præcepta Christus Dominus verbis et exemplo confirmavit.

Decalogus duabus tabulis continetur: quarum prior, tribus præceptis constans, exhibet officia hominis erga Deum; altera, constans præceptis septem, officia hominis erga proximum [1]. Procemium præmittitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis* [2]. Quo procemio duplex observandæ legis motivum proponitur: 1.um Qui jubet, Deus est et Dominus et omnium nostrum creator; 2.um Idem est et redemptor, qui nos a peccatis et diaboli servitute liberavit [3].

1) Præceptorum nexum et ordinem explicat S. THOMAS *I. 2, Qu. 100, art. 5;* ex eo TANQUEREY *I. Num. 241.*

2) EXOD. *XX. 2, seqq.* — Cf. CATECH. Conc. Trid. *P. II. Capp. 1, 2.*

3) Tractant S. LIGORIUS *Lib. III;* BALLERINI II. *Tract. VI;* GENICOT *Tract. VII;* NOLDIN *131-672* (Ed. 1923); etc.

DE PRIMO PRÆCEPTO

2. Primum Decalogi præceptum enuntiatur: *Ego sum Dominus Deus tuus...: non habebis deos alienos.* Quibus verbis duæ præcepti partes indicantur: *Me verum Deum coles; alienis diis cultum non adhibebis.* Prima affirmativa est, ac religionem ejusque actus præcipit; altera est negativa, et prohibet peccata opposita religioni.

Dicemus: 1°. De ipsa virtute religionis; 2.° de peccatis religioni oppositis per excessum; - 3.° de peccatis eidem oppositis per defectum.

CAPUT I.

DE VIRTUTE RELIGIONIS ET EJUS ACTIBUS

3. *Religio* est « virtus adnexa justitiæ, et inter virtutes morales præstantissima, quæ inclinat hominem ad tribuendum Deo cultum ipsi debitum propter ejus infinitam excellentiam, qua est primum omnium rerum principium ». Objectum *materiale* religionis est cultus Deo tribuendus per actus nostros; objectum *formale* est specialis honestas in eo consistens, quod Deo propter ejus infinitam excellentiam honor conveniens reddatur. Hæc virtus eminenter continet virtutes pietatis, observantiæ et gratitudinis: quod enim Deo debetur, ut est pater, superior, benefactor, non distinguitur ab eo, quod ipsi debetur titulo religionis.

Actus religionis a S. Thoma recensentur novem: *Devotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblatio, votum, juramentum, adjuratio divini Nominis, ejusque Nominis per laudem assumptio* 1.

ART. 1. — De devotione

4. *Devotio,* ex S. Thoma, est « voluntatis promptitudo ad ea, quæ pertinent ad Dei cultum et servitium ». Spectat ergo ad virtutem religionis, cujus idem habet objectum et motivum formale; et, potius quam actus, est quædam dispositio habitualis in voluntate. Consistit in hoc quod voluntas faciliter, alacriter et cum quadam propensione seu promptitudine feratur ad ea, quæ tendunt in cultum et servitium Dei. Hæc promptitudo producit aliquando quamdam delectationem ac lætitiam; a ab ea essentialiter distinguitur, imo et cum summa animi desolatione consistere potest. Ejus « causa intrinseca ex parte nostra oportet quod sit meditatio seu contemplatio » 2.

Inde patet, quod devotio, in suo vero conceptu, non ad clericos tantum pertinet, aut ad religiosos, vel ad eos qui statum perfectioni profitentur; sed cuicumque hominum statui convenire potest. Omne

1) S. Thomas *2. 2. Qu. 81-91.* — Cf. Suarez *De Religione;* De Lug *De Incarn. Disp. 33-37;* Lessius *De just. Lib. II. Cap. 36-38.*
2) S. Thomas *Qu. 82 art. 3.* — Cf. *Studia sacra* (Patavii) 1912 pag. 245

possunt ac debent alacriter velle et perficere, quæ vident ad cultum ac servitium Dei pertinere secundum propriam cujusque conditionem: sed usque ad aliquem gradum hæc promptitudo erit de præcepto; in gradu ulteriori erit de consilio ».

ART. II. — De oratione

5. *Oratio* definitur « petitio decentium a Deo [3]. Proinde naturâ suâ et directe est actus caritatis erga se vel proximum; simul vero exercite est actus religionis; quia « per orationem homo Deo reverentiam *indirecte* et suppositive exhibet; in quantum, scilicet, ei se subjicit et orando profitetur se eo indigere, sicut auctore suorum bonorum » [4]. Dicitur etiam « elevatio vel ascensio mentis in Deum »; tum, quia hæc ascensio est medium ad petendum a Deo; tum, quia unitio cum Deo debet esse primum quod petimus, juxta illud: *Unam petii a Deo; hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.*

Patet quod oratio naturâ suâ est actus internus, et proinde *mentalis*: tamen, si et verbis aliisve signis exprimatur, simul erit *vocalis*. Insuper potest esse, aut *publica*, aut *privata*; prout orans orat, ut persona publica et nomine communitatis, aut ut persona privata et nomine proprio.

6. **Principia. I.** Oratio omnibus adultis necessaria est *necessitate medii* ad æternam salutem. Ratio est, quia oratio est medium ordinarium a Deo statutum ad obtinendas gratias necessarias ad conservandum vel recuperandum statum gratiæ habitualis, sine quo nemo potest consequi vitam æternam.

II • Oratio necessaria est adultis, etiam justis, *necessitate præcepti*. Deus enim vult ut omnes statum gratiæ habitualis et consequantur et conservent: ergo idem simul præcipit, ut mediis ordinariis ad hunc finem statutis utantur. Confirmatur ex locis innumeris sacræ Scripturæ [5].

III. Oratio debitis prædita conditionibus impetrandi efficaciam habet infallibilem ex Christi promissionibus [6]. Conditiones autem hæ sunt: *a*) Quod oratio fiat pro se, *b*) pie (cum humilitate, devotione, fiducia), *c*) perseveranter, *d*) et de rebus necessariis ad æternam salutem [7].

3) S. Joannes Damasc. *De fide orthodoxa Lib. III. Cap. 24.*
4) S. Thomas *Qu. 83, art. 1, 3;* Tanqu. *Num. 861;* Ball. *19, 35.*
5) Matth. *XIV. 18;* Luc. *XVIII. 1;* etc. — Cf. A Lapide *In Luc. loc. cit.*
6) Luc. *XI. 10;* Jo. *VI. 23, XVI. 24;* 1. Io. *III. 22, V. 14-16,* — Cf. Bellarm. *In Ps. CXL;* S. Lig. *Del gran mezzo della preghiera.*
7) S. Augustinus in *Brev. rom.* Dom. V. post Pascha Lect. 3 Noct.; S. Thomas *Qu. 83 art. 15, 16;* Tanqu. *875-884;* Noldin *144, seqq.*

7. **Resolutiones.** — *Ex Princ. III.* — 1.° Oratio (licet de objecto primario) pro aliis, summæ quidem et ferme certæ erit efficaciæ, at non infallibilis; saltem ex eo, quod alii gratiis recipiendis forte pertinaciter obsistent 8. Id valet de oratione pro conversione infidelium aut hæreticorum aut peccatoris etiam determinati, etc.

2.ª Oratio eorum, qui gratias (plerumque temporales) a Deo postulant exigenter ac de gratia mox non obtenta conquerentes, non oratio est, sed divinæ indignationis provocatio. Si forte eventus votis respondeat, non est gratia impetrata, sed casus, vel melius dispositio divinæ providentiæ ordinaria.

3.ª Qui petat valetudinis recuperationem, exitum justæ litis felicem et similia, forte impetrabit, at non certe; etiamsi paratus sit gratiæ renuntiare, si forte æternæ saluti consequendæ obstet. Ceterum oret: si non hanc, alias utiliores gratias consequetur, et merebitur.

4.ª Non infallibilis est efficaciæ oratio puellæ, quæ a Deo summa cum humilitate et devotione et fiducia gratiam petat ingrediendi monasterium. Ceterum petat et exoret et instet perseveranter: probabiliter impetrabit; certe merebitur.

5.ª Certioris quidem efficaciæ, at non absolutæ necessitatis est quod subjectum orans sit in statu gratiæ: orationis enim efficacia non fundatur in orantis dignitate, sed in promissionibus Christi.

8. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quandonam urgeat præceptum orationis?

Resp. Patet præceptum orandi affirmativum esse; tum, prout oratio est actus religionis; tum, prout est petitio, seu actus caritatis erga se vel erga proximum: urgere autem potest *per se* et *per accidens*.

1.° Urget *per se*: *a*) Initio usus rationis, quando primum puero sufficienter proponitur Deus ut ens infinitæ perfectionis (colendus) ac nostris indigentiis necessarium (invocandus). — *b*) Tempore mortis, quando nobis maxime necessaria est, et ideo petenda, perseverantia finalis. — *c*) Sæpius in vita; adeo ut peccatum sit per tempus notabile omnem orationem omittere. At difficile est hoc tempus notabile definire: quidam docent orandum esse *sub gravi* saltem semel in anno, alii sexto quoque mense, alii singulis mensibus, alii singulis hebdomadis. Confessarius itaque magis sollicitus esse debet in inculcanda frequenter orandi necessitate, quam in determinanda gravi omissæ orationis culpa.

2.° Urget *per accidens*, quoties auxilium gratiæ divinæ necessarium sit; puta in gravi tentatione, in periculo mortis, in publicis vel privatis calamitatibus, etc.

In praxi, licet nullo præcepto teneamur singulis diebus orationes mane et vespere recitare, ab aliqua culpa immunes non sunt, qui eas omittant frequenter; tum, quia forte nullo alio tempore orant, et sic

8) Pro efficacia certa, contra S. Thomam, stat Suarez. — Cf. BALL. *Num.* 25.

præcepto orandi aliquando deerunt; tum, quia ob frequentia pericula, neglecta oratione, in plura peccata facile labentur.

Qu. 2. Ad quos, præterquam ad Deum, dirigenda sit oratio, prout est petitio?

Resp. Invocatione publica, orationes dirigere possumus ad B. Virginem, Angelos, Sanctos in communi, et ad singulos, Beatos quoque, qui cultu publico honorantur ab Ecclesia. Privatim eas dirigere possumus etiam ad infantes baptizatos ante usum rationis defunctos, et ad animas in Purgatorio admissorum pœnas luentes. Adverte quod invocatio Virginis et Sanctorum a Tridentino Concilio utilis esse dicitur et salutaris; minime vero absolute præcepta: ceterum nemini non absolute inculcanda invocatio Virginis, per quam Deus suas gratias nobis concedere decrevit.

Qu. 3. Utrum necessaria sit attentio in orando?

Resp. a) Requiritur omnino attentio talis, externa et interna, quæ sufficiat ut oratio sit actus humanus: secus non est oratio, nec actus cultûs, neque ullam habet efficaciam. — *b)* Ad liceitatem requiritur attentio interna seu mentis; quare *per se* peccat (venialiter), qui sine justa causa in orando voluntarie distrahitur; quia irreverentiam aliquam Deo irrogat: hoc autem verum est, etsi oratio non sit de præcepto. — *c)* Non requiritur ad essentiam toto tempore orationis; esset enim de re impossibili.

9. *Circa Princ. IV.* — *Qu. 1.* Quodnam sit objectum orationis, prout oratio est petitio?

Resp. a) Objectum primarium et necessarium est ipse Deus possidendus, juxta verba Christi: *Quærite primum regnum Dei*: hinc *b)* et media ad consequendam possessionem Dei necessaria. *c)* Objectum secundarium, remotum et liberum sunt bona spiritualia utilia; item *d)* et temporalia, sub conditione, saltem subintellecta, quod ad salutem æternam conferant, aut saltem eidem non obstent: licet enim petere a Deo quidquid licite possumus desiderare 9.

Qu. 2. Quot et quinam sint effectus orationis?

Resp. Quatuor communiter recensentur. Primus est meritum; et quidem *de condigno*, si fiat ab homine justo; *de congruo*, si a peccatore: est enim actus, tum religionis, tum caritatis. Secundus est impetratio, sive pro se, sive pro aliis. Tertius est spiritualis refectio animæ, cujus cibus est oratio; ad quem effectum Doctor Angelicus necessariam omnino dicit attentionem. Quartus est satisfactio pro peccatis, nedum suis, sed et defunctorum in Purgatorio degentium.

Qu. 3. Pro quibus sit orandum?

Resp. In primis pro nobis: dein et pro omnibus illis, ad quos extenditur obligatio caritatis; proinde etiam pro infidelibus, hæreticis, peccatoribus, non exclusis inimicis; item pro animabus pœnas in Purgatorio luentibus.

9) S. Thomas *Qu. 83, art. 6;* S. Augustinus *Epist. ad Probam.*

ART. III. — De adoratione

10. *Adoratio* sensu latiori est honor externo corporis gestu alicui exhibitus ob ejus dignitatem. Sensu maxime proprio est « honor seu cultus exhibitus Deo propter ejus infinitam excellentiam supremumque dominium » : consistit autem actibus, tum internis, tum externis; interiori nempe erga Deum reverentiâ, et corporalibus signis subjectionis, ut sunt prostratio, genuflexio, etc.

Hic est cultus, qui *latriæ* dicitur. Qui tribuitur B. Mariæ Virgini, quæ mater Dei est et ideo supereminenti pollet excellentia, dicitur cultus *hyperduliæ;* qui Angelis et Sanctis, ministris et amicis Dei et ideo speciali ratione Deo junctis, dicitur cultus *duliæ*.

Item cultus, alius est *absolutus,* alius *relativus.* Ille habetur, quando ejus objecto immediato inest perfectio, seu ratio formalis cultûs; hic, quando in ejus objecto immediato habetur relatio seu moralis connexio cum objecto, cui inest perfectio, vel ejusdem objecti repræsentatio.

Demum « cultus si deferatur nomine Ecclesiæ a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiæ institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos, dicitur *publicus;* sin minus, *privatus* » 10.

Sic celebratio Missæ et divini Officii recitatio facta a sacerdote sunt actus cultus publici, etsi secretissime fiant.

11. **Principia. I.** Cultus latriæ, seu adoratio proprie dicta, Deo debetur, tum internus, tum externus. Probatur *a*) ex jure naturali. Deus enim rerum omnium principium et supremus dominus est : ergo jus habet, ut creaturæ rationales hanc ejus excellentiam recognoscant et profiteantur; quod proprie fit per adorationem. Confirmatur *b*), tum ex hoc præcepto Decalogi, tum ex verbis Christi : *Dominum Deum tuum adorabis*. Hæc autem adoratio debet esse etiam externa; tum quia homo facultatibus internis et externis a Deo acceptis gaudet, tum quia actus cultus externi internum et exprimunt et fovent.

II. Deo exhiberi debet etiam cultus publicus seu socialis. Ratio est, quia homo ad societatem creatus est, et ipsa societas, ut persona moralis, a Deo originem habet et a Deo pendet. Quare ipsa societas infinitam Dei excellentiam et supremum dominium recognoscere ac revereri debet.

III. Adoratio soli Deo debita non impedit quominus licitum et honestum sit B. Virginem, Angelos et Sanctos speciali cultu

10) Codex *Can. 1256.*

venerari; cum hic cultus in Dei cultum mediate redundet, cujus intuitu defertur [11].

IV. Licitus quoque est cultus reliquiarum et imaginum Christi, Virginis ac Sanctorum: hic autem cultus est essentialiter relativus, et ad prototypa refertur.

12. *Qu. un.* Quandonam obliget præceptum adorandi Deum?

Resp.: Certum est hoc præceptum obligare *per se*. Si quæretur de tempore, certe obligat quando homini adepto usum rationis sufficienter proponitur Deus, tamquam ens infinitæ excellentiæ et principium sui. Insuper certe obligat aliquando in vita: at ulterior determinatio impossibilis est; imo et inutilis; qui enim alias obligationes adimplet, ex. gr., Missam audiendo diebus festis, virtualiter satisfacit etiam præcepto adorandi Deum.

13. **Parergon.** — 1.° Non licet cultu publico venerari, nisi quos Ecclesia inter Sanctos vel Beatos retulerit. Cultu privato colere licet servos Dei, qui cum fama sanctitatis obierunt; et proinde licet eorum reliquias vel imagines servare, privatim exponere, osculari.

2.° Non licet publicæ venerationi in ecclesiis exponere Christi, Virginis aut Sanctorum reliquias, nisi fuerint ab Ordinario loci juridice recognitæ.

3.° Vetantur omnino imagines Christi, Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum servorum Dei, ab Ecclesiæ sensu ac decretis difformes: nec licet in ecclesiis aliisve locis sacris ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata. Imagines S. Cordis Jesu a corpore separati ex privata devotione permittuntur; at in altari publicæ venerationi non exponantur [12].

ART. IV. — De sacrificio et oblatione

14. *Sacrificium* definitur « oblatio rei sensibilis per legitimum ministrum Deo facta per ipsius rei destructionem vel immutationem ad testandum ipsius Dei supremum dominium ». Cum in nova Lege unicum sit sacrificium, perenne, nempe eucharisticum, de eo agemus in tractatu *De SS. Eucharistia*.

Oblatio, prout a sacrificio distinguitur, est actus, quo res externas Deo offerimus, auctoritate sive publica, sive privata, sine ulla earum rerum mutatione. Ita offerri possunt Deo vel Ecclesiæ fructus, monilia, pecuniæ, agri, paramenta sacerdotalia, vasa sacra, etc. Hoc nomine veniunt etiam primitiæ, quibus offeruntur Deo vel Ecclesiæ primi fructus agrorum vel arborum.

11) Num et quatenus ad religionem pertineat, exponit Lessius *II. 36. Dub 3.* — Cf. Hurter *Theol. dogm. III. 727, sequ.*, et alios theologos.

12) Codex *Can. 1279;* S. Off. 26 aug. 1891; etc. — Cf. Marc *Num. 540.*

Oblationes istæ sunt actus religionis, quatenus qui eas faciunt, intendant per eas recognoscere supremum Dei dominium in res creatas 13. Verum nulla adest lex sive divina, sive ecclesiastica, qua hujusmodi oblationes in nova Lege absolute præcipiantur.

ART. V. — De voto

15. *Votum* est « promissio deliberata ac libera facta Deo de bono possibili et meliore ». Hinc est actus latriæ; eâ enim, quæ voventur, in cultum divinum ordinantur 14.

Votum, aliud *solemne* est, aliud *simplex;* hoc autem, aliud *publicum*, aliud *privatum*. Votum *solemne* est, quod, emissum coram Ecclesia, ut tale ab Ecclesia juridice agnitum fuerit; adeo ut vim habeat obligandi voventem, non solum ex voluntate ipsius, sed etiam ex agnitione et sanctione Ecclesiæ; ejusmodi est quod in Ordinibus religiosis post primum triennium professionis simplicis emittitur in professione solemni. Votum *simplex* est, cujus obligatio est unice ex voluntate voventis, sese erga Deum obligantis. — Votum simplex *publicum* est, quod in ipsa emissione a legitimo Superiore nomine Ecclesiæ, ac proinde ab ipsa Ecclesia, recognoscitur et acceptatur: ejusmodi est quod emittitur in Congregationibus religiosis, et pro primo triennio in ipsis religiosis Ordinibus. Votum simplex *privatum* est, quod privatim a vovente emittitur, et ab Ecclesia nec confirmatur nec acceptatur aut recognoscitur: omnis ejus obligatio est in foro conscientiæ.

Discrimen praticum inter votum solemne et simplex in hoc est, quod votum solemne vim habet irritandi actus voto contrarios, qui irritabiles sint; dum votum simplex, etiam publicum, ordinarie vim habet tantum eos actus prohibendi; tamen, quia solemnitas est ex statutis Ecclesiæ, hæc dare potest vim irritandi etiam votis simplicibus; ut contingit quoad votum simplex castitatis in Societate Jesu.

Votum est *personale*, si Deo promittitur actio vel actionis omissio; *reale*, si alicujus rei præstatio; *mixtum*, si utraque.

Demum votum est *reservatum*, si ejus dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest.

§ I. — De essentia voti ejusque obligatione.

16. **Principia.** Ad validitatem voti requiritur vera et deliberata intentio promittendi Deo, seu sese obligandi erga Deum. Hinc, præter usum rationis, requiritur, tum sufficiens rei vovendæ

13) S. Thomas *Qu. 86;* Lessius *II. Cap. 39 Dub., 6.*

14) Codex *Can. 1307 § 1* — S. Thomas *Qu. 88;* Suarez *Tract. VI.;* Lessius *II. Cap. 40;* S. Lig. *194-262;* Ball. *Cap. III.;* Noldin *299-238.*

ejusque adjunctorum et oneris assumendi cognitio, tum perfecta sese erga Deum obligandi voluntas.

II Materia voti, sive actio vel omissio sit, sive rei alicujus præstatio, debet esse, nedum bona, sed et melior; scilicet non impeditiva boni melioris, tum in se, tum quoad circumstantias. Insuper eadem debet esse moraliter possibilis voventi.

III Votum valide emissum obligat voventem ad id quod vovit implendum ex virtute fidelitatis ac religionis; ac proinde obligatione *per se gravi*. Tamen ad hoc ut obligatio gravis sit in concreto, necesse est quod et ejus materia gravis sit, et vovens voluerit se *sub gravi* obligare.

17. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Propositum, quantumvis sancitum, in honorem Dei, non est votum. Item nec promissio facta B. Mariæ Virgini aut alicui Sancto: votum est, si promissio fiat Deo in honorem Virginis vel Sancti.

2.ª Votum emissum cum perfecta ignorantia oneris assumendi, non est validum; emissum cum imperfecta cognitione erit dubie validum.

3.ª Votum emissum ex errore circa substantiam vel circa circumstantias principaliter intentas, non est validum; item nec votum emissum ex metu gravi et injusto.

4.ª Validum est votum emissum ex metu ab intrinseco, vel a causa necessaria, proveniente; dummodo metus sufficientem deliberationem non impediverit.

18. *Ex Princ II.* — 1.ª Per se voti validitati non obstat quod ejus materia sit aliunde præcepta dummodo melior sit; eo magis quod adhuc melior fieri potest ex voto.

2.ª Non valet votum evitandi omnia omnino peccata, etiam levissima. E contra valet votum vitandi omnia mortalia, vel venialia graviora, vel venialia alicujus speciei determinatæ.

3.ª Præscindendo a speciali inspiratione divina, invalidum videtur votum faciendi semper quidquid melius æstimabitur. Certe invalidum est votum adhærendi Deo jugi caritate actuali.

4.ª Votum Jephte, si objectum habebat mortem filiæ naturalem, invalidum fuit; secus, si objectum habebat mortem civilem filiæ, quæ proinde *flebat virginitatem suam in montibus* 15.

19 *Ex Princ. III.* — 1.ª Votum in materia levi, quidquid vovens censuerit et voluerit, non obligat nisi *sub levi;* cum materia levis capax non sit obligationis gravis.

15) Judic. *XI. 29-38.* — Jefte « in vovendo fuit stultus, et in reddendo impius ». S. Hieronymus apud S. Thomam *Qu. 88, 2.* Plura A Lapide in *l. c.*

2.ª In materia gravi, puta servandi jejunium, ingrediendi religionem, custodiendi virginitatem aut etiam castitatem perfectam in perpetuum, potest vovens sese obligare *sub levi*.

3.ª Vota realia solvenda sunt de suo; qui autem non possit, non tenetur ab alio mendicare ut possit. Item vota personalia implenda sunt a vovente; si ipse non potest, frustra eadem impleret alius.

4.ª In dubio, sive de intentione vere vovendi, sive de quantitate materiæ, sive de duratione obligationis, standum est pro minimo.

5.ª Qui, certus de voto emisso, dubio positivo dubitet num impleverit, ejus obligatio dubia manet, seu pratice nulla.

20. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu.* 1. — An semper valeat votum emissum ex errore circa circumstantias?

Resp. Valet, si agatur de circumstantiis accidentalibus minoris momenti, quæ, etsi cognitæ, voto non obstitissent. Non valet autem, si error de circumstantiis, utut accidentalibus, fuit vera causa vovendi; cum votum sequatur naturam contractus gratuiti. Excipe vota solemnia et publica emissa in religione; quæ numquam invalida sunt ob errorem circa circumstantias accidentales, etiam quæ cognitæ votum fieri impedivissent: ratio est ex necessaria firmitate status religiosi, et insuper ex quasi-contractu, qui fit inter profitentem et religionem 16.

Qu. 2. An valeat votum emissum ex metu injuste incusso a causa libera, etsi fuerit levis?

Resp. Theologi respondebant *negative;* præsertim, si agatur de professione religiosa solemni: at Jus novissimum ad validitatem cujusvis religiosæ professionis exigit ut sine metu *gravi* emittatur: ergo opinio olim communis hodie forte nutat. Ratio erat, quia votum sequitur naturam promissionis spontaneæ, nec acceptum Deo esse potest ejusmodi votum: hæc opinio adhuc probabilis esse videtur, saltem quoad forum conscientiæ.

Qu 3. Quid de eo, qui dubitat, num verum votum, an merum propositum emiserit?

Resp. Si fieri potest, solvatur dubium, v. gr., interrogando utrum censuerit se peccaturum fore, si forte acturus esset contra id quod statuerat. Si dubium solvi non potest, standum est pro minimo. Idem dicatur de eo, qui dubitat, num in vovendo sufficientem habuerit deliberationem; puta, si voverit in æstu fervoris extraordinarii, vel sub timore ingentis infortunii.

21. *Circa Princ. II.* — *Qu.* 1. An valeat votum rei bonæ cum fine malo, aut sub conditione mala?

Resp. Ad 1: Non valet, si finis malus afficiat ipsam rem votam; v. gr., si quis voverit eleemosynam ad impetrandam mortem inimici, aut in gratiarum actionem, quia vicit litem injustam. Valet autem, si tantum

16) S. Ligorius *Num. 198;* Ball. *18;* Gen. *314;* Noldin *213.*

malus sit finis accidentalis ex parte actûs vovendi; v. gr., si vovens adsistere infirmo, ex vanitate votum emittat elata voce.

Ad 2: *a*) Non valet, si votum fiat ex affectu erga ipsam rem malam; v. gr., si quis voveat eleemosynam elargiendam, si interficere valuerit inimicum. — *b*) E contra valet, si fiat ex affectu ad conditionem bonam conjunctam cum actione mala; ex. gr., si, patrato homicidio, non capiatur. — *c*) Valet, si votum fiat ex detestatione conditionis malæ; ut, si quis voveat, eleemosynam, si et quoties fornicatus fuerit, blasphemaverit, etc.

Qu. 2. An valeat votum de bono impeditivo boni melioris?

Resp. Per se, negative; eo enim ipso cessat esse res melior, ut esset matrimonium præ castitate perfecta. At valere posset, si ex circumstantiis evaderet bonum *melius;* ut posset esse matrimonium ad scandalum vitandum, ad honorem puellæ ex obligatione reparandum, vel etiam ad motus concupiscentiæ sedandos.

22. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quænam censeatur esse materia gravis in voto?

Resp. Communiter habetur tamquam gravis ea, quæ, si ab Ecclesia præciperetur, obligaret *sub gravi.* Talis esset auditio Missæ, jejunium etiam unius diei, recitatio integri Rosarii, ingressus in religionem, virginitas, etc. Ceterum id æstimari oportet ex communi sensu theologorum.

Qu. 2. An plures materiæ leves coalescere possint in materiam gravem?

Resp. Res pendet præcipue ab intentione voventis, qui potuit singulas materias leves intendere, vel in seipsis, vel ut partes alicujus totius: in primo casu violationes voti in singulis materiis essent totidem peccata venialia; in altero violatio ultimæ partis posset esse peccatum mortale. Generatim non coalescunt vota personalia, puta abstinendi a fructibus in sabbatis; facilius coalescere possunt realia, puta donandi obolum Sanctuario singulis sabbatis.

Qu. 2. An quis possit voto suo ligare alium?

Resp. Negative; cum votum sit quædam lex, quam quis sibi ipsi imponit. Quod, si heres tenetur solvere votum reale defuncti, non tenetur vi voti, sed ex justitia, sicut tenetur alia illius debita, legata, etc. solvere: et, si votum erat mixtum ejusque elementum reale erat accessorium personali, heres ad nihil tenetur.

Qu. 3. Num præsides communitatis, sive civilis, sive religiosæ, possint aliquo voto adstringere omnes ad communitatem pertinentes, tum præsentes, tum futuros?

Resp. Vi voti, *negative.* Verum, quoad subditos actuales, poterit eos præses obligare vi obedientiæ, si ad eam materiam voti sese extendat ejus auctoritas in subditos. Quoad subditos futuros, hi teneri possunt, si vota a præside nomine communitatis emissa naturam legis in-

duerint, sive ex confirmatione illius qui in ea materia potestatem legiferam habet, sive ex legitima consuetudine, quæ vim legis obtinuerit 17.

Qu. 4. Quænam dilatio gravis censenda sit ?

Resp. Gravis *per se* quælibet dilatio voti graviter obligantis, quando tempori determinato affixum est, adeo ut elapso tempore obligatio finiatur; item *per se*, ubi adest periculum oblivionis vel impotentiæ; demum, si fiat imminutio notabilis materiæ voti, ut in voto ingrediendi religionem. Extra hos casus dilatio notabilis in re gravi adhuc peccatum grave esse videtur; qualis autem sit mora notabilis, ex materia, ex fine et aliis circumstantiis judicandum est. Generatim gravem non habent dilationem, nisi ultra duos vel tres annos et absque ulla causa fiat 18.

Qu. 5. Utrum violatio voti pro diversitate morali materiæ inducat diversitatem specificam peccati ?

Resp. Prout est violatio voti, *negative*. Hinc, si quis habens votum castitatis fornicetur, potest seorsim a fornicatione accusare fractionem voti; hoc alterum peccatum est semper et solum contra religionem.

§ II. — De cessatione obligationis voti.

23. Obligatio voti cessare potest, tum ex se, h. e. ex causis voto intrinsecis, tum ex causis extrinsecis, quæ possunt esse voti commutatio, aut irritatio, aut dispensatio. Hinc agendum: *a*) De cessatione voti ex se; *b*) de commutatione; *c*) de irritatione; *d*) de dispensatione.

PUNCTUM I. — De cessatione voti ex se.

24. Causæ intrinsecæ respicere possunt materiam voti vel intentionem voventis. Itaque: « Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiæ promissæ, deficiente conditione a qua votum pendet, aut ejusdem causa finali » 19.

Hinc: *a*) Qui se jejunaturum vovit per quadraginta dies, a die quadragesima prima jejunare non tenetur: qui vovit Rosarium quotidie recitare ad impetrandam patris infirmi sanitatem, ab obligatione solutus est a die qua pater convalescat aut moriatur. — *b*) Qui vovit cras sumere Eucharistiam, et nocte sequenti inadvertenter potum sumpserit, votum implere non tenetur: nec tenetur voto peregrinandi Romam qui in gravem incidat infirmitatem: nec tenetur voto audiendi quotidie Missam ille, cujus pater infirmetur ejusque egeat adsistentia. — *c*) Qui vovit

17) GENNARI *Cons. mor. CXLV.* — Cf. et LEHMK. *Casus 266;* D'ANN. III. *212.*

18) S. LIGORIUS *Num. 221* et alii. Negari tamen non potest probabilitas opinionis, quod nulla dilatio, *qua talis*, sit peccatum mortale; quam probabilitatem affirmat Tamburini, probat BALL. ad Gury *Num. 327, 16.* FERRERES *Num. 412 Qu. 4.*

19 CODEX *Can. 1311.*

donarium ad altare B. Mariæ Virginis appendere, si pater ab America in patriam incolumis redeat, patre sive ex naufragio sive ex morbo obeunte, voto non tenetur; nec tenetur si donarium voverat pro impetranda matris sanitate, et hæc obierit.

Quæstio movetur; Utrum obligatio voti cesset, quoties, aut error in re accidentali talis fuit, aut talis inducta est in vovente aut in materia voti mutatio, quæ, si in actu vovendi exstitisset et nota fuisset, votum fieri impedivisset?

Certe probabilis est sententia affirmans; licet non sit communis et theoretice certa. Ratio petitur, tum ex plena spontaneitate, quæ ad votum requiri videtur, tum ex doctrina S. Thomæ « id liberare a voti vel juramenti obligatione, quod, si a principio notum fuisset, ea fieri impedivisset » 20. Hæc sententia certe est practice tuta.

PUNCTUM II. — De voti commutatione.

25. Commutatio est substitutio alterius materiæ loco ejus quæ promissa fuerat, salva ipsius voti obligatione. Commutatio fieri potest in opus *melius*, in opus *æquale*, in opus *minus bonum*. Opus melius est quod ad majus obsequium Dei majoremque utilitatem spiritualem voventis conducit: hinc facilis notio operis æqualis et operis minus boni.

Principium. « Opus voto non reservato promissum potest in melius vel in æquale bonum ab ipso vovente commutari » 21; dummodo ea commutatio non lædat jus alteri ex eo voto acquisitum.

26. **Resolutiones.** — 1.ª Qui voverit se quotidie recitaturum Rosarium, potest huic voto votum substituere accipiendi quotidie sacram Communionem.

2.ª Qui voverat singulis annis summam pecuniæ erogare pro sustentatione puerorum in asylo municipali, potest eam summam erogare in subsidium monialium indigentium, vel in denarium S. Petri.

3.ª Sublata quavis controversia, vovens potest suum votum commutare in bonum moraliter æquale: subsidium, quod quis voverat dare hospitio peregrinorum, dare poterit nosocomio.

4.ª Si quis, ut pro urgenti necessitate summam habeat a Titio eo pacto ut ipse voveat se matri Titii senescenti necessaria præbiturum ad vivendum, absque Titii consensu votum suum in bonum æquale aut melius commutare non poterit.

5.ª Eo quod commutatio voti in bonum minus est partialis obligationis assumptæ exstintio, ideo ea commutatio numquam a vovente fieri potest, sed tantum ab habente facultatem dispensandi.

20) S. Thomas *In IV. Distinct. 38 Qu. 1 art. 3 qu. 1.*

21) Codex *Can. 1314.* — Quoad commutationem in bonum æquale aliter sentit S. Thomas *art. 4 qu. 1.*

6.ª Haud semper facile erit voventi inter bonum majus vel æquale vel minus clare discernere: ideo generatim opportunum non est quod commutatio a vovente fiat inconsulto confessario.

PUNCTUM III. — De irritatione.

27. *Irritatio* voti est « ejusdem relaxatio facta ab eo, cujus potestati dominativæ subest, aut ipsa voluntas voventis, aut materia voti ». In primo casu irritatio est *directa*, et ipsam obligationem prorsus perimit; in altero casu est *indirecta*, et obligationem suspendit quousque potestati irritantis subest materia voti.

Principia. 1. « Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest ejus vota valide, et ex justa causa etiam licite, irrita reddere; ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.

II. Qui potestatem, non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tamdiu suspendere, quamdiu voti adimplementum sibi præjudicium afferat » [22].

28. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Omnia vota impuberum irritari possunt directe ab habente in illos paternam potestatem.

2.ª Vota privata, sive Regularium et Monialium, sive religiosorum votorum simplicium, irritari possunt directe a Superiore, cui obedientiam voverunt. Quin imo et omnia vota præcedentia per professionem religiosam etiam simplicem suspenduntur [23].

3.ª Si quis Superior votum subditi directe irritavit, ac postea votum velit reviviscere, non inde reviviscit, nisi subditus iterum velit seipsum novo voto obligare.

29. *Ex Princ. II.* — 1.ª Vota privata novitiorum irritari possunt a Superiore indirecte tantum, et quidem quæ sint personalia.

2.ª Maritus irritare potest indirecte vota uxoris, quæ matrimonii juribus adversentur; item est uxor similia vota mariti. Eadem ratione herus irritare potest vota famulorum, quæ obsequium sibi debitum impediant vel minuant.

30. *Ex utroque.* — 1.ª Licet Superior vota sui subditi ratihabuerit, eadem poterit in posterum irritare; quia nequit sibi adimere potestatem in subditum.

2.ª Vota publica professionis religiosæ sive solemnia, sive simplicia, et votum transeundi ad Ordinem strictiorem, irritari nequeunt a Superiore, ne indirecte quidem.

22) Codex *Can. 1312.* — Exempla apud Gury *Casus Num. 326-330;* Lehmk. *Casus 268-272;* Zanin. *900-911;* Arregui *217.*

23) Codex *Can. 1315.* — cf. Lehmk. *Num. 461;* Cocchi *79.*

3.ª Ad liceitatem causa justa requiritur; nedum pro irritatione indirecta (præjudicium sui), sed et pro directa. Secus enim sine motivo sufficienti impediretur major honor Dei et subditi spiritualis profectus: at *sub levi*, nisi ex irritatione vovens in grave animæ suæ periculum conjiciatur.

31. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum maritus irritare possit directe omnia vota uxoris?

Resp. Nonnulli *negant*, eo quod non quoad omnia uxor subjacet marito. Alii vero, et communius, *affirmant* relate ad vota emissa durante matrimonio: ratio est, quia *vir caput est mulieris*, et *mulier subjecta est viro in omnibus* 24.

Qu. 2. An pater irritare possit directe vota filiorum puberum (*vel* majorum aut emancipatorum) emissa ante pubertatem (*vel* majorem ætatem aut emancipationem)?

Resp. affirmative; dummodo filii, facti sui juris, eadem non ratihabuerint; imo, etsi ea ratihabuerint, nescientes ea esse irritabilia. Ex Jure novissimo, videtur pater id posse etiam quoad puberes, quousque manent sub paterna potestate 25. Patri æquiparantur avus, tutor, etc. Plures censent id posse matrem, quod pater.

PUNCTUM IV. — De dispensatione.

32. *Dispensatio* voti est « absoluta ejusdem condonatio, vel solutio obligationis assumptæ, facta nomine Dei a legitimo superiore ». Potest esse, vel *totalis*, cum obligatio ex integro et veluti gratis condonatur; vel *partialis*, cum dispensatio datur commutando obligationem in aliam æqualem aut aliquanto minorem. Potestas dispensandi potest esse vel *ordinaria*, h. e., adnexa muneri, vel *delegata*, h. e., concessa ab habente ordinariam et facultatem delegandi.

Principia. I. Ecclesia vi potestatis sibi a Christo concessæ dispensare potest ab obligatione cujuscumque voti, etiam solemnis 26, quoties id postulet bonum commune, aut privatum voventis vel proximi.

II. Potestas ordinaria dispensandi competit iis, penes quos est externa in Ecclesia jurisdictio: idest R. Pontifici; insuper Ordinario loci quoad suos subditos et peregrinos, Superiori religionis clericalis exemptæ quoad professos, novitios aliosque in religiosa

24) Ephes. *V. 24.* — Argumenta utriusque opinionis apud Noldin *Num. 231* De causa irritationis mutuæ vide Ball. ad Gury *331, 27.*

25) Codex *Can. 89.* — Cf. Ferreres I. *Num. 416 Qu. 2.*

26) Matth. *XVI. 19. XVIII. 18.* — Solemnizatio voti est a constitutione Ecclesiæ. Cf. Bouix *De jure Regul. P. I. Sect. III. Cap. II.*; Ball. I. *De legibus Num. 292;* Lehmk. *473.*

domo diu noctuque degentes, at exceptis votis Sedi Apostolicæ reservatis.

111. Dispensatio valida non est, nisi ex causa justa data fuerit. Qui enim dispensat, non nomine suo agit, sed nomine Dei, quasi creditoris. Minor autem causa requiritur ad dispensandum per commutationem voti in bonum æquale vel aliquanto minus, quam ad solvendam omnem obligationem [27].

33. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum dispensatio (*vel* commutatio) dari possit a voto in utilitatem alterius personæ, physicæ vel moralis, emisso ?

Resp. Affirmative, quamdiu votum ab altero acceptatum non fuit. Si vero acceptatum fuit, generatim sine alterius consensu dispensatio dari non potest, quia ejus jus læderetur. Attamen votum emissum principaliter in honorem Dei, secundario in favorem alterius, saltem probabiliter dispensari poterit, etiam posita acceptatione; dummodo promissio erga alterum gratuita sit, idest nullum ei onus imponat.

34. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quænam sint vota Sedi Apostolicæ reservata ?

Resp. a) Reservata sunt vota publica emissa in religione juris pontificii. — *b*) E votis privatis, duo sunt reservata: votum perfectæ ac perpetuæ castitatis, et votum ingrediendi in religionem votorum solemnium; quæ emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum [28]. Hæc autem reservatio, utpote voventi onerosa, interpretanda est stricte: hinc vota conditionata reservata non sunt, etiam impleta conditione; nec reservata sunt absoluta, si vovens non intenderit sese obligare *sub gravi*.

Qu. 2. An Ordinarius dispensare possit conjugem a voto castitatis perpetuæ in ordine ad debitum ?

Resp. Affirmative, juxta sententiam communem, quæ confirmari posse videtur ex Jure novissimo; cum sit damni gravis periculum in mora et agatur de dispensatione, quæ a Sede Apostolica concedi solet [29].

35. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quænam sint justæ causæ dispensandi ?

Resp. Ex S. Alphonso sunt sequentes: *a*) Bonum commune Ecclesiæ vel reipublicæ. — *b*) Bonum ipsius voventis; qui difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur, et forte periculum subeat transgressionis; aut etiam, quia actus vovendi non fuit immunis a quo-

27) Quod facultas commutandi accipienda sit etiam de mutatione in bonum aliquanto minus, docent GURY *Num. 334;* D'ANN. *209, 19.* De parochis cf. SUAREZ *VI. Cap. X. 11, 12.*

28) CODEX *Can. 1309.* — De votis emissis in congregatione juris diœcesani cf. GENNARI *Consult. can. XCII.*

29) CODEX *Can. 81.* — Cf. S. LIG. *Num. 258* et *VI. 985, sequ.*

Qu. 2. An expediat vota, præsertim virginitatis et castitatis, facile junioribus permittere aut consulere ?

Resp. Quæstio prudentialis est, et juxta regulas prudentiæ a prudenti confessario in singulis casibus solvenda. Generatim adhortandi sunt fideles, præsertim adolescentes et puellæ, ut numquam voveant sine consilio et consensu confessarii. Confessarius autem veniam emittendi votum perpetuæ virginitatis aut castitatis haud facile concedat, ac tantum personis prius per proposita, dein per vota temporanea, diu probatis ac ætate maturis.

ART. VI. — De Jurejurando

36. *Jusjurandum* seu *Juramentum* ex S. Thoma definitur « assumptio Dei in testem ». Si divinum testimonium assumitur ad asserendum præsentia vel præterita, dicitur juramentum *assertorium;* si ad confirmandum aliquid futurum, dicitur *promissorium* [31]. Hoc autem iterum duplex est: proprie et stricte *promissorium*, si fit ad confirmandam promissionem ex se, saltem virtute fidelitatis, obligantem; *nudum*, si fit ad firmandum simplex propositum. Ratione modi, quo profertur, dicitur *solemne*, si fit forma ac cæremoniis a jure præscriptis: secus dicitur *simplex*. Item dicitur *contestatorium*, si Deus simpliciter invocatur ut testis; *imprecatorium* vel *exsecratorium*, si invocatur ut testis et simul vindex perjurii.

37. **Principia. I.** Juramentum ex sua origine est actus religionis; quatenus qui jurat recognoscit Deum esse infallibilem veritatem et simul habere omnium cognitionem et provisionem. Ex suo fine intrinseco est actus justitiæ vel caritatis, in bonum commune aut privatum ordinatus.

II. Juramentum, debitis vestitum conditionibus, honestum est ac licitum. Patet, tum ex modo dictis, tum ex S. Scriptura: *Dominum Deum tuum timebis.... ac per nomen illius jurabis* [32]. Verba autem Christi « *non jurare omnino* » [33] significant non esse jurandum nisi in necessitate, optandum vero ut inter christianos numquam hæc necessitas contingat.

38. **Quæstiones.** — *Qu. I.* Utrum detur præceptum jurandi ?

Resp. Vi virtutis religionis, *negative*. At præceptum dari potest ad bonum, sive publicum, sive privatum; quando illud exigat caritas, justitia, aut obedientia.

31) S. Thomas *2. 2. Qu. 89, art. 1;* Suarez *De relig. Tract. V.;* Lessius *Op. cit. Cap. 42;* S. Lig. *III. Num. 133-193;* Ball. *Sect. II. Cap. II.*

32) Deuter. *VI. 16.* — Imo hoc est de fide. Confirmatur ex *Prop. 43* in Conc. Const. damnata; item ex damnatis *Prop. 101* Quesnelli, et *Prop. 75* Pistoriensium apud Denziger *Num. 1575.* Cf. Palm. apud Ball. *Num. 28;* Marc *601.*

33) Matth. *V. 33.* — Cf. Tanqu. I. *Num. 946, 947;* Noldin *244;* Knabenbauer *In Matth. Cap. V. 33, seqq.*

Qu. 2. Utrum juramentum dicendi omnem et solam veritatem, quod emitti debet a teste antequam ferat testimonium, sit assertorium, an promissorium?

Resp. Consideratum eo instanti quo fit, et prout spectat ad obligationem assumptam, est quidem promissorium: tamen una cum testificatione sequenti adeo immediate conjungitur, ut actus moraliter unus cum ea sit, et sub hoc respectu est assertorium. Quapropter, si testis falsum deinde asserat, reus est perjurii.

§ I. — De requisitis ad validum et licitum juramentum.

39. **Principia. I.** Ad validitatem juramenti duo requiruntur: *a*) Intentio jurandi, saltem virtualis; quia sine tali intentione non potest exsistere juramentum formale. — *b*) Formula juratoria; idest signum, quo sufficienter exprimatur Deum in testem vocari, sive explicite, sive implicite, nempe per creaturas, in quibus divina attributa speciali ratione reluceant.

II. Ad liceitatem juramenti triplex conditio requiritur, juxta illud: *Jurabis: vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia* [34]. — Requiritur: *a*) *Veritas;* quæ subjectiva est, proprie *veracitas* seu conformitas assertionis cum mente jurantis: excludit igitur mendacium, non errorem. In juramento assertorio veritas respicit exsistentiam facti præsentis vel præteriti; in promissorio exsistentiam intentionis de re futura. — *b*) *Judicium;* idest discretio, ut non fiat absque necessitate aut gravi causa: causa autem sufficiens est quælibet rationabilis; v. gr. pax confirmanda inter contendentes, major securitas in contractibus, etc. — *c*) *Justitia;* idest, ut juramentum sit de assertione vel proposito vel promissione justa, licita et honesta.

40. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui sint vere athei, sunt incapaces jurandi: non enim possunt habere intentionem vocandi Deum in testem.

2.ª Juramentum fictum, seu prolatum sine intentione jurandi, invalidum est, nec caret peccato veniali: hoc autem poterit esse mortale, si inde proveniat damnum publicum vel privatum, aut scandalum.

3.ª Idem dicendum, saltem probabilius, de juramento prolato sine intentione sese obligandi ex religione; videretur enim esse nugatorium. E contra validum est, si desit tantum intentio implendi.

4.ª Formula typica juramenti est: *Voco Deum in testem;* vel: *Deus sit mihi testis;* vel: *Juro per Deum;* vel: *Deus me puniat.* Ceteræ sunt

34) Jerem. *IV. 2.* — Codex *Can. 1316*: fuse Genicot *Num. 302, 303.*

juratoriæ, si ex usu recepto ad aliquam ex his reducantur; ev. gr.: *Juro per hæc sancta Evangelia, per fidem catholicam, per Ecclesiam;* vel: *Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Evangelia.* Ipsa vox *Juro* non est per se juratoria, nisi præcesserit interrogatio de Juramento præstando.

5.ª Formulæ: *Per sacramenta, per cælum, per animam meam,* etc. habentur tamquam juratoriæ, saltem si proferens cogitet de relatione harum rerum cum Deo.

6.ª Formulæ omnes, quæ sint assertivæ, per se non sunt juratoriæ. Tales sunt: *Novit Deus — coram Deo loquor — hoc tam verum est, quam verum est Deum exsistere — moriar.* At formulæ in se minus juratoriæ fieri possunt tales ex conscientia proferentis, qui per eas vere intendat jurare.

41.ª *Ex Princ. II.* — 1.ª Defectu *veritatis* peccat, non modo qui juramento firmat id, quod novit esse falsum; sed et is, qui jurat cum prudenti dubio de veritate suæ assertionis.

2.ª Eodem defectu veritatis peccat, et quidem graviter, qui formula juratoria firmet promissionem animo jurandi, at sine intentione implendi. Notandum est quod Deus in juramento promissorio assumitur tamquam testis promissionis præsentis et quasi-fidejussor exsecutionis futuræ, saltem prout hæc pendet a voluntate jurantis; unde fit, ut in omni juramento promissorio includatur etiam assertorium de intentione præsenti 35.

3.ª Defectu *judicii* peccant, qui ad firmandam rem futilem, vel in concertatione nullius aut parvi momenti Deum testem vocant; ita et feminæ, quæ juramento firmant minas puniendi filiolos pro noxis quandoque levissimis, aut imaginariis.

4.ª Qui facile juramentis assuescant, peccant; non modo quia jurabunt sæpe sine causa, sed etiam quia se exponunt periculo jurandi aliquando sine veritate.

5.ª Defectu *justitiæ* peccaret, qui juramento assertorio confirmaret detractionem; qui juramento promissorio se obligaret ad ulciscendum de inimico, ad servandum secretum necessario revelandum, ad mentiendum.

6.ª Hoc motivo habenda sunt ut illicita juramenta, quæ emitti solent in societatibus secretis; item generatim quæ exigantur in publicis rerum perturbationibus, præsertim si obligationes positivas respiciant. Facile enim ejusmodi juramenta carebunt justitia.

42. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum sit verum juramentum actus ille, qui sub hoc nomine exigitur in tribunalibus italicis?

Resp. Censemus hoc esse negandum; cum juramentum atheum sit absurdum. Etenim vox *Juro* in se non est juratoria. Nec juratoria fit ex interrogatione præsidis; hic enim exigit actum exutum quocumque charactere religioso: nec talis fit ex monitione præsidis ejusdem; hic enim

35) S. Ligorius *Num. 172;* Ball. *63, sequ.*

non potest imponere credentibus intentionem vere jurandi, quam non imponit non credentibus 36. Juramentum esset *per accidens*, si proferens verbum *Juro*, ex erronea conscientia, aut sponte sua vere intendat jurare.

Qu. 2. An sit juramentum dicere « *Occidar* » vel « *moriar, si hoc non est ita* », etc. ?

Resp. Affirmative, si per modum exsecrationis hæc dicantur, ita ut mors propria ex usu communi aut intentione loquentis concipiatur, ut speciali Dei dispositione sibi immittenda tamquam pœna, puta ictu fulminis : secus vero, si concipiatur, ut sibi obventura naturaliter. Ceterum in his communiter deest intentio jurandi.

43. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Utrum jurare liceat cum probabilitate veritatis ?

Resp. Negative. Tamen sufficit certitudo moralis, sive ea probabilitas quæ ad quamdam certitudinem moralem pertingat. Insuper tunc licebit rem jurare ut probabilem.

Qu. 2. Utrum liceat jurare cum restrictione mentali ?

Resp. Negative, si ea sit pure mentalis. Si vero ea sit late mentalis, licebit cum ea jurare, quando eâ uti licitum sit, et insuper habeatur ratio proportionata ad vocandum Deum in testem super rem ea restrictione firmatam. — Juramentum cum restrictione pure mentali caret veritate ; cum restrictione late mentali, sed illicita, caret justitia ; cum restrictione licita, at sine causa sufficienti, caret judicio. — In casu postremo probabile est peccari tantum venialiter 37.

Qu. 3. Quale sit peccatum jurare sine veritate, sine judicio, sine justitia ?

Resp. Primum est semper peccatum mortale, etiam in materia levi. Hoc est proprie *perjurium ;* et est injuria gravissima in ipsum Deum. — Secundum veniale est *per se ;* quia est tantum vana usurpatio Nominis Dei. Excipe, nisi inde periculum fiat pejerandi. — Tertium : *a*) In juramento assertorio, si hoc fiat ad firmandam assertionem veram, at simul alteri injuriosam, habetur peccatum mortale contra religionem : puta, si quis juramento firmet detractionem. Si vero fiat ad assertionem malam firmandam, prout est vera, probabilius peccatum est veniale : puta, si quis juramento se jactaret de patrata fornicatione. *b*) In juramento promissorio, si res proposita aut promissa sit graviter mala, certe peccatum contra religionem est mortale : si sit leviter mala, probabiliter est veniale ; at S. Alphonso et aliis est mortale 38.

36) Cf. Cod. di proced. pen. *a. 297, 299.* — Contra putat Bucc. *Casus Num. 47, 7.*

37) Cf. Lehmk. *Casus 245;* Zanin *936-938.* — De æquivocatione S. Ligorius *Num. 151* et *172, 1;* Ball. *49 seqq.* Apud S. Lig. *153-168*, et Ball. *55* habentur exampla vigintiquatuor.

38) S. Ligorius *Num. 146.* — Cf. *D'Ann. 26, 25;* Ball. *37;* Lehmk. *4ea;*.

§ II. — De efficacia jurisjurandi promissorii.

44. **Principia. I.** Jusjurandum promissorium de re honesta et licita ex vi sua inducit obligationem ex religione implendi propositum vel promissionem juramento firmatam. Juramentum vero de re illicita aut prorsus inutili nullam inducit obligationem; quia religio non potest obligare ad rem malam aut inutilem faciendam.

II. Obligatio jurisjurandi promissorii non mutat naturam actus, cui adjicitur; sed ei superaddit obligationem ex religione. Quapropter, si juramentum appositum fuit contractui, et hic sit invalidus, non fit validus ex juramento.

III. « Jusjurandum promissorium sequitur naturam et conditiones (sive expressas, sive subintellectas) actus, cui adjicitur » [39].

45. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Cum obligatio orta ex juramento spectet ad virtutem religionis, religio autem obliget *sub gravi* in materia gravi, *sub levi* in materia levi, ideo transgressio juramenti promissorii erit peccatum mortale vel veniale, prout gravis vel levis erat materia juramenti, vel prout materia in se gravis violata fuit graviter vel leviter [40].

2.ª Qui juramento simplex propositum firmaverat, si propositum non servet, unicum facit peccatum contra religionem: qui firmaverat promissionem, duplex; unum contra fidelitatem vel justitiam, alterum contra religionem.

3.ª Qui rem malam juravit, juramentum adimplens peccat. Ita si juramentum adjiciatur actui directe vergenti in damnum aliorum aut in præjudicium boni publici vel salutis æternæ.

4.ª Qui promissionem prodigam juramento firmavit, eam exsequi non tenetur; at ad eam partem tenetur, in qua prodiga non sit.

5.ª Parentes, qui non adimpleant juramenta puniendi filiolos, generatim non peccant; tum quia defuerat animus jurandi, tum quia juramentum est de re parvi et sæpe nullius momenti.

46. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis a latronibus pressus promiserit se summam pecuniæ in aliquem locum allaturum, ac promissionem juramento firmaverit, nullum inde jus latronibus obvenit; quare, si intuitu religionis pecuniam eo in loco deposuerit, mox eam resumere licebit.

2.ª Si quis ex metu gravi et injusto sponsalia inierit et juraverit, nulla inde ei oritur obligatio.

3.ª Si juramentum apponatur sponsalibus in se nullis ob defectum

39) Codex *Can. 1318 § 1.*
40) S. Ligorius *Num. 172*, et clarius *Homo apost. V. 13.* Cf. Gen. *305.*

formæ canonicæ, non inde valida fiunt sponsalia; imo ne ipsum quidem juramentum valet.

47. *Ex Princ. III.* — 1.ª Qui juravit se servaturum esse statuta alicujus congregationis, debet ea servare eo modo quo obligant ex se: hinc non ea quæ abierunt in desuetudinem, nec quæ ex decentia aut sub pœna tantum: transgrediens quæ obligant *sub levi* peccat contra religionem leviter.

2.ª Sponsalia jurata solvi possunt mutuo consensu, ut non jurata: imo unus ex sponsis Matrimonium cum tertia persona contrahere potest, si alter a sponsalibus recesserit.

3.ª Non tenetur jurejurando, qui nuptias juravit puellæ virgini et honestæ, si ea in fornicationem et infamiam inciderit.

4.ª Juramenta mercatorum non vendendi minoris, aut pluris non emendi, non obligant: eis enim subest facile conditio « nisi aliter mea intersit ».

5.ª In juramento conditiones hæ facile subintelliguntur: *a*) Si res non evadat illicita aut inutilis; *b*) si potuero sine gravi damno; *c*) si circumstantiæ non fuerint notabiliter mutatæ, præsertim in contractu gratuito; *d*) si superior non contradicat; *e*) si alter fidem reciprocam servaverit; *f*) nisi alter de jure suo cesserit 41.

48. **Quæstiones.** — *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum obliget juramentum, quo firmata fuit promissio irrita ex jure positivo?

Resp. Si ea promissio irrita ita est, ut ejus impletio sit mala utpote contraria bono communi, *negative*. Si irrita est in odium promissarii, *controvertitur*. Quæstio implexa propter casuum varietatem 42.

Qu. 2. Utrum obliget juramentum emissum ex errore vel dolo?

Resp. Si error aut dolus versetur circa rei substantiam, *negative*. Secus vero, si versetur circa adjuncta accidentalia, et agatur de contractu oneroso: ratio est, quia contractus ipse in primo casu invalidus est, non vero in altero. At in contractu gratuito, tum ipse contractus, tum adjectum juramentum carent omni vi obligandi, quoties error vel dolus versetur circa eas circumstantias, utut accidentales, quæ si ab initio cognitæ fuissent, a contractu ineundo deterruissent. Hæc opinio ut probabilis habetur a S. Alphonso.

Qu. 3. An obliget juramentum promissorium per vim aut metum gravem extortum?

Resp. a) Si extorsio injusta non fuit, *affirmative*. « Jusjurandum per vim aut metum gravem extortum valet » 43. — *b*) Si extorsio fuit injusta, adhuc sententia communior affirmat, eique accedere videtur Canon relatus, qui non distinguit. Hæc sententia certa esse videtur in casu, quo juramentum injuste extortum adijciatur actui in se valido: pu-

41) S. Ligorius *Num. 180, 187;* Marc *615;* Noldin *247;* etc.
42) Vide quæ diximus *Lib. II. Num. 406.*
43) Codex *Can. 1317 § 3.*

ta, si quis, post inita sponsalia libere et formâ canonicâ, ab eis recedere velit, et ad ea firmanda juramento injuste extorto adigatur. At, si actus ille nullus erat, juramentum sequitur naturam actus, cui adijcitur [44].

Ceterum tale juramentum a Superiore ecclesiastico relaxari potest.

Qu. 4. Quomodo cesset obligatio juramenti promissorii ?

Resp. Cessare potest, tum causis ipsi juramento intrinsecis, scil., cessante quapiam e conditionibus in proposito aut promissione expressis aut subintellectis; tum causis extrinsecis, scil. interveniente exercitio potestatis extrinsecæ juranti; h. e., aut potestatis dominativæ per *irritationem*, aut potestatis ecclesiasticæ per *dispensationem* [45].

ART. — VII. — De adjuratione

49. *Adjuratio* est « interpositio Nominis Dei, ut inde alius inducatur ad aliquid agendum, omittendum vel concedendum » [46]. Patet adjurationem esse actum virtutis religionis.

Si hæc inductio fit per imperium intimatum alicui inferiori, dicitur adjuratio *imperativa;* si per preces ad superiorem, dicitur *deprecativa.* Utraque, at præsertim prior dicitur *solemnis*, si fit a ministris Ecclesiæ et formâ ab Ecclesia determinatâ, secus vero *simplex* vel *privata.* Item utraque est *directa*, si adjurantur entia intellectualia, nempe dæmones vel homines; *indirecta*, si immediate adjurantur entia irrationalia, ut grando, mare, locustæ, etc.; tunc enim proprie aut adjurantur dæmones, ne per eas creaturas nobis noceant, aut exorantur Deus vel sancti, ut hæ creaturæ nobis non nocivæ, sed utiles fiant.

Adjuratio imperativa contra dæmones fieri debet tantum a ministris Ecclesiæ, cum licentia Ordinarii, et pro causis vere gravibus ac adhibendo formulas ab Ecclesia approbatas. Duæ habentur in Rituali: altera *Tit. X. Cap. I;* altera, a Leone XIII approbata, in *Appendice.*

ART. VIII. — De laude dei

50. *Laus* est « locutio in honorem alterius ». Hæc autem Deo debetur propter ejusdem effectus in nostram utilitatem redundantes, dum adoratio ei debetur propter ejusdem infinitam excellentiam. Ea duplex est: alia *interna* seu *cordis*, alia *externa* seu *oris.* Hæc autem, quæ est laus proprie dicta, necessaria est, non quidem propter Deum, qui est inspector cordium, sed propter nos et alios: propter nos, ut noster internus affectus in Deum magis excitetur; propter alios, ut audientium quoque affectum in Deum provocemus [47]. Addit Doctor Angelicus,

44) S. Ligorius *Num. 174*, ex S. Thoma *Qu. 89 art. 7 ad 3.* — Ball. *78-84.*

45) De extensione facultatis dispensandi in votis ad dispensandum in juramentis, agunt Ball. *Num. 108-112;* Gen. *307.*

46) S. Thomas *Qu. 90;* S. Ligorius *Num. 193*, App. *De adjuratione.*

47) S. Thomas *Qu. 91;* Marc *Num. 594;* Ball. *Sect. I. 71.*

quod ad utrumque effectum perfectius assequendum salubriter institutum fuit, ut in divinas laudes celebrandas cantus quoque assumatur: huc quoque spectat recitatio Horarum canonicarum, quas ministri Ecclesiæ nomine ipsius Deo quotidie persolvunt. Laudi directe opponitur blasphemia.

CAPUT II.

DE PECCATIS RELIGIONI OPPOSITIS PER EXCESSUM

51. Duplici ratione peccari potest contra religionem per excessum; nempe, vel exhibendo vero Deo cultum indebitum, vel exhibendo creaturæ cultum debitum Deo. Hæc peccata per excessum dicuntur a pluribus *superstitio* sensu lato [1].

ART. I. — De cultu veri dei indebito

52. Cultus vero Deo exhibitus potest esse indebitus, non quia Deo plus exhibeat quam ipse mereatur, sed quia exhibeat eo modo, quo non debet. Indebitus autem esse potest, sive quia *falsus*, sive quia *superfluus*. Falsus est ille, qui sit contra jus naturale, vel contra voluntatem Christi, vel contra leges Ecclesiæ. Ejusmodi essent sacrificium victimæ humanæ, observantia cæremoniarum veteris Legis, benedictio cum SS. Sacramento impertita a laico, etc. Superfluus autem est ille, qui sit alienus a consuetudinibus Ecclesiæ. Ita si quis Missam audire vellet sacerdotis, cui nomen *Joannes;* si sacerdos præter rubricas recitare vellet *Gloria* vel *Credo* in Missa votiva, etc.: huc referunt etiam jejunium in Dominicis. Advertunt theologi facilius dari posse causas excusantes a peccato mortali in cultu superfluo, quam in cultu falso: addunt non raro dari etiam posse in utroque ignorantiam vel simplicitatem excusantem quoque a veniali.

Hoc superstitionis genere peccat etiam ille, qui novas devotiones aut novos ritus introducat sine approbatione Ecclesiæ; *a fortiori*, si istæ sint contra usum et sensum Ecclesiæ.

ART. II. — De cultu divino exhibito creaturæ

53. Cultus Deo debitus tribui potest creaturæ dupliciter: nempe *explicite*, et *implicite*. Si exhibeatur priori modo, habetur proprie *idololatria;* si altero modo, *superstitio* stricto sensu accepta.

§ I. — De idololatria.

54. *Idololatria* est « actus, quo explicite tribuitur creaturæ cultus divinus »; hoc autem fieri potest, non solum sacrificio, thurificatione,

1) S. Thomas *Qu. 92-100;* Lessius *Cap. 43-46;* S. Lig. *III. Num. 1-28.*

etc., sed quovis signo honoris, quo quis creaturæ, tamquam Deo, se submittere ostendit, v. gr. genuflexione [2].

Idololatria est *perfecta*, si innititur infidelitati, seu errori intellectus; atque ideo creaturæ cultum exhibet, quia ipsi divinitatem tribuit. Quod si dæmoni aut alteri creaturæ cultum, tamquam Deo, exhibet, non ex errore, sed aut ex odio in Deum, aut cupiditate aliquid obtinendi, dicitur *imperfecta*. Hæc autem est *interna* seu *vera* et *formalis*, si is, qui cultum exhibet, intentionem habet adorandi dæmonem vel creaturam: quod si quis ex metu aut jussu aut intuitu præmii promissi exterius dæmonem vel creaturam adorat, quin intendat interne hoc obsequium præstare, hic idololatriam *simulat*. Datur et idololatria mere *materialis*, quæ ex errore invincibili procedit; v. gr., si quis, putans hostiam esse consecratam, coram ea genuflectat: evidenter hæc non est peccatum.

55. **Principia. I.** Idololatria, sive perfecta sive imperfecta, sive vera sive mere simulata, est peccatum mortale contra virtutem religionis. Patet ex jure naturali, ex primo præcepto Decalogi, et ex praxi primitivæ Ecclesiæ quae idololatriam quamlibet, etiam mere simulatam, peccatis gravioribus accensuit.

II. Idololatria perfecta, præterquam contra religionem, est peccatum mortale contra fidem.

§ II. — De superstitione stricto sensu accepta.

56. Hæc superstitio reducitur ad idololatriam implicitam; quatenus per eam homo, aut petit, aut exspectat effectus quosdam, qui efficientiam cujuscumque causæ naturalis excedunt; simul vero eos, non a Deo petit aut expectat, sed ab ente aliquo præternaturali, h. e., a dæmone, habente vim effectivam ultranaturalem. Ipsa enim petitio ac exspectatio horum effectuum est subjectio erga dæmonem et aliqualis ejusdem adoratio. — De ea statuimus sequentia:

57. **Principia. I.** Quotiescumque effectus aliquis habetur, et causa, quæ ipsum produxisse videtur, non est illi effectui proportionata, dicendum est aliam causam occultam subesse, illi effectui certe proportionatam, aut naturalem, aut præternaturalem.

II. Si causa vera illius effectus sit alia naturalis, diversa ab ea quæ posita esse videtur, habetur ludus, præstigium, impostura, etc. Verum, si talis sit effectus, qui superet vim effectivam cujuscumque causæ naturalis, tunc necessario dicendum est subesse cau-

2) S. Thomas *Qu. 94 art. 3.* Cf. et Suarez *De relig Tract. III. Lib. II. 6.*

sam aliquam præternaturalem, quæ erit vel bona (Deus, Angeli, etc.), vel mala (dæmon).

III. Si ex objecto, ex fine, ex circumstantiis evidens sit effectum illum nec Deo nec Angelis tribui posse, necessario tribuendus erit interventui dæmonis, qui, sive explicite, sive implicite invocatus, sive etiam nullatenus invocatus, intervenit [3].

IV. Si quis talem effectum intendat, quem nec ab ulla causa naturali, nec a Deo aut ab Angelis exspectare potest, hic ipsum petit aut exspectat a dæmone, eidem se subjicit, eique cultum præstat : hæc est superstitio sensu stricto accepta et idololatria implicita. Si dæmonem invocet explicite, habetur peccatum semper mortale; si implicite per usum mediorum evidenter insufficientium, peccatum *per se* adhuc erit mortale, at ab eo dari poterit causa excusans, ut ignorantia, simplicitas, bona fides.

58. **Resolutiones.** — 1.ª Non sunt rei superstitionis circulatores, qui præstigiis, hallucinationibus opticis aliisque artibus subdolis produnt mirabilia; admirationem inde et plausum et obolos a simplicibus captantes.

2.ª Superstitiosum non est observare lunam ejusque phases pro frugibus serendis, arboribus cædendis, ovis fecundatis seponendis, etc.

3.ª Superstitiosus in concreto non est usus virgæ divinatoriæ ad detegendas aquas vel metalla; nisi motus virgæ evidenter pendeat ab imperio ejus, qui eam tenet, vel alterius.

4.ª Nec sunt rei superstitionis, qui numismata vel reliquias Virginis aut Sanctorum deferunt, speciale inde sperantes auxilium in necessitatibus, sive spiritualibus, sive corporalibus: item nec illi, qui preces novendiales, aut alias determinato numero recitant; dummodo tali numero infallibilem effectum non adnectant.

59. *Qu. un.* Quænam sint indicia superstitionis ?

Resp. Indicium essentiale est insufficientia cujuscumque causæ naturalis, ad illum effectum, et impossibilitas quod eum producat causa quævis præternaturalis bona. Si utrumque sit evidens, evidens est superstitio: si alterutrum dubium sit, dubia erit superstitio: in dubio præsumptio erit pro sufficientia causæ naturalis.

Dices: Quid valeant causæ naturales, ex effectibus cognoscimus: ergo ex effectu quantumvis mirabili debemus arguere sufficientiam illius causæ ad hunc effectum producendum.

Resp. Nonnisi experientia novimus quid causæ naturales valeant, *transeat*: nonnisi experientia novimus quid non valeant, *nego*. Aliunde, quam ab experientia, novimus quod mens humana non poterit ut certa

3) S. THOMAS *2. 2. Qu. 96, art. 1;* S. LIGORIUS *Num. 20.*

prævidere futura prorsus contingentia et libera, quod machina non poterit cogitare, meminisse, velle, gaudere, tristari, etc.

Punctum I. — *De superstitionibus antiquis.*

60. Superstitiones olim magis usitatæ, et hodie non prorsus obsoletæ, sunt: *Vana observantia, divinatio; magia* cum *maleficio*.

1.° *Vana observantia* est superstitio, quæ media nec proportionata, nec a Deo instituta, adhibet ad effectum certum obtinendum. Triplicis autem est generis: *Ars notoria*, seu ars acquirendi scientiam sine studio et labore: *ars sanitatum*, seu ars sanandi, non medicinis aut gratiis a Deo impetratis, sed signis variis, vel rebus ut plurimum sacris: *observantia eventuum*, qua quis ex consideratione alicujus eventus fortuiti conjicit id, quod faustum vel infaustum futurum sit.

2.° *Divinatio* est invocatio, sive expressa, sive tacita, dæmonis ad cognoscendas res occultas. Ad eam revocantur *astrologia judiciaria, augurium, necromantia, oraculum, vaticinium*, etc.

3.° *Magia* in hoc tantum differt a vana observantia, quod ejus effectus magis miri sint et extraordinarii. Quod si ea ordinetur ad malum aliquod sive spirituale sive corporale aliis inferendum, dicitur *magia malefica* vel *maleficium*.

Licet frequentes casus fuerint et sint, in quibus sub simulatione harum superstitionum non habentur nisi ludi, præstigiæ et imposturæ ex parte auctorum, hallucinationes et deceptiones ex parte spectatorum, negari tamen non potest earumdem superstitionum realitas, temporibus tum superioribus, tum etiam nostris.

61. **Principia. I.** Superstitiones prædictæ, si fiant per expressam dæmonis invocationem, sive apertam, sive occultam, sunt peccata ex *toto genere suo* mortalia contra religionem.

II. Superstitiones prædictæ, si fiant per invocationem daemonis implicitam, *per se* adhuc sunt peccata mortalia. Tamen dari possunt causæ a mortali excusantes: nominatim ignorantiam malitiæ earumdem, defectus seriæ intentionis obtinendi effectum per interventum dæmonis; insuper imperfectio ipsa superstitionis, quatenus non vera fides habeatur, sed spes aliqua aut timor quod effectus eventurus sit.

III. Si prædictæ superstitiones adhibeantur ad finem nocendi proximo, præter peccatum contra religionem, habetur etiam peccatum contra caritatem et justitiam.

IV. Malitia harum superstitionum specifica, non est in eo quod earum effectus obtineantur, sed in eo quod hi effectus a dæ-

mone petantur aut expectentur. In hoc enim habetur cultus dæmoni exhibitus implicite.

62. **Resolutiones.** — 1.ª Superstitiosum est velle futura libera cognoscere aut saltem conjicere ex somniis, ex sortibus, aut aliis casibus fortuitis.

2.ª Reæ sunt superstitionis et graviter *per se* peccant puellæ, quæ sua futura a vaferrimis feminis (pytonissis) per chartas vaticinantibus exquirunt. Dicimus: *per se;* frequenter enim cerebri vacuitate et non plena fide excusantur.

3.ª Qui cum fundamento suspicetur sibi apposita fuisse maleficia, et, inde timens aliquod sibi malum impendere, eadem removeat aut comburat, non est ullo modo reus superstitionis; sive, quia probabiliter non plenam fidem præstat; sive, quia appositio horum maleficiorum dici nequit impossibilis et absurda. Tamen confessarius non facile ea maleficia credat, nec sinat quempiam ceu maleficum facile traduci; qua in re graviter peccari posse nemo est qui non videat, et experientia ipsa confirmat.

Punctum II. — *De superstitionibus recentibus.*

63. Superstitiones recentes propter quamdam analogiam videntur in duas classes distribuendæ. Ad primam pertinent *Magnetismus* et *Hypnotismus;* ad alteram *Spiritismus* ac *Tabulæ rotantes.*

1.° *Magnetismus* (animalis), ita primo appellatus ab Antonio Mesmer medico vindobonensi (anno 1779), plura sub se comprehendit phænomena, partim quidem imaginaria, partim autem vera. — *Hypnotismus* invectus a Jacopo Braid, tamquam nova methodus ad morbos agnoscendos et curandos (anno 1843), plures cum magnetismo habet similitudines, tum quoad modum inducendi, tum quoad phænomena præcipua. — Magnetismus inducitur communiter attrectatione personæ magnetizandæ a magnetizante; hypnotismus fixione mutua oculorum hypnotizantis et hypnotizandi.

Utriusque phænomena plus minus in tres gradus distribuuntur:

a) *Somnus* in magnetismo, cui respondet *lethargus* in hypnotismo. In hoc statu sensus penitus consopiuntur, multo magis quam in somno naturali. — *b*) *Somnambulismus,* eique respondens *catalepsis.* In eo statu magnetizatus, vel hypnotizatus, usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, et audit, et loquitur, quæ ab eo vult magnetizans vel hypnotizans. — *c*) *Clara visio,* eique respondens *suggestio mentalis.* Magnetizatus in eo statu miram habet sui status cognitionem, morbos tum sui tum aliorum, absentium quoque personarum, eorumque opportuna remedia dignoscit; videt ea, quæ longe peraguntur; literarum nescius legit, et quidem oculis clausis. Hypnotizatus ea omnia novit et exsequitur, quæ ab hypnotizante, aut voce, au quandoque actu voluntatis interno, imperantur, pia et impia profert, etc. Imo suggestiones, post

menses exsequendas, fideliter præfixo tempore exsequitur. — Demum et plura alia sunt affinia vel identica iis, quæ habentur in spiritismo: quoad hæc et quoad plura phænomena suggestionis hypnotismus dicitur etiam *occultismus* 4.

2.° *Spiritismus* sub determinata quadam forma primum se protulit in America circa medium sæculum superius. Spiritista communiter indiget cooperatione alterius personæ, quæ *crisiacum* vel *medium* appellatur; quo officio ut plurimum funguntur feminæ juniores, sæpe anormales, tum physice tum intellectualiter.

Phænomena, alia sunt in ordine physico. Scamnum, in quo medium sedet, aut sponte sua, aut ad imperium spiritistæ elevatur (*levitatio*); utensilia cubiculi e loco suo digrediuntur, in gyrum moventur; concertant, terribiliter obstrepunt; lux apparet subrubea; sonitus et ululatus aures adstantium offendunt: quandoque videntur et sentiuntur manus humanæ genis adstantium blandientes, voces audiuntur, facies et integra humana corpora in penumbra ambulantia conspiciuntur, quæ et sui imaginem in apparatu photographico impressam relinquunt; et alia hujusmodi quamplurima. — Alia phænomena sunt in ordine intellectuali. Femina, officio medii fungens, responsa dat, quæ in statu ordinario certe nequiret: manifestat occulta, distantia, interna; interrogata respondet de rebus medicis, physicis, astronomicis, theologicis, de quibus nihil omnino novit in statu ordinario; sæpe facta enarrat intima et secretissima personarum defunctarum, de quibus nihil umquam audire potuerat 5. Recenter femina analphabeta recte loquebatur, tum sermone italico, tum exteris.

3.° Similia contingunt de *Tabulis rotantibus*. Tabula, aliquando per catenam ex adstantium digitis ad horam appositis, quandoque ad nutum præsidis consessûs, in gyrum movetur, huc illuc discurrit, exsilit, choreas agit; solum pede pulsat, et per signa conventionalia ad propositas quæstiones respondet. Quin imo dicuntur hodie a tabulis fere omnia phænomena passim prodire, quæ habentur in spiritismo.

65. In complexu horum factorum certe plura mala habentur; sive, quia actus, qui adhibentur, obstant modestiæ; sive, quia damna inferuntur valetudini mediorum et personarum, quæ magnetizantur aut hypnotizantur; sive, quia responsa dantur ut plurimum impia, blasphema, hæretica; sive præsertim, quia persona magnetizata, hypnotizata, medium, usu liberi arbitrii privatur ac imperio alterius prorsus subjugatur, sæpe per hebdomadas et menses et ultra. Hinc ex multiplici capite damnanda sunt hujusmodi experimenta.

4) Franco *L'ipnotismo tornato di moda;* Lapponi *Ipnotismo e Spiritismo;* Antonelli *Medicina pastor.* I. *Num. 360-475;* Urgante de Eacila *El espiritismo moderno;* Sebast. *715-177.*

5) Hæc et alia apud Tanqu. *Num. 907-909;* Lapponi *Cap. I, III;* Anton. *343-356;* Noldin *167-170, 743-750,* et alios recentes.

Ab his omnibus reatibus modo præscindentes, indicamus quæ nobis videntur tenenda in ordine ad reatum superstitionis.

65. **Principia.** **I.** Phænomena, quæ habentur in primo et altero gradu magnetismi et hypnotismi, quamquam graviter mala esse possint aliunde, non possunt haberi tamquam certo superstitiosa. Ratio est, quia non certo constat de insufficientia cujuscumque causæ physicæ ad ea producenda. Consequenter nullum erit peccatum ea phænomena intendere et procurare, vel iisdem adsistere; dummodo, et amoveatur periculum malitiæ cujuscumque diversæ a superstitione, et protestatio expresse fiat contra interventum cujuscumque agentis præternaturalis, et insuper gravis causa habeatur [6].

II. Clara visio et suggestio, quales habentur in tertio gradu magnetismi et hypnotismi, vel in occultismo, videntur excedere vim effectivam cujuscumque causæ naturalis: insuper absurdum est ea phænomena tribuere Deo, aut Angelis, aut animabus defunctorum. Ergo phænomena illa sunt gravissimum et moraliter certum indicium interventus diabolici. A fortiori, omnia adjuncta dicunt nonnisi a dæmone haberi posse effectus omnes, quales in concreto habentur in spiritismo et tabulis rotantibus.

III. Quamvis evidenter demonstrari nequeat præternaturalitas omnium horum effectuum, tamen graviter peccat contra religionem, qui hisce mediis eos exquirat aut exspectet; nam certitudo etiam late moralis est recta regula agendi. Insuper iste graviter peccat contra caritatem erga seipsum; cum se exponat gravissimo et fere certo periculo communicandi cum dæmone, qui est infensissimus humani generis hostis, et nihil aliud novit quam mentiri et nocere [7].

66. **Resolutiones,** — 1.ª Generatim arcendi sunt fideles omnes, etiam infirmi, a recipienda hypnotizatione: tamen eisdem non obtemperantibus non est deneganda sacramentalis absolutio.

2.ª Non est ullo modo permittendus accessus ad cœtus hypnoticos vel spiritisticos ex mera curiositate; gravissimum enim habetur periculum conversandi cum dæmone, et quidem sine causa proportionata.

3.ª Ecclesia plenissimo jure prohibere potest interventum ad cœtus

6) S. Off. 16 julii 1899, apud *Monit eccl.* XI. *339.* — Cf. Lehmk. *Num. 994;* Gen. *273-275;* Tanqu. *916;* Ferr *367-369.*

7) S. Off. 30 mart. 1898, apud. *Mon. eccl.* X. II. 30. — Cf. Gen. *Num. 270-277;* Ferr. *loc. cit;* Noldin *170;* Zanin. *979.*

tum spiritisticos tum etiam hypnoticos et magneticos; hoc autem, non modo propter varias species malitiæ, quæ in ipsis ordinario habentur; sed etiam propter periculum veræ superstitionis, quod gravissimum est et certum.

67. *Qu. un.* Quinam sit status hodiernus controversiæ?

Resp. 1.° Relate ad magnetismum et hypnotismum, fere omnes theologi nunc habent ceu naturales effectus primi et alterius gradus; aut saltem eos naturales esse posse existimant 8: de tertio, tacere aut circumloqui malunt, quam suas aperte promere opiniones. Idem plus minus dicendum de phænomenis tabularum rotantium; dummodo excipiantur obsequium ad imperium et responsa ad quæstiones.

2.° Relate ad phænomena spiritismi: *a*) Pneumatologi materialistæ contendunt ea omnia adscribenda esse causis naturalibus, seu viribus materiæ. — *b*) Theologi generatim negant eorum effectuum proportionem cum vi effectiva cujuscumque causæ naturalis, ac proinde omnia adscribunt causæ præternaturali, non Deo aut Angelis aut animabus defunctorum, sed dæmoni: quare spiritismum habent ceu veram divinationem et magiam nigram 9. Hinc jure Sancta Sedes absolute vetuit adsistentiam « locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque,... etiam cum protestatione tacita vel exspressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle » 10. — *c*) Theologi quidam censent causis naturalibus ignotis adscribi posse phænomena, tum ordinis physici, tum ordinis intellectualis, quæ vires adstantium et medii non transcendant: cetera adscribunt agenti præternaturali malo, seu dæmoni. — *d*) Nec desunt qui, etiam hodie post recentiora phænomena contendant evidentem non esse necessitatem causæ præternaturalis ad ea omnia explicanda: iidem advertunt non minoribus difficultatibus premi explicationem ex interventu dæmonis; insuper addunt nec ullam de hac re decisionem doctrinalem S. Sedis haberi, nec ullum decretum disciplinare, quo (præscindendo a reatibus accessoriis) absolute et in se magnetismus, hypnotismus et spiritismus propter certum reatum superstitionis prohibeantur.

Parochi et confessarii caute in docendo procedant; fideles autem ab his spectaculis avertant propter pericula; hæc enim certa sunt.

CAPUT III.

DE PECCATIS RELIGIONI OPPOSITIS PER DEFECTUM

68. Virtuti religionis per defectum opponitur *irreligiositas;* seu quælibet irreverentia, quæ Deo irrogatur, aut immediate in se, aut me-

8) Est casus Thesis primæ de Probabilismo. — Cf. D'Ann. II. *Num. 58, 54.*

9) Palmieri ad Gury *Num. 274;* Noldin. *748-750;* Anton. *414, 415.* — Non ita Marc. *566.*

10) Ferreres *Num. 368;* Alberti *Theol. mor.* I. 117 *Nota 1;* Noldin *169, 170;* Anton. *356-359;* Lehmk. *563.*

11) S. Off. die 25 aprilis a. 1917, apud *Monit. eccl.* XXIX. 248.

diate in rebus cultui divino deputatis. Ex S. Thoma, ad primam classem pertinent *tentatio Dei* et *perjurium*, ad alteram *sacrilegium* et *simonia*. — De perjurio jam diximus, agentes de juramento.

ART. I. — De tentatione Dei

69. *Tentatio* Dei est « dictum vel factum (vel non factum), quo quis aliquid experiri vult de Deo »; puta an sit sapiens, potens, misericors; veluti ab ipso Deo exigens, ut ipse sua attributa exercendo demonstret [1]. Hæc est tentatio Dei *expressa* et *formalis;* a qua differt tentatio *interpretativa*: hæc tunc habetur, cum quis non intendit directe experimentum sumere de Deo; tamen ejusmodi experimentum vult indirecte, expectando specialem Dei interventum vel miraculum sine ratione sufficienti; ita, si sacerdos ad conversionem alicujus peccatoris, sine speciali Dei inspiratione, miraculum promitteret.

70. **Principia.** **I.** Tentatio formalis Dei *per se* est peccatum mortale contra religionem: gravis enim irreverentia committitur contra Deum, ab ipso exigendo, ut sua divina attributa exercendo demonstret.

II. Si tentatio formalis Dei procedat ex dubitatione de aliquo divino attributo, aut de ipsa Dei exsistentia, habetur etiam peccatum mortale ex *toto genere suo* contra fidem.

III. Tentatio Dei interpretativa *per se* est peccatum mortale contra religionem; at, cum procedat ex imprudenti præsumptione de interventu Dei, facile materiæ parvitatem admittit, et excusationem ex ignorantia vel simplicitate [2].

71. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Graviter *per se* peccat ille, qui, realem Christi præsentiam in Eucharistia firmiter credens, postulat ut in Hostia consecrata Jesus sese visibilem ostendat.

2.ª Duplicis peccati mortalis rei erant Judæi, cum Christo crucifixo insultabant: *Si filius Dei es, descende de cruce.*

3.ª Item duplicis peccati mortalis rei sunt *per se*, qui dubitanter dicant: « Si Deus exsistit, si justus est, etc., non debet permittere quod ego hanc persecutionem patiar ».

72. *Ex Princ. III.* — 1.ª *Per se* graviter illicita erant *ordalia*, seu *judicia Dei*, per quæ miraculum a Deo sine ratione sufficienti exspectabatur.

2.ª Ad tentationem Dei sæpe spectabat medio ævo etiam duellum; at hodie enorme est delictum contra quintum Decalogi præceptum.

1) S. Thomas *Qu. 97.* E recentibus clare Tanqu. *Num. 925-928.*
2) S. Ligorius *Num. 29;* Gury *Casus 280;* Lehmk. *Casus 220-222.*

3.ª Non tentat Deum ille, qui a Deo petit miraculum sub conditione, si ei placuerit; quando simul omnia media naturalia adhibuerit, et specialis interventus Dei videatur moraliter necessarius.

4.ª Peccat, qui, morbo præsertim gravi laborans, recusat remedia ordinaria adhibere, confidens se consecuturum esse sanitatem a Deo. Item sacerdos, qui, speciale a Deo sperans auxilium, ad prædicandum accedit imparatus.

5.ª Non tentat Deum infirmus, qui remedia adhibere recusat ex negligentia; item nec sacerdos, qui prædicationem imparatus assumit in sua peritia confidens: ille peccabit contra quintum præceptum Decalogi; hic peccato temeritatis.

ART II. — De sacrilegio

73. *Sacrilegium* est « violatio seu indigna tractatio rei (entis) sacræ ». Nam, « sicut ex eo quod aliquid ordinatur in finem bonum sortitur rationem boni, ita etiam ex eo quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum; et sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur in Deum. Et ideo omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, et habet sacrilegii rationem » 3. — *Sacrum* hic dicitur quidquid ad divinum cultum institutione divina vel ecclesiastica deputatur: potest autem esse persona, vel locus, vel res; quare triplex distinguitur sacrilegium: *personale, locale, reale.*

1.° Personæ sacræ sunt illæ, quæ auctoritate Ecclesiæ ad cultum divinum deputantur, sive per primam tonsuram (clerici), sive per publicam votorum etiam simplicium professionem (regulares et religiosi).

2.° « Loca sacra ea sunt, quæ divino cultui fideliumve sepulturæ deputantur consecratione vel benedictione, quam probati liturgici libri ad hoc præscribunt » 4. Ejusmodi sunt ecclesiæ, oratoria benedicta, cœmeteria aut saltem tumuli benedicti.

3.° *Res sacræ* sunt illæ, quæ in cultum Dei immediate vel mediate ordinantur. Ejusmodi sunt in primis Sacramenta, sacra Scriptura, reliquiæ et imagines Christi vel Sanctorum, vasa consecrata vel benedicta. Insuper, sensu quidem minus proprio, at ad rationem sacrilegii sufficienti, sunt res sacræ et illæ, quæ spectant ad ornatum ecclesiæ, altarium et ministrorum, bona ecclesiastica etiam mobilia, imo et bona penes ecclesiam deposita.

74. **Principia. 1.** Sacrilegium est peccatum ex *genere* suo mortale. Ratio est, quia opponitur virtuti religionis; hæc vero obligat *per se* sub gravi.

3) S. Thomas *Qu. 99, a. 1;* cf. et *a. 3;* Suarez *De relig. Tract. III. Lib. III. Cap. 1. 2;* S. Lig. *Lib. III. Num. 33-48;* Ball. *131;* etc.

4) Codex *Can. 1154.* — De cœmeteriis cf. *Can. 1205 1, 1206* § 2.

II. Malitia objectiva sacrilegii admittit parvitatem materiæ, ut eam admittit obligatio religionis. Erit autem major vel minor, tum ex diverso gradu, quo sacra est persona vel locus vel res, tum ex majori vel minori irreverentia actioni sacrilegæ inhærente, juxta communem æstimationem.

III. Sacrilegia specifice differunt, prout irreverentia personæ, vel loco, vel rei sacræ irrogatur.

75. **Resolutiones.** — 1.ª Irreverentia in personam vel locum vel rem sacram potest esse peccatum mortale, etsi nullam aliam adnexam habeat malitiam: ita choreae, quamvis honestæ, habitæ in ecclesia; item, ex plurium sententia, copula maritalis habita in ecclesia absque necessitate.

2.ª Gravius peccatum committit, qui sacrilege sumit Eucharistiam, quam qui sacrilege contrahit matrimonium. Item gravius peccat sacerdos Missam celebrans in statu peccati, quam in eo statu Eucharistiam distribuens, aut officio diaconi fungens in Missa.

3.ª In profanatione loci vel rei sacræ facile habentur peccata venialia: ejusmodi essent colloquia de rebus profanis in ecclesia tempore Missæ, distractiones voluntariæ in orando, vanitates vel curiositates etc. in ecclesia.

4.ª Si quis sacrilegium grave commiserit, declarare debet num personam, vel locum, vel rem sacram violaverit.

76. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I., II.* — *Qu. 1.* Quibus præcipue actionibus committatur sacrilegium?

Resp. 1.° Triplici præsertim actione committitur sacrilegium *personale;* nempe: *a*) per quamlibet injuriam realem in personam clerici, aut religiosi, etiam laici ac novitii, contra privilegium *canonis; b*) eas personas judicio fori laicalis subjiciendo contra privilegium *fori; c*) luxuriose tractando personas, quæ sacræ sint per votum castitatis: hoc postremum committitur tum ab ipsa persona sacra per actum castitati contrarium, etiam luxuriæ non consummatæ, imo et mere internum; tum ab altera luxuriose cum ipsa agente.

2.° Item triplici ratione committitur sacrilegium *locale*: *a*) criminibus omnibus, quibus ex Jure canonico locus sacer polluitur; *b*) actionibus juri immunitatis contrariis, dummodo fiant intra ambitum internum loci sacri; *c*) peccatis, imo et actionibus *per se* non peccaminosis, quæ speciali ratione sanctitatem loci sacri dedeceant: ejusmodi essent rixæ, mercatus, conclamationes, ludi, etc.

3.° Sacrilegium vero *reale* multipliciter committitur: Speciatim: *a*) profanatione Sacramentorum per eorumdem administrationem aut susceptionem invalidam vel illicitam; *b*) profanatione positiva reliquiarum

Sanctorum, imaginum, sacrorum vasorum, et ornamentorum [5]; *c*) eorumdem incuriâ ab iis, qui ea religiose curare debent; *d*) furto rei sacræ, etiam lato sensu, imo et rei non sacræ, sed in custodiam penes ecclesiam depositæ; *e*) abusu sacræ Scripturæ, ejus verba ad vana vel scurrilia adhibendo; etc.

Qu. 2. Quodnam votum constituat personam sacram in ordine ad castitatem servandam?

Resp. 1.° Ex sententia hodie satis communi, personam sub hoc respectu sacram constituit votum publicum etiam simplex, sive perpetuum sit, sive temporarium.

2.° Utrum vero ad personam sacram constituendam sufficiat votum castitatis privatum, disputatur. Prior sententia *affirmat;* eo quod ad consecrandum seipsum et proprios actus Deo debet sufficere voluntas propria. Altera sententia *negat,* his freta argumentis: *a*) Ex data superius definitione, sacrum dicitur illud, quod ad cultum divinum deputatur publica auctoritate; atqui in casu præsenti publicæ auctoritatis interventus non habetur. — *b*) Ratio formalis, qua persona fit Deo sacra in ordine ad castitatem servandam, non est præcise votum, sed est ordinatio Ecclesiæ, quæ talem personam consecrat in cultum divinum per castitatem; proinde ipsa ratio sacrilegii petenda est formaliter a transgressione constitutionis Ecclesiæ, quæ continentiam ordinat ad cultum Dei [6]. *c*) Quapropter voluntas propria voventis castitatem, sufficiens quidem est ad ejus fidem obligandam, minime vero ad suam personam Deo consecrandam, nisi auctoritas Ecclesiæ intercedat. Consequenter, si quis peccaverit cum persona ligata voto simplici castitatis extra religionem, peccat quidem contra castitatem, at probabilter non peccat peccato sacrilegii.

Tamen ille, qui ligatus voto simplici et privato castitatis, votum violat, præterquam contra castitatem, peccat etiam contra religionem; et ideo hoc sensu minus proprio sacrilegium committit.

Qu. 3. An omnia peccata luxuriæ, in loco sacro commissa, sint sacrilegia?

Resp. 1.° Peccata mere interna, juxta alios, habent etiam malitiam specificam sacrilegii, at levem; juxta alios, ne levem quidem. At desiderium peccandi peccato externo in loco sacro, sive habeatur intra, sive extra, est sacrilegium, cum habeat malitiam objecti desiderati.

2.° Quoad peccata externa, certum est committi sacrilegium per actus consummatos, etiam occultos: nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem, etc. Probabilius idem dicendum quoad alia peccata gravia, actus turpes, etc.; Imo et quoad copulam maritalem.

Qu. 4. An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?

Resp. Certe est sacrilegium omne furtum rei sacræ, et etiam rei

5) Codex *Can. 1306.* — Cf. Gennari *Cons. can. XXXIII.*
6) Cf. Suarez et alios apud Ball. *Num. 135, segg.;* S. Ligorium *47.*

non sacræ, commissæ tamen custodiæ loci sacri. Quoad res, quæ casu in ecclesia reperiuntur, ut crumena, horologium, etc., probabilius ratio quidem sacrilegii habetur, at levis. Imo probabilius malitia sacrilegii, gravis aut levis, convenit peccatis omnibus in loco sacro commissis, præsertim externis.

Sacrilegium non est læsio quorumcumque bonorum ad clericos pertinentium, etiam personalium, ut essent fama et honor.

77. *Circa Princ. III. — Qu. un.* Utrum specifice differant sacrilegia pro diversis modis, quibus personæ aut loco aut rei sacræ irreverentia irrogatur?

Resp. Ex auctoritate S. Thomæ et aliorum doctorum probabile est distinctionem sacrilegii in personale, locale et reale infimam esse, ac proinde infra eam non esse aliam. Hinc probabiliter idem specifice est sacrilegium, si personæ per ordinem sacrum sacratæ irreverentia irrogetur eam pecutiendo, aut ad tribunal laicale trahendo, aut cum ea fornicando: item idem specifice peccatum est SS. Eucharistiam accipere in statu peccati mortalis, vel sacras species pedibus conterere, vel in statu peccati contrahere Matrimonium; etc. 7.

ART. III. — De simonia

78. *Simonia,* a Simone mago sic dicta, definitur « studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale, aut temporale spirituali adnexum » 8. — Dicitur:

1.° Voluntas *studiosa,* idest voluntatis conatus vendendi aut emendi; ut indicetur crimen esse ipsum *studium,* etiam unius partis tantum, etsi contractus non perficiatur.

2.° *Vendendi* aut *emendi*: emptio-venditio, permutatio, etc. accipiendæ sunt pro qualibet conventione (contractu oneroso), licet ad effectum non deducta.

3.° *Pretium temporale* triplicis generis in Jure distinguitur: *a) Munus a manu;* seu retributio rei cujusvis temporalis pretio æstimabilis. — *b) Munus a lingua;* quo nomine veniunt laudes, commendationes, preces, etc., ex pacto interponendæ in favorem conferentis rem spiritualem, aut temporalem adnexam spirituali. — *c) Munus ab obsequio;* seu servitus aut officia alteri præstita, v. gr., famulatus.

4.° *Spirituale*: hoc nomine indicatur res quælibet pertinens quolibet modo ad ordinem bonorum supernaturalium. Talis potest esse, aut formaliter, ut gratia sanctificans; aut causaliter, ut Sacramentum; imo potest esse etiam effectus et usus potestatis spiritualis, ut consecratio, collatio beneficii et quilibet actus jurisdictionis ecclesiasticæ.

5.° *Temporale* potest spirituali esse *adnexum* tripliciter: *a) Antecedenter,* cum temporale est ante spirituale: ut in calice consecrato habe-

7) S. Ligorius *Num. 34;* Ball. *133;* Noldin *176.*
8) Ex S. Thoma *Qu. 100 art. 1;* Lessius *Cap. 35;* Ball. *219-351.*

tur prius calix, dein ejusdem consecratio; *b*) *consequenter*, cum temporale habetur ex spirituali; ut jus beneficii ex cura animarum; c) *concomitanter*, cum utrumque simul concipitur et simul est; ut labor in functionibus sacris. Hujusmodi autem labor adnexus est rei spirituali *intrinsece*, si a re ipsa non sit facile separabilis; secus, adnexum *extrinsece* dicitur. Sic celebratio Missæ est labor rei spirituali intrinsecus; defatigatio extraordinaria, ut cantus, vel dilatio ad meridiem, ad laborem extrinsecum pertinent.

79. *Divisiones.* — 1.° Ex objecto. *a*) Simonia habetur *juris divini*, seu *proprie dicta*, cum quis emere vel vendere studet pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr., sacramenta, ecclesiasticam jurisdictionem, consecrationem, indulgentias, etc, vel rem temporalem rei spirituali adnexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex., gr., beneficium ecclesiasticum, etc., aut res spiritualis sit objectum, etsi partiale, contractus, ex. gr., consecratio in calicis consecrati venditione. — *b*) Habetur simonia *juris ecclesiastici*, seu *minus proprie dicta*, cum dantur res temporales spirituali adnexæ pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiæ erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur [9].

2.° Ex parte subjecti, triplex simonia distinguitur. — *a*) Est *mentalis*, si, nullo pacto interposito, temporale vel spirituale conferatur cum intentione obligandi alterum ad retribuendum spirituale vel temporale: *b*) *conventionalis;* si pactum quidem intercedat, sed nullo modo exsecutioni mandatum sit; si ex una parte tantum, dicitur *mixta*: c) *realis;* si pactum ex utraque parte adimpletum sit, saltem inchoative.

Accedit simonia *confidentialis*, quæ tunc habetur, cum quis in electione vel præsentatione ad beneficia, aut in horum resignatione, ex pacto expresso vel tacito et propria auctoritate aliquid sibi aut alteri reservat circa ipsum beneficium vel ejus fructus: quæ fiat per reservationem fructuum beneficii, juxta quosdam recentes est simonia *juris divini*.

3.° Quoad modum: *a*) Simonia committitur *formaliter*, cum ideo res spiritualis cum pretio temporali commutatur, quia illa tanti valere æstimatur, quanti istud: est vera emptio-venditio et proprie crimen Simonis. *b*) Committitur *virtualiter*, cum res spiritualis, absque prædicta æquiparatione, commutatur cum pretio temporali proxime et immediate, nec adest aliud motivum honestum commutandi: tunc enim æquiparatio habetur virtualiter.

§ I. — De essentia simoniae.

80. **Principia. 1.** Simonia in permutatione rei spiritualis cum pretio temporali tunc habetur, cum illa datur immediate

9) Codex *Can.* 727 § *1, 2.*

et proxime in permutationem istius; adeo ut formaliter, aut virtualiter, fiat quædam comparatio inter valorem illius et pretium. Hinc, si intersit aliquod motivum honestum, veluti intermedium, vi cujus temporale et vicissim spirituale conferantur, simonia non exsistit.

II. Simonia in permutatione rei temporalis adnexæ spirituali cum pretio temporali tunc habetur, cum temporale illud adnexum est spirituali consequenter vel concomitanter intrinsece. Si enim adnexum ei sit antecedenter vel concomitanter extrinsece, jam temporale illud dignum erit pretio; ac proinde pretium cum ipso commutari potest independenter ab ejus connexione cum re spirituali.

81. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui dat obolum puero, ut hic adeat catechismum, non facit simoniam: deest enim commutatio, et intentio imponendi puero strictam obligationem.

2.ª Nec est simonia quod quis quinque francos det sacerdoti, ut hic ad ejus intentionem Missam celebret. Non simonia formalis; quia non dantur ut pretium valori Missæ respondens: non virtualis; quia non dantur in permutationem pro Missa: dantur ut stipendium, ut sacerdos, inserviens altari, vivat de altari.

3.ª Nec simoniam committit, qui dat eleemosynam viduæ, ut hæc pro eo recitet *Salve Regina*. Nullam facere intendit permutationem; intendit recipere eleemosynam spiritualem, faciendo corporalem 10.

4.ª Nec simoniam committit sacerdos, qui se obligat ad Missas viginti celebrandas erga creditorem francorum centum; commutatio enim immediate fit inter stipendia et debitum. Idem dic de eo, qui pro exitu ludi Missam spondet laico exponenti pecuniam.

82. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non est simonia pretium exigere pro vendendo calice, qui est consecratus: at simonia esset exigere majus præcise quia est consecratus. Ita dicatur de vendente rosaria vel numismata benedicta, aut reliquias capsulis pretiosis inclusas, pro valore capsularum

2.ª Non est simonia, nec per se vetitum, exigere stipendium ultra taxatum ab Episcopo, pro Missa celebranda in loco dissito, vel ad meridiem, vel cum cantu.

3.ª Simoniam committit, qui Episcopo promittat se nepoti ipsius munus lucrosum collaturum, si nepoti suo conferat beneficium.

§ II. — De reatu simoniae.

83. **Principia. 1.** Simonia, qua res proprie spiritualis permutetur cum pretio temporali, sive formaliter, sive virtualiter, est peccatum mortale ex *toto genere suo* contra religionem. Sive

10) S. Thomas. *In IV. Dist. 25, Qu. 3, a. 2, qu. 2;* S. Lig. *III. Num. 55.*

enim pretium parvum sit, sive magnum, semper irrogatur gravis injuria rei sacræ. Constat etiam ex verbis S. Petri ad Simonem magum : *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri* [11].

II. Simonia, qua cum pretio temporali permutetur temporale adnexum spirituali consequenter vel concomitanter intrinsece, est peccatum mortale : ubi vero ex adjunctis permutatio proprie dicta non habeatur, absente vero contractu, abesse potest etiam peccatum mortale.

III. Permutatio, quæ fiat contra leges Ecclesiæ inter spirituale et spirituale, vel inter temporale adnexum spirituali et aliud temporale itidem adnexum spirituali, est peccatum mortale contra leges Ecclesiæ; at materiæ parvitatem admittit, dummodo hanc non excludat ipsa lex Ecclesiæ.

84. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Reus esset gravissimi criminis simoniæ Episcopus, qui Ordines sacros alicui conferret, ductus emolumento temporali sibi aut alicui e suis inde obveniente.

2.ª Item reus esset simoniæ, qui pecuniam acciperet pro absolutione a peccatis vel a censuris, aut pro ipsa dispensatione ab impedimento matrimoniali, ab irregularitate, a juramento, etc.

3.ª Reus itidem esset sacerdos ab Episcopo deputatus pro examinandis ordinandis, et vestitionem aut professionem religiosam petentibus, si iisdem pro accepto emolumento votum favorabile daret.

4.ª Non committit simoniam, qui pecuniam principi hæretico solvit, ne ab ingressu ecclesiæ prohibeatur; nec famulus, qui domino partem stipendii remittit, ut sibi liceat sacramenta accipere, Missam audire, etc.

85. *Ex Princ. II.* — 1.ª Graviter peccaret patronus, qui ad beneficium parochiale aliquem sacerdotem præsentaret pro accepta summa pecuniæ vel alio emolumento.

2.ª Non est reus simoniæ, qui patrono aut ejus filiæ vel ancillæ officia prodigit, sperans aliquando futurum, ut ab eo ad beneficium præsentetur; nec reus fit, si per se aut per amicum sua merita eidem exponat.

3.ª « Parvitas oblati muneris excusare etiam a simonia juris divini potest; quatenus res est levis momenti (v. gr., nonnullæ aviculæ, aut rari flores, aut fructuum primitiæ): cum enim apta non sint ad ullam inducendam obligationem.... eo ipso cessat quælibet contractus suspicio » [12].

4.ª Si in vendendo calice consecrato venditor, ultra pretium caliçis

11) ACT. *VIII. 20.* — Alias rationes affert S. THOMAS *loc. cit.* — Quare sæpe simonia dicta fuerit *hæresis*, vide apud LAYMANN *De Simonia Num. 4.*

12) BALLERINI *Num. 244*, et ad GURY *Num. 289, 19.*

ex materia et arte, quidpiam exigat pro ipsa consecratione, quatenus emptor ab incommodo eam procurandi sublevatur, non habetur simonia.

86. *Ex Princ. III.* — 1.ª Immunis est a reatu simoniæ, qui reliquias cum reliquiis commutat; at immunis non est, qui beneficium commutat cum beneficio. Ecclesiæ prohibitio pro casu priori non habetur; habetur pro altero.

2.ª Peccato gravi contra legem Ecclesiæ peccant, qui lucrum captent super stipendia Missarum, sive eorum partem sibi retinendo, sive super ea utcumque negotiando.

3.ª Peccat graviter examinator synodalis, qui vel leve quidquam accipiat a clerico, ut eum ad beneficium parochiale promoveat.

87. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum sit reus simoniæ, qui det temporale, principaliter quidem ob spirituale, at simul etiam ob temporale?

Resp. Cum hic adsit verum studium comparandi sibi spirituale pretio temporali, vere reatus simoniæ contrahitur: motivum enim accessorium non tollit malitiam prioris, propter quod principaliter datur temporale [13].

Qu. 2. Utrum sit reus simoniæ, qui det temporale ad sibi conciliandum Superiorem, intuitu Ordinis sacri aut beneficii obtinendi?

Resp. Affirmative, si Ordo sacer aut beneficium intendatur, non ut effectus gratitudinis, sed ut retributio debita. Secus vero, si intentio primaria sit dandi temporale gratis, non absque spe quod inde Superior benevolus reddatur, et forte, data occasione, aliquod suæ gratitudinis signum aliquando præbiturus sit.

88. *Circa Princ. II.* — *Qu. 2.* Utrum reatum simoniæ incurrat ille, qui ad beneficium obtinendum pecunias dat intercessori, sive immediato, sive mediato?

Resp. Multiplex adest sententia. Quidam, cum S. Alphonso, affirmant in utroque casu simoniam adesse, et quidem juris divini; cum directe via paretur pretio ad beneficium. Alii affirmant, si pecunia detur intercessori immediato; negant, si mediato. Demum alii censent in neutro casu simoniam haberi, sive juris divini, sive etiam ecclesiastici [14]. Hæc sententia certe probabilis est; adeo ut, saltem post factum, possessor beneficii possit illud tuta concientia tenere.

Qu. 3. Utrum sit reus simoniæ, qui pretio se redimat ab injusta vexatione, præsertim circa beneficia?

Resp. Negative; dummodo vexatio vere injusta sit, nempe contra jus jam acquisitum. Ratio est, quia liberatio a tali vexatione est quid temporale, nec per eam via munitur immediate ad beneficium consequendum. Ita a reatu simoniæ immunis est ille, qui dat alteri pecuniam,

13) Confirmatur ex *Prop. 45* damnata ab Innocentio XI, apud DENZIGER *Num. 1195.*

14) Cf. S. LIGORIUM *Num. 64, 65;* D'ANN. III. *198;* BALL. *235, sequ.;* GENN. *Cons. mor. XCII.*

ut cesset eum calumniari apud patronum; dum immunis non est, si ipsi patrono det munera, ut sibi conferat beneficium; in primo casu jus sibi acquisitum tuetur, in altero viam sibi parat ad jus acquirendum. Nec licet pecuniam dare competitori, ut a concurrendo recedat; ejusmodi enim vexatio non est injusta.

Qu. 4. An simoniæ reus sit sacerdos, qui pro Missa stipendium exigit supra taxam consuetam?

Resp. Certe iste peccat contra obedientiam et justitiam. Num peccet peccato simoniæ, negandum videtur: manet enim titulus sustentationis in cujus excessu habebitur quidem vitium avaritiæ, at non simoniæ.

Idem dicatur de eo, qui stipendium majus consueto exigat pro aliis functionibus sacris; ex. gr. pro benedictione nuptiarum, pro concione, pro interventu ad exsequias etc.

§ III. — De poenis contra simoniacos.

89. Indicamus pœnas, quæ sunt *sententiæ latæ;* utpote quæ ad rem nostram pertinent [15]: quæ sunt *ferendæ sententiæ,* apud Canonistas.

Principia. I. Delictum perpetrantes simoniæ in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis, *a*) incurrunt in excommunicationem latæ sententiæ Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; *b*) ipso facto privati in perpetuum manent jure eligendi, præsentandi, nominandi, si quod habeant.

II. Contractus simoniacus, et, si simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates, subsequens provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso; dummodo hoc non fiat in fraudem ejusdem provisi aut eo contradicente.

III. Rei simoniæ in electione Romani Pontificis (proinde etiam Cardinales) innodantur pœna excommunicationis adeo Romano Pontifici reservatæ, ut ne a Majori quidem Pœnitentiario absolvi possint.

90. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Ante quamlibet judicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet; et beneficium, officium, dignitas dimitti.

2.ª Simoniace provisus non facit fructus suos. Tamen, si eos bona fide perceperit, prudentiæ judicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare.

15) Codex *Can. 1435, 1446, 1465, 1488, 2330, 2371, 2392;* etc.

3.ª Renuntiatio officii ecclesiastici simoniace facta, irrita est ipso jure.

4.ª Præsentatio ad beneficium vel officium, labe simoniaca infecta, est ipso jure irrita, et etiam institutionem forte subsecutam irritam reddit.

5.ª Clerici, qui per simoniam ad Ordines scienter promoti fuerint, suspensionem incurrunt Sedi Apostolicæ reservatam.

6.ª Qui committant simoniam confidentialem, peccare quidem possunt, et graviter: at nulla plectuntur *ipso facto* pœna canonica, nisi forte ob reservationem fructuum vel pensionis.

DE SECUNDO PRÆCEPTO

91. Enuntiatur: *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum* 1.

Quamquam vere dici possit duas esse partes in hoc præcepto, affirmativam et negativam, ac priore nobis præcipi ut divinum Nomen honoremus; principalis tamen est altera, imo ipsum præceptum ad prohibitionem reducitur, et quidem duplicem: *Nemo divinum Nomen contemnat; nemo illud assumat in vanum.* Prohibetur nempe maxime et in primis blasphemia, quæ positive contraria est laudi Nominis Dei: prohibetur insuper vana et inutilis pronuntiatio Nominis Dei, quæ opponitur reverenti ejusdem Nominis pronuntiationi. Illa est injuria positiva contra Deum: hæc est irreverentia, seu debitæ reverentiæ defectus.

CAPUT I.

DE BLASPHEMIA

92. *Blasphemia* communiter a theologis definitur « locutio contumeliosa in Deum » 2. — Dicitur: *a) Locutio;* quia communi usu habetur ut vitium linguæ. Ceterum verbis æquivalent sæpe gestus, nutus, scripta; imo ad sensum proprium blasphemiæ sufficit verbum contumeliosum sola mente voluntarie pronuntiatum. Quare blasphemia potest esse tum *externa,* tum *interna;* illa autem tum *verbalis,* tum *realis.* Tamen in odiosis, puta in reservatione, blasphemia accipitur ea, quæ verbis proferatur. — *b) Contumeliosa,* seu injuriosa in nomen Dei, in Deum, in ipsam divinam majestatem. Hinc, licet S. Thomas doceat blasphemiam opponi confessioni fidei, tamen theologi communiter tenent eam directe et *per se* opponi laudi Dei, ideoque virtuti religionis; quamvis dari possit etiam blasphemia, quæ opponatur simul et fidei. Si locutio contumeliosa proferatur animo et intentione inhonorandi Deum, habetur blas-

1) Exod. *XX. 7.* — Cf. Catech. Conc. Trid. *De 2 præc. Num. 3.*

2) S. Thomas *Qu. 13;* Suarez *De relig. Tract. III. Lib. I. 4;* Lessius *Lib. II. 45 Dub. 5;* S. Ligorius *III. 121-132.*

phemia *directa;* si alia intentione, at utendo verbis contumeliosis in Deum et cum advertentia ad hunc eorum sensum, habetur *indirecta.* — c) *In Deum;* « quod enim in homines est contumelia, in Deum est blasphemia » [3]. Hæc contumelia irrogari in Deum potest, tum *immediate,* tum *mediate.* Irrogatur immediate, si afficit ipsum Deum; irrogatur mediate, si afficit ea, quæ speciali ratione sunt Dei, vel specialem cum Deo habent relationem; ut, si proferatur contra Sacramenta, Virginem, Sanctos aliasve res sacras.

Blasphemia, quæ tantum habeat contumeliam in Deum, dicitur *probrosa;* quæ dicat de Deo falsum, *hæreticalis;* quæ malum Deo imprecetur, *imprecativa.*

93. **Principia. I.** Blasphemia quælibet directa est semper peccatum mortale, et inter mortalia gravissimum, tum objective, tum subjective. Mortale est objective; quia contumelia quælibet, in re etiam per se levi, gravissima injuria est in infinitam Dei majestatem. Confirmatur ex sacra Scriptura : *Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur* [4]. « Nihil enim horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum;... omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius est » [5]. Mortale est etiam subjective ; quia ipsa intentio inhonorandi Deum supponit perfectam mentis advertentiam, et importat plenum voluntatis consensum.

II. Blasphemia quælibet indirecta objective est peccatum mortale. Tamen subjective potest esse veniale ex imperfectione advertentiæ et consensus; quin et veniale abesse potest, si aut advertentia mentis ad sensum verborum, aut voluntatis consensus desit omnino [6].

III. Malitia propria blasphemiæ hæc est, ut sit peccatum mortale contra religionem : at, si blasphemia sit hæreticalis, accedit nova malitia contra confessionem fidei; si sit imprecativa, accedit malitia contra caritatem erga Deum.

IV. In judicando de sensu alicujus locutionis attendendum est, non modo ad nativum seu etymologicum verborum sensum, sed etiam, et maxime, ad communem illius locutionis acceptionem. Ex hoc criterio fieri potest, ut quandoque habendæ sint ceu blasphe-

3) Lessius *Op. cit. Lib. II. Cap. 45 Num. 23;* D'ann. *Num. 56, 5-8.*
4) Levit. *XXIV. 16.*
5) S. Hieronymus *In Is. VII. — 19.* Cf. S. Thomam *Qu. 13, art. 13.*
6) S. Ligorius *Num. 127;* D'Ann. *57;* Ball. *Num. 23-29.*

matoriæ locutiones quædam, quae ex sensu nativo seu etymologico contumeliam in Deum non continerent.

94. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Peccato duplici et quidem utroque gravissimo peccant illi, qui ex animo maledicunt aut mortem imprecantur Christo, Virgini vel alicui Sancto.

2.ª Item duplici et *per se* gravissimo peccato peccant qui ex animo dicant: *Deus est injustus. Deus injuste adversarios meos exaltat. Deus me tribulationibus immeritis vexat* et similia. Essent blasphemiæ hæreticales.

3.ª Blasphemia hæreticalis tunc est hæresis, cum quis eam profert noscens et advertens eam esse doctrinæ fidei contrariam, eidemque scienter et pertinaciter adhæret. Prolatio blasphemiæ hæreticalis ex impetu iræ absque ea adhæsione voluntaria et pertinaci non est hæresis; nec proinde obnoxia est excommunicationi 7.

9. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccant *per se* graviter, qui sine animo inhonorandi Deum locutiones proferunt Deo contumeliosas, cujusmodi nimis frequenter audiuntur in Italia. Dicimus: *per se*. Si enim ira aliave passione abrepti ad verborum sensum non plene advertant, a peccato saltem mortali excusari possunt.

2.ª Non tenentur pœnitentes declarare utrum blasphemia fuerit directa an indirecta, utrum in Deum vel in Virginem aut in Sacramenta vel Sanctos, etc. Est enim sententia satis communis inter has non haberi distinctionem specificam: hinc satis est confiteantur se toties blasphemasse 8.

3.ª Qui pravam consuetudinem induerint prorumpendi in verba blasphema, tenentur omnem adhibere diligentiam ad pravam consuetudinem exuendam. Si hoc pro viribus curent, non semper arguendi sunt de peccato mortali, cum ex inveterata consuetudine subito et ferme inviti in ea verba prorumpunt.

96. *Ex Princ. III.* — 1.ª Pœnitentes declarare debent, et confessarii debent interrogare, utrum blasphemia fuerit mere probrosa, an etiam hæreticalis, aut imprecativa. Nam malitiæ essentiali accederent etiam extrinsecæ contra fidem vel caritatem.

2.ª Item pœnitens declarare tenetur, num blasphemiæ hæreticali accesserit error in mente voluntarius contra fidem; num imprecatio fuerit in verbis tantum, an et in corde.

97. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Blasphemia realis est, at gravissima, spuere contra cælum, dentibus in illud frendere, torvos oculos in illud convertere, etc.

2.ª Blasphematoriæ sunt quædam formæ imprecativæ (*managgia...*) in Italia media et inferiori usitatæ, si in Deum, Virginem vel Sanctos proferantur. Secus vero, saltem communiter, si proferantur in pluviam,

7) Codex *Can. 1325, 2314.* — Cf. Noldin *De præceptis Num. 29.*
8) S. Ligorius *Num. 132;* Ball. *19-21;* Arregui *202;* Marc *596.*

ventum, etc.; proferri enim solent ex indignatione in creaturas absque relatione ad Deum. Blasphematoria posset esse hæc imprecatio, si proferatur in grandinem vel terremotum, etc., prout a Deo immitti concipiuntur 9.

3.ª Eamdem blasphemiæ malitiam participare videntur imprecationes in personas sacras (*Morte al Papa! — Morte ai Preti!*): saltem, si inferantur ex odio in sacrum ordinem ac spiritualem dignitatem; secus, si motivum sint personales defectus, sive veri, sive putatitii vel ficti, aut earum personarum ingerentia in res politicas, sociales, œconomicas, etc.

98. **Quæstiones.** — *Circa Princ. IV. — Qu. 1.* An blasphematoriæ sint locutiones vulgares, quibus Nomen Dei, aut Corpus vel Sanguis Christi, aut SS. Sacramentum usurpantur, nullo adjecto verbo contumelioso?

Resp. 1.° Certe sunt blasphematoriæ, si mente blasphema, seu ex contemptu proferantur; item, si ex adiunctis evadant blasphemiæ reales. Idem dicendum *per accidens*, si ex conscientia proferentis tamquam veræ blasphemiæ existimentur.

2.° At non videntur fieri in se blasphematoriæ propter sensum, qui ipsis tribuitur in communi acceptione. — *a*) Testes acceptionis communis circa sensum locutionis, quæ est materia frequens confessionum, sunt in primis theologi morales, qui versantur in locis, ubi hæc acceptio communis esse dicitur. Porro, loquendo de variis regionibus Italiæ, theologi fere omnes, qui in Italia scripserunt a medio sæculo XVIII usque hodie, illis locutionibus sensum blasphematorium non attribuunt 10. — *b*) Fideles, qui has locutiones, et *has tantum*, in ore habent, etsi confiteantur se blasphemasse, si a confessario interrogentur num titulum probrosum in Deum vel Virginem protulerint, communiter negant cum horrore, et quasi de ipsa interrogatione offenduntur. Ergo enormem concipiunt distantiam locutionum suarum a veris blasphemiis. — *c*) Si hæ locutiones blasphemæ essent, non differrent specifice a blasphemiis proprie dictis; non haberetur nisi differentia circumstantiæ aggravantis, esto notabiliter. Ergo, si quis semel SS. Sacramentum frustra nominaverit, semel titulum contumeliosum in ipsum projecerit, bene confiteretur dicens se bis blasphemasse, nihil unum ab altero peccato secernens. Porro hoc videtur sensui communi repugnare.

At: *a*) *Audientes horrescunt!* — Dic melius: *horrebant*. Ceterum horror ille excitatur eo quod irreverentia earum locutionum non sit adeo levis, præsertim, si addatur vehementia in sermone, in vultu iracundia;

9) De conviciis in creaturas agit S. Ligorius *Num. 127, seqq.*; de conviciis in mortuos *Num. 130*, et adjecta *Epistola responsiva*.

10) Giordanini *Istruz. Conf. nov. II. Num. 187*; S. Lig. *124*; Scav. *128*; Ball. *30, 31*; D'Ann. *56, 6*; Frassin. *Nota 32 ad Num. 91*.

adde quod populus noster religiosissimus est. At audientes multo magis ad blasphemias proprie dictas horrescunt, quam ad eas locutiones.

b) Pœnitentes de his confitentur dicendo se blasphemasse! — Hoc ideo faciunt, quia aliud nomen non habent, quo eas locutiones appellent; at hoc non indicat eos existimare illas locutiones esse veras blasphemias. Non raro contingit quod sub ea confessione pœnitentes comprehendant convicia in uxorem vel filios; licet impossibile sit quod in illis conviciis malitiam blasphemiæ in Deum percipiant. Nec abs re erit advertere hanc æquivocationem facile tribuendam esse concionatoribus; qui, contra blasphemias acriter invehentes, non semper clare præmittunt quid sit veri nominis blasphemia.

Qu. 2. An circumstantia, quod quis ea nomina proferat ex ira gravi et cum impetu in creaturas, faciat eas locutiones iracundas et impetuosas esse veri nominis blasphemias?

Resp. Recentes communius post S. Alphonsum negant; quia ira et impetus est in creaturas. Hinc, saltem probabiliter, eæ locutiones non sunt blasphemiæ, et proinde practice ut blasphemiæ haberi non debent. Si fideles (pauci aut plures) sunt in erronea conscientia, doceantur [11].

Ceterum vera habetur blasphemia, si illæ voces animo blasphemandi proferantur. Nam « in peccatis verborum maxime considerandum videtur ex quo affectu aliquis verba proferat » [12]. Attendat igitur confessarius imprimis ad varias pœnitentium circumstantias, ac tunc tantum judicet eos peccasse mortaliter, cum id, omnibus perpensis, certe constat.

99. **Regulæ practicæ.** — 1.ª Caveant concionatores, ne erroneas opiniones mentibus fidelium ingerant. Invehentes, uti par est, contra blasphemias, clare explicent quænam sint locutiones vere blasphematoriæ, ne illi invectivas contra blasphemias facile extendant ad locutiones, quæ non sunt blasphemiæ.

2.ª Confessarii caveant, ne in suo errore confirment aut relinquant pœnitentes, qui ceu blasphemias habent locutiones in se non blasphematorias; præsertim, si videant difficile eos a contracta jam consuetudine retrahi posse. Ceterum earum quoque malitiam inter veniales satis gravem esse ostendant: præ oculis ponant periculum, quod, ab iis non cavendo, facile poterunt in veras blasphemias incidere, scandalum præbere, etc.

3.ª Idem non imponant conscientiam peccati mortalis illis pœnitentibus, qui verba in se blasphematoria proferunt, at obtruncata, corrupta. Pœnitentem hisce tantum assuetum, procurent ab his quoque removere: pœnitenti veris blasphemiis assueto, prius suggerant, ut verba corrumpat; dein ut a corruptis quoque abstineat.

11) S. Ligorius *Num. 124, 130.* Idem dicendum de locutione *Can da Dio*, et similibus. Scavini *266.*

12) S. Thomas *Qu. 72, art. 2*, et *Qu. 76, art. 3.* — Cf. Lehmk. *Num. 371.*

4.ª Iidem omni studio nitantur blasphemiis opportuna et efficacia remedia apponere. Ostendant pœnitentibus horrendam huius criminis enormitatem, majorem difficultatem exstirpandi consuetudinem tempore futuro, scandalum gravissimum. Inculcent, et quandoque pro pœnitentia sacramentali imponant, ut, si quando in blasphemias erumpent, mox aliquam Deo exhibeant satisfactionem, actum contritionis eliciant, precem jaculatoriam recitent, eleemosynam pauperibus largiendam seponant, et similia. Imponant quoque fugam ab occasionibus, præsertim a sociis blasphemantibus, a cauponis, etc.

5.ª Pro concedenda habituatis absolutione non exigant absolutam et formalem promissionem abstinendi a quacumque blasphemia: exigant firmum et efficax propositum; h. e., seriam voluntatem faciendi quantum est in se ad pravum habitum exstirpandum, ad media opportuna et necessaria adhibenda: simul vero et illis in mentem revocent veritatem de fide, quod oranti et facienti quantum est in se Deus non denegat gratiam [13].

CAPUT II.

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI

100. *Vana usurpatio* Nominis Dei consistit in hoc, quod SS. Nomen Dei, sine contumelia quidem, at sine rationabili causa, vel sine debita reverentia assumatur. Hoc autem triplici modo fieri solet; nempe: *a*) ex impatientia, seu ira aut indignatione in creaturas, etiam inanimatas; *b*) ex subitanea alicujus rei aut eventus admiratione, *c*) superflue, ad modum intercalaris, ex levitate aut consuetudine. Hæc vana et irrationabilis usurpatio opponitur excellentiæ hujus SS. Nominis, ex qua nonnisi causa rationabili et cum debita reverentia pronuntiari debet.

Etiam usurpatio vana nominum Virginis aut Sanctorum lædit reverentiam, quæ his nominibus debetur, non modo propter excellentiam Virginis aut Sanctorum propriam, sed etiam propter specialem Virginis et Sanctorum relationem cum Deo; quare horum quoque usurpatio redundat mediate in defectum reverentiæ erga ipsum Deum.

101. **Principium.** Usurpatio vana Nominis Dei, Jesu Christi aut SS. Sacramenti, per se peccatum est contra religionem: lædit enim reverentiam Deo debitam. Quare sacra Scriptura monet: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo* [1]. Tamen in se et spectata quoad verba non excedit peccatum veniale; cum reverentia illa non notabiliter lædatur. Idem cum proportione dicendum est de usurpatione vana nominis B. Mariæ Virginis et Sanctorum.

13) De remediis contra blasphemias, cf. SALVATORI *Op. cit. P. I. Capp. 17-21;* REUTER *Neoconf. Num. 79-82, 161;* SCAVINI *268;* etc.

1) ECCLI. *XXIII. 10.*

102. *Qu. un.* Utrum vana usurpatio Nominis Dei, Jesu Christi, etc. possit umquam evadere peccatum mortale ?

Resp. Id potest contingere tripliciter: *a*) *Per se*; quando ex pravo affectu fiat vera blasphemia interna, aut ex gestibus, nutibus aliisve adjunctis induat rationem blasphemiæ realis. — *b*) *Per accidens;* nempe ex erronea conscientia proferentis. — *c*) *Ratione scandali;* puta, si sacerdos locutiones quasdam graviores coram laicis ex ira et impetuose adhibeat; facile enim audientes paulatim exuent horrorem erga ipsas blasphemias proprie dictas.

103. **Resolutiones.** — 1.ª Locutiones vulgares, quibus Nomen Dei, etc. absque ullo titulo contumelioso usurpatur, practice haberi debent ceu usurpationes vanæ, ac proinde ceu peccata venialia; nisi blasphemiæ sint internæ aut reales, aut tales a proferente existimentur.

2.ª Ad vanam usurpationem Nominis Dei revocandum est juramentum prolatum sine animo jurandi; quod proinde *per se* est tantum veniale.

3.ª Item ad vanam usurpationem nominis Dei revocandum est juramentum de re vera, sed emissum absque rationabili causa; item juramentum, quo firmetur assertio vera ex æquivocatione aut restrictione late mentali, quando æquivocatio aut restrictio fiat extra casum necessitatis aut utilitatis.

4.ª Confessarii arcere debent pœnitentes ab his usurpationibus; tum quia sæpe earum malitia est gravis inter veniales, tum quia sæpe prona via est ab his locutionibus ad veras blasphemias.

5.ª Ex hoc altero capite confessarii arcere debent pœnitentes, præsertim juvenes, etiam a locutionibus per se prorsus indifferentibus, at similitudinem quamdam habentibus cum usurpationibus vanis aut cum veris blasphemiis. Ab iisdem caveant in primis parochi, concionatores omnesque clerici.

DE TERTIO PRÆCEPTO

104. Præceptum tertium Decalogi efficaciori præ ceteris forma enuntiatur: *Memento, ut diem sabbati sanctifices* [1]. De quo ex communi sensu theologorum hæc advertimus: Hoc præceptum juris est naturalis, quatenus præcipit tempus aliquod esse divino cultui sacrandum; est juris positivi divini, quatenus præcipit hoc tempus esse diem unum inter septem; fuit juris cæremonialis, prout statuebat hunc diem esse in hebdomada postremum; tandem juris est ecclesiastici, prout statuit esse primum. Ceterum admittunt theologi omnes Ecclesiam potestate a Christo

1) Exod. *XX. 8.* — Cf. Catech. Conc. Trident. *P. III. Cap. 4.*

sibi collata potuisse hoc præceptum quoad omnes suos respectus adeo determinare, ut hæc determinatio omnibus fidelibus sit norma authentica ad ipsum præceptum observandum, etiam prout est naturale et divinum [2].

Circa tempus, Ecclesia jam ab ævo apostolico decrevit, ut dies Domino sanctificanda sit prima in hebdomada, h. e., Dominica, præsertim ad recolendam resurrectionem D. N. Jesu Christi. Progressu temporis alios dies festos instituit, partim ad recolenda præcipua redemptionis nostræ mysteria, partim ad memoriam honorandam B. Mariæ Virginis ac plurium Sanctorum; quos dies omnes, non secus ac Dominicam, speciali ratione sanctificandos esse decrevit. Circa modum, eadem Ecclesia statuit, ut hæc sanctificatio duobus elementis constaret: altero negativo, altero positivo. Demum a pluribus jam sæculis determinavit, ut dies Domino sanctificandus intelligeretur naturalis; h. e., a media nocte ad mediam noctem sequentem.

CAPUT I.

DE SUBJECTO ET OBJECTO HUJUS PRÆCEPTI

105. **Principia. I.** Præceptum sanctificandi dies festos obligat *per se* et *sub gravi* omnes baptizatos, qui sufficienti rationis usu gaudeant, dummodo septimum ætatis annum expleverint [1]. Gravitas præcepti patet, tum ex ejus objecto et fine, tum ex sensu Ecclesiæ et fidelium.

II. Præceptum sanctificandi dies festos duo importat: *a*) Ut fideles sacrificio Missæ adsistant; *b*) ut ab operibus servilibus et actibus forensibus abstineant. Præter hæc, nihil aliud imponitur vi hujus præcepti. De utroque constat, tum ex doctrina Ecclesiæ in catechismis tradita, tum ex consensu theologorum et ex sensu communi fidelium.

III. Hoc præceptum obligat, non modo singulos fideles, sed et ipsas societates civiles; tum quoad partem affirmativam, tum præsertim quoad partem negativam. Ratio est, quia inter omnes actus cultûs, sanctificatio unius diei maxime rationem habet cultûs publici et socialis, et ad hunc finem Deus unum diem sibi sanctificandum

2) S. THOMAS *Qu. 122 art. 4;* SUAREZ *Tract. II. Lib. II. 4;* S. LIGORIUS *III. 263-332.* — Indoles et historia præcepti NOLDIN *260;* TANQU. *1006-1012.*

1) CODEX. *Can. 12.* — Quinam sint dies festi in universa Ecclesia statuit CODEX *Can. 1247 § 1*: cui accedit declaratio Comm. Pont. 17 febr. 1918 ad III.

2) Cf. TANQUEREY *Num. 59, 1015.*

esse voluit [2]. Accedit, quod absque observantia sociali ipsa observantia individualis pluribus civibus impossibilis evadit.

IV. Præter Romanum Pontificem, a lege communi de observantia dierum festorum dispensare possunt : *a*) Ordinarii pro tota Diœcesi in casu repentino, quo difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni; *b*) item, nedum Ordinarii locorum, sed et parochi, in casibus singularibus justaque de causa, quoad subjectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos [3].

106. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Infideles hoc præcepto non tenentur: hinc fidelibus licebit eisdem opera servilia committere diebus festis exercenda.

2.ª Impeditus die festo a Missa audienda, non tenetur domi recitare preces alias suppletorias.

3.ª Non tenentur fideles adsistere Vesperis aliisve sacris functionibus. Tamen ad hoc hortandi sunt, tum ut perfectiori modo diem festum sanctificent, tum ut ab otio, cauponis ceterisque animæ periculis arceantur.

4.ª Licet Parochi ex lege Ecclesiæ teneantur diebus festis concionem habere, non ideo obligantur fideles adsistere concioni. Attamen teneri possunt *per accidens*, hodie præsertim; nempe, si indigeant instructione necessaria ad fidem et ad christianam morum compositionem: obligatio enim finis inducit obligationem mediorum, quæ sint ad finem necessaria [4].

107. *Ex Princ. III.* — 1.ª Graviter peccant legislatores civiles, qui jus sibi usurpent recognoscendi vel non recognoscendi festa ab Ecclesia instituta.

2.ª Magistratus politici, militares, municipales ceterique omnes officia publica gerentes peccant graviter, si personas sibi subjectas a Missa audienda diebus festis impediant, si eas obire jubeant publica officia, vel eas scholas adire quæ festis recognitis haberi non solent.

108. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Ut parochi dispensent, non requiritur causa gravis sufficiens ad excusandum; satis est haberi causam justam. Casus est alicujus fidelis timoratæ conscientiæ, qui, licet viribus debilis sit, non sine angustia Missa abstineret; vel illius, qui, cum sit in necessitate, non sine angustia laboraret, etc.

2.ª Si causa gravis habeatur, parochus poterit etiam quoad omnes parochianos edicere legem Ecclesiæ non obligare. Ita, si timeatur ne segetes pereant, ne fœnum sectum in prato marcescat, etc., mane edi-

3) Codex *Can. 1245.*
4) S. Ligorius *Lib. III. Num. 208.* — Cf. Scavini *234-236.*

cere potest, ut post Missam auditam metant segetes vel fœnum colligant ac in tutum deferant: non est dispensatio, sed authentica declaratio.

3.ª Confessarii, qua tales, dispensare nequeunt, sive a Missa audienda, sive ab abstinentia a servilibus: tantum declarare poterunt legem Ecclesiæ in casu determinato non obligare, seu causam sufficere ad excusandum.

109. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum hæretici teneantur ad sanctificandos dies festos juxta leges Ecclesiæ catholicæ?

Resp. 1.° Certe tenentur illi, qui nati sunt et educati in sinu Ecclesiæ, etiamsi deinceps voluerint se ab ejus subjectione subtrahere, ut fierent hæretici, liberi cogitatores, vel quavis ratione apostatæ. Ecclesia certe potest et vult eos ad suas leges obligare.

2.° Qui vero nati sunt et educati in sectis hæreticis et eis adhuc adhærent, licet ab Ecclesia obligari possint, tamen probabilis et vix non certa est sententia quod Ecclesia eos obligare non intendat ad eas leges, quæ ad individualem sanctificationem ordinatæ sunt. Accedit, quod hi per harum legum transgressionem subjective non peccant; cum hanc suam subjectionem ignorare soleant.

Qu. 2. Utrum hoc præcepto teneantur pueri qui ad usum rationis pervenerint ante completum septennium?

Resp. Negative. Ceterum expedit, ut parentes filiolos jam a pueritia observationi hujus præcepti assuefaciant; quippe quod iisdem onerosum non est, et simul valde efficax est ad spiritum pietatis eorum animabus infundendum, et sæpe etiam ad merendum.

CAPUT II.

DE PARTE NEGATIVA HUJUS PRÆCEPTI

110. Licet hæc pars negativa, juxta indolem novæ Legis, non habeat omne illud momentum, quod habebat in Lege veteri, tamen certum est ejus obligationem vigere *per se;* h. e., independenter a fine quem habere videretur, ut homines ab operibus profanis exempti vacent divinis. Ratio ejus duplex est: Prior ex parte Dei; quia Deus requievit die septimo, et ei benedixit et illum sanctificavit: altera ex parte hominis, ut, postquam per sex dies laboribus corporalibus ipse occupatus fuit, necessaria quiete fruatur et paullisper ad spiritualia animum convertat.

ART. I. — De operibus vetitis

111. Quoad sanctificationem festorum, opera alia sunt *servilia,* alia *liberalia,* alia *forensia.* — *a*) Dicuntur *servilia* quæ generatim viribus corporis exercentur et corporis utilitati inserviunt; ideoque fieri solent per servos et operarios conductos. — His *b*) opponuntur *liberalia,* quæ generatim peraguntur viribus animi et ad animum excolendum per-

tinent, et ideo ordinarie etiam a personis liberis exercentur. — *c*) Dicuntur *forensia* in sensu proprio, quæ ad forum judiciale pertinent; ex. gr. actores et reos juridice interrogare, testes audire, sententias judiciales ferre, etc. — *d*) His accedunt *forensia* in sensu minus proprio, quæ spectant ad forum mercatorium; ut sunt mercatus, nundinæ, emptiones et venditiones, licitationes, etc.

Operum servilium duæ sunt classes. Quædam servilia sunt *stricto sensu;* ut arare, terram fodere, artes mechanicas exercere, vestes aut calceamenta consuere, etc.: alia *sensu minus stricto;* ut flores arte conficere, variis artibus telam sericam vel lineam exornare, et similia. — Ad rationem operis servilis parum vel nihil confert, quod hac vel illa intentione fiat, quod lucro vel gratis, quod gravi vel nulla vel levi corporis defatigatione. E contra valde in hac re tribuendum consuetudini et communi æstimationi; ex qua sæpe fit, ut opus ex normis traditis servile vel forense, aut etiam stricto sensu servile, ceu tale revera non habeatur, præsertim si gratis fiat [1].

112. **Principia. I.** « Festis de præcepto.... abstinendum est ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimæ consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis aliisque publicis emptionibus et venditionibus » [2]. Hæ prohibitiones per se obligant *sub gravi,* ut constat ex praxi constanti Ecclesiæ, ex communi theologorum consensu et sensu fidelium.

II. Materia gravis, quoad opera servilia, habetur spatium duarum horarum cum dimidio circiter; quoad opera alterutro sensu forensia, gravitas desumitur ex qualitate et gravitate rei, quæ peragitur.

III. Licita sunt opera liberalia. Insuper, excusante quadam necessitate, licita sunt quædam opera servilia ad quotidianum usum, sive personarum, sive domus, sive societatis requisita.

113. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Graviter *per se* peccant agricolæ, sutores, sartores, fabri, textores, qui suis operibus per tempus notabile incumbunt: item, qui in officina typographica præstant opera magis materialia, qui prælum versant, typos componunt, etc.

2.ª Ex communi æstimatione, opus vetitum est die festo piscari, si ad notabile et ordinarium lucrum id fiat; idem alicubi dicendum de venatione: secus, si hæ fiant recreationis causa.

3.ª Peccant graviter *per se,* qui opera judicialia exercent diebus

1) Cf. Genicot *Num. 334;* Frassin. *Nota 39;* Noldin *266.*
2) Codex *Can. 1284.*

festis a civili auctoritate non recognitis : qui sint publici officiales, a peccato excusari possunt ex necessitate obtemperandi ; at non excusantur, qui sponte exerceant opera mercatoria.

4.ª Ex consuetudine, licitum est vendere et emere diebus festis esculenta et poculenta ; alicubi etiam calceamenta, pannos, vestes ; imo et boves, equos aliasve merces, etiam in magna quantitate.

5.ª Licitæ habentur nundinæ, quæ in certum diem festum ab origine institutæ sunt ; item quæ, pro die determinato institutæ, casu incidant in diem festum.

6.ª Illiciti omnino sunt contractus solemnes venditionis, locationis, etc., qui fiant per actus notariles et cum publica auctoritate.

7.ª Vix tolerandæ sunt publicæ licitationes, si constet diebus ferialibus deficere concurrentes : item tolerari potest usus mercatorum ambulantium exponendi et vendendi merces parvi momenti.

8.ª Qui ex consuetudine, sive toleranda, sive etiam legitima, merces exponunt et vendunt diebus festis, ostendere debent aliquo signo se diei illius sanctitatem recognoscere ; sive januam semiclausam tenentes, sive saltem a meridie apothecam claudentes : at, ubi talis consuetudo non exsistit, grave est ejusmodi merces exponere et vendere, tum per se, tum propter scandalum.

114. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non sunt licita per se loquendo opera quædam leviuscula, ut flores vel rosaria aut scapularia conficere, acu pingere et similia ; at peccatum grave in his operibus non habetur, nisi diu ultra tres horas protrahantur.

2.ª His operibus infra tres horas incumbere, nullum erit peccatum, si causa quævis habeatur : in his enim legibus causa levis excusat omnino.

3.ª Non peccat graviter dominus, vel operum assumptor, qui sex famulos aut operarios jubeat laborare per horam, sive simultanee, sive successive : contra hoc præceptum peccarent ipsi, at venialiter ; ipse sex peccatis venialibus cooperaretur, ut mandans.

115. *Ex Princ. III.* — 1.ª Licet diebus festis scribere, transcribere, delineationes artium exarare, notas musicas componere, libros edendos corrigere : hæc enim ex natura sua et communi æstimatione sunt opera liberalia, etiamsi ad lucrum fiant. His plus minus accedunt alia : pingere, operi sculptorio lineas perfectiores affingere et similia.

2.ª Licet ea opera præstare, quæ ex ipso sui objecto sunt immediate et proxime in cultum divinum ordinata ; hæc enim non sunt servilia, eo quod « servire Deo, regnare est ». Ejusmodi sunt : pulsare organum vel campanas, crucem aut vexillum in processione deferre, etc. : quod valet, etsi hæc ad lucrum fiant.

ART. II. — De causis, quibus licere possunt servilia

116. **Principium.** Præterquam ex legitima dispensatione, opera servilia diebus festis licent, si causa justa habeatur.

Hæc autem triplex esse potest : *a*) Pietas erga Deum ; *b*) caritas erga proximum ; *c*) necessitas.

117. **Resolutiones.** 1.ª — Ratione *pietatis in Deum* licent in favorem ecclesiæ indigentis ea opera, quæ directe, quamvis remote, tendunt in cultum divinum : ita licebit gratis conficere paramenta, ornamenta, flores, corporalia et alia hujusmodi 3.

2.ª Eadem ratione licebit hæc opera conficere, ut in favorem ecclesiarum indigentium per piam societatem distribuantur.

3.ª Ut liceant opera quædam graviora, ex. gr., templum ædificare, ejus parietes dealbare, materialia advehere, etc., requiritur certe major necessitas, etiamsi gratis hæc ab operariis præstentur.

4.ª Tantummodo ex necessitate absoluta, et non sine licentia saltem Episcopi, permitti possunt opera, quæ in se sunt prorsus servilia ; ut palatium municipale exstruere, viam publicam sternere, etc. ; quæ ab ædituis ecclesiæ assumantur, ut operariorum mercedes, ex toto aut ex parte, in utilitatem ecclesiæ convertantur 4.

5.ª Ratione *caritatis* permittuntur opera illa, quæ necessaria sunt ad infirmos sublevandos ; ut eos lectica ad publicum hospitium deferre, in balneis adjuvare, etc. : item licebit sepulturam fodere ad mortuum sepeliendum.

6.ª Item licet vestes consuere, quibus induantur pauperes in necessitate communi exsistentes : at laborare, ut laboris pretium in levamen pauperum erogetur, non licet ; nisi agatur de sublevando paupere determinato, qui in necessitate omnino gravi inveniatur.

7.ª Ratione *necessitatis* propriæ excusantur pauperes, qui secus se suosque alere non possunt ; agricolæ, quorum fœnum vel frumentum, nisi colligatur aut vertatur, putresceret ; famuli et operarii ad laborandum coacti, si alium dominum haud facile invenirent ; sartores, a quibus vestes funereæ inopinato exigantur ; omnes, quorum opera incepta sine gravi damno interrumpi non possent.

8.ª Ratione *necessitatis* alienæ excusantur, qui laborant publica aut privata necessitate ; puta operarii ad aggeres fluvii tumescentis reficiendos vel ad incendium exstinguendum ; panifices, qui panem conficere debent ut possint emptoribus satisfecere, etc.

118. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum a prohibitione servilium excusetur ille, qui secus notabile lucrum amitteret ?

Resp. Affirmative, si lucrum notabile sit, et extraordinarium : amissio enim hujus lucri æquivalet damno notabili. At certe non excusantur sutores, sartores, sartrices omnibus diebus festis habitualiter laborantes.

Qu. 2. Utrum excuset ratio vitandi otium ?

Resp. Generatim loquendo, *negative* : aliis enim actionibus licitis otium vitari potest. Verum, si quis aliis modis occupari non possit, et

3) Id minus opportunum habet FRASSINETTI *Man. del Parr. 307.*
4) Cf. TAMBURINI, apud GURY *Casus Num. 355.*

otium probabile periculum inducat peccandi, labores quidam domestici et leviores per aliquod tempus permitti posse viderentur [5].

Qu. 3. Quomodo in hac re se gerere debent confessarii ?

Resp. Longe severiores esse debent, quam in pluribus aliis materiis. Ratio est, quia agitur de peccato sæpe plenissime voluntario, quod originem habet ex neglecta aut contempta Ecclesiæ auctoritate, et ingens scandalum creat, et simul fomes est plurium peccatorum et causa indifferentismi religiosi et absolutæ incredulitatis.

CAPUT III.

DE PARTE AFFIRMATIVA HUJUS PRÆCEPTI

119. Juxta indolem novæ Legis, hæc pars majoris momenti est, quam negativa, et proinde majori studio fidelibus inculcanda. Hæc enim tendit positive in Deum, cujus colit non cessationem ab opere creationis, sed opera humanæ redemptionis: adde, quod per actus cultûs Deus perfectius honoratur, quam per meram cessationem, et quod actus positivi religionis efficacius ad animæ utilitatem conducunt, quam quies. Quin imo et in veteri Lege die sabbati sacrificia offerebantur et divinæ Scripturæ legebantur [1].

ART. I. — De auditione missæ

120. **Principia. I.** « Festis de præcepto diebus Missa audienda est » [2]. Ad hoc autem ut quis huic præcepto satisfaciat, necesse est quod integræ Missæ præsens adsistat præsentia morali; h. e., sufficienti, ut sacerdoti celebranti moraliter uniatur et ab eo sibi accenseri intelligatur, quando ait « *ut meum ac vestrum sacrificium* » etc.

II. Idem habere debet intentionem præstandi actum illum religiosum, qui est adsistentia ad Missam; insuper debet Missæ attendere, seu mentem eidem applicare, adeo ut partes ejus præcipuas saltem in confuso advertat.

III. Demum, secluso privilegio oratorii privati, adsistere debet Missæ, quæ « celebretur sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico, aut semipublico » [3]: at nulla viget hodie vi

5) S. Ligorius *Homo Apost. VI. Num. 23, seqq.*, Gen. *737;* Arregui *443.*
1) Ezech. *XLVI. 4;* Act. *XV. 21.* — Cf. Tanqu. *Num. 1006, 1013, 1019.*
2) Codex *Can. 1248.*
3) Codex *Can. 1249.* — Hisce æquiparantur « ædiculæ in cœmeterio a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectæ ». *Can. 1190.*

hujus præcepti obligatio adsistendi Missæ parochiali vel in ecclesia parochiali.

121. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Præsentia moralis non exigit quod adsistens Missæ sacerdotem videat vel audiat; quare præcepto satisfacere potest, qui stat post altare, post parietem, vel etiam extra ecclesiam; dummodo a ceteris audientibus distantia notabili non sejungatur, et ad partes præcipuas Missæ sufficienter attendat.

2.ª Eo quod fideles tenentur adsistere Missæ integræ (ab ascensu sacerdotis post *Confiteor* usque ad *Ite Missa est*), ideo qui partem levem voluntarie omittit, non vacat peccato veniali.

3.ª Eo quod obligatio audiendi integram Missam est gravis *ex genere suo*, ideo peccatum mortale erit omissio, sive totius Missæ, sive partis notabilis ejusdem [4].

123. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non satisfacit præcepto, qui tempore Missæ moratur in ecclesia, intendens, non Missam audire, sed picturas esaminare vel amicum exspectare, aut organum pulsare: satisfacit, vero si utrumque simul intendat, dummodo sufficientem præstet attentionem.

2.ª Præcepto satisfacit, qui intendit Missam audire ad devotionem, vel ad alium finem, non intendens satisfacere præcepto.

3.ª Qui ingrediantur ecclesiam intentione audiendi Missam, at dein fere toto tempore Missæ aut parte notabili ejusdem dormiant, aut confabulationibus vel alienis cogitationibus omnino distrahantur, aut extasi in Deum rapiantur, adeo ut ad Missam nihil attendant, nec ejus partes præcipuas ullatenus advertant, hi omnes Missam non audiunt, nec præcepto satisfaciunt.

4.ª Sufficientem attentionem præstare possunt, ac proinde præcepto satisfacere, inservientes Missæ, musici, organistæ, eleemoynam colligentes; item qui Breviarium recitant, aut implent pœnitentiam sacramentalem, aut preces persolvunt ex devotione vel ex voto, etc.

12. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quænam pars Missæ sit notabilis, adeo ut ejus omissio sit peccatum mortale?

Resp. Pars Missæ potest esse notabilis, sive ex dignitate, sive ex duratione. — *a*) Ex dignitate, pars certe notabilis est consecratio utraque simul, imo juxta quosdam etiam alterutra, et juxta plures etiam sola communio. — *b*) Ex duratione, habetur tamquam notabilis tertia pars Missæ, sive ab initio, sive in fine, sive partim ab initio, partim in fine [5]. Hinc, qui partem alterutro sensu notabilem omiserit culpabiliter, peccavit graviter; qui inculpabiliter, non peccavit quidem at præcepto non satisfecit, et tenetur suppleve defectum. Qui culpabiliter omisit partem

4) Quia omissiones partiales communiter fiunt ab initio, ideo peccatum erit in negligentia, cujus gravitatem subjectivam æstimare haud semper facile erit. Cf. BALL. *Num. 102;* LEHMK. *Casus 359.*

5) Cf. GENICOT *Num. 339;* NOLDIN *260;* SEBAST. *220, 2.*

levem, peccavit venialiter, at probabiliter supplere non tenetur ne *sub levi* quidem.

Qu. 2. An satisfaciat ille, qui audit duas dimidias Missas ?

Resp. Certe non satisfacit, si audiat simultanee : si vero audiat successive, communius affirmant, modo consecratio et communio reperiantur in eadem Missa. Consequenter, qui ingressus est in ecclesiam post *Sanctus*, debet aut aliam Missam audire, aut hujus reliquam partem audire et ex altera partem omissam supplere.

Qu. 3. An qui ingreditur post consecrationem ultimæ Missæ, teneatur reliqua audire ?

Resp. S. Alphonsus affirmat, cum « sit satis probabile, quod essentia sacrificii in sumptione consistat ». Recentes communius negant ; quia essentia sacrificii jam deest, et obligatio adsistendi partibus non essentialibus est propter essentialem.

124. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* An ad implendum hoc præceptum requiratur attentio proprie dicta, h. e., applicatio mentis ad ea, quæ fiunt a sacerdote ?

Resp. 1.° Certe sanctitas Missæ exigit, ut, qui adsistit, eidem adsistat attente et devote ; quapropter omnis distractio voluntaria certe est peccatum, quamvis leve ; et hoc, etsi auditio Missæ obligatoria non sit. Peccatum vero gravius erit, si confabulatione aliove strepitu externetur ; sive quia gravior tunc habetur irreverentia, sive quia alii ab attentione ac devotione turbantur.

2.° Utrum vero hæc mentis applicatio sit de validitate auditionis Missæ, ac proinde utrum qui distractus sive voluntarie sive involuntarie eidem adsistit, præceptum adimpleat, theologi dissentire videntur. Tamen conveniunt in hoc : ad Missam valide audiendam requiri adsistentiam physicam et simul religiosam ; ad hanc vero, præter intentionem, requiri talem attentionem, qua adsistens saltem in confuso advertat Missam celebrari, ac ita sibi testari possit se Missam audivisse. Qui ergo ita sit distractus, ut nec Evangelium advertat, nec *Sanctus* aut consecrationem, nec audiat campanulam, nec sciat finem esse Missæ, hic in omnium sententia præcepto non satisfecit : at quidam dicunt hunc caruisse attentione proprie dicta, seu interna ; alii caruisse externa 6. — Practice adhortandi sunt fideles, ut pie, attente ac devote huic divino sacrificio adsistant ; quin eis injiciatur conscientia de peccato mortali.

Qu. 2. Utrum quis possit simul sua peccata confiteri, et Missam audire ?

Resp. Affimative ; dummodo nec præsentia corporalis desit, nec sufficiens attentio. Hinc Missam non audit, qui confiteatur in cubiculo vel alio loco dissito aut clauso, ex quo dici non possit Missæ adesse præsens. At, qui confitetur in ecclesia, ut communiter feminæ, potest simul Missam audire, si simul attendat aliquo modo etiam ad Missam,

6) S. Liguorius *Homo ap. VI. 33.* — Aliter Ball. *107*, et alii. — Hæret D'Ann. *124, 44.*

adeo ut ejus partes præcipuas advertat 7. Quare hujusmodi feminæ in praxi inquietandæ non sunt, nec obligandæ ad aliam Missam audiendam.

125. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quodnam sit oratorium publicum, semipublicum, privatum?

Resp. Est oratorium: *a) publicum,* si præcipue erectum sit in commodum alicujus collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, jus sit, legitime comprobatum, illud adeundi; *b) semipublicum,* si in commodum alicujus communitatis vel cœtus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire; *c) privatum* seu *domesticum,* si in privatis ædibus in commodum alicujus tantum familiæ vel personæ privatæ erectum sit 8.

Qu. 2. Quænam personæ satisfaciant præcepto audientes Missam, quæ ex speciali privilegio celebretur in oratorio privato?

Resp. a) Sacerdos celebrans; item et minister inserviens, si inter privilegiatos desit idoneus inserviens. — *b)* Persona vel personæ privilegiatæ, h. e., in Brevi concessionis nominatæ. — *c)* Consanguinei et affines ejusdem vel earumdem usque ad quartum gradum, in eadem domo commorantes. — *d)* Familiares tempore Missæ necessarii, etiam ex mera decentia. — *e)* Quoad oratoria ruri sita, hospites aliquo modo nobiles. — Verum, si nulla e personis principaliter privilegiatis præsens sit, tunc neque licet Missam ibidem celebrare, nec celebrans et adsistentes satisfaciunt præcepto. — Denique attendendum in primis ad terminos privilegii.

Qu. 3. An dominus, impeditus Missam audire in ecclesia, teneatur uti privilegio?

Resp. Plures *affirmant*: hoc vero, non vi privilegii, sed vi præcepti, quod omnes obligat ad Missam audiendam, et proinde etiam ad medium in hunc finem necessarium, si haberi possit sine incommodo gravi 9. Alii *negant,* innixi principio generali, quod nemo uti tenetur privilegio, nec implere præceptum medio extraordinario 10. Nobis præferenda opinio prior.

ART. II. — De causis excusantibus a Missa audienda

126. **Principium.** « Excusat ab audienda Missa quævis causa mediocriter gravis; scilicet, quæ involvit notabile aliquod incommodum aut damnum in bonis animæ vel corporis proprii vel

7) Ratio, quod confitens adest ut reus, non ut offerens non videtur ad rem.

8) Codex *Can. 1188* § 2. De semipublicis *Can. 1192;* eorum privilegiis fruuntur oratoria, licet privata, Cardinalium et Episcoporum ex *Can. 1189.*

9) S. Ligorius *Num. 319;* D'Ann. *127, z6;* Marc. *680.*

10) Ballerini *Num. 138;* Gen. *344, 3;* Ber. *2932;* Noldin *266, 3.*

proximi » [11]. Ejusmodi causæ assignantur quatuor : *a*) Impotentia physica vel moralis ; *b*) caritas ; *c*) officium ; *d*) consuetudo.

127. **Resolutiones.** — 1.ª Ratione *impotentiæ* excusantur ægroti, infirmi ; item convalescentes, quibus iter ad ecclesiam creare posset periculum relapsûs. Si de sufficientia causæ dubitetur et dubium solvi nequeat, non censetur Ecclesia urgere obligationem.

2.ª Excusantur viatores, qui sine gravi incommodo non possent iter interrumpere : at excusandi non sunt, qui ad oblectamentum itinera diebus festis suscipiunt, parum vel nihil de Sacro curantes.

3.ª Item excusantur illi, qui damnum temporale subire deberent, pro sua conditione satis grave : pariter et illi, qui amittere deberent lucrum relative notabile et non ordinarium.

4.ª Ratione *caritatis* excusantur, qui adsistant infirmo, aut opem proximo ferant in incendio, alluvione, tempestate, etc.

5.ª Ratione *officii* excusantur matres et nutrices, quæ nec possunt puerulos relinquere, neque secum ducere ; item custodes domorum vel gregum, famuli, opifices et gerentes officia publica aut privata, qui tempore Missæ non possint suum locum deserere, saltem si de casu raro agatur.

6.ª Ratione *consuetudinis*, ubi viget, excusari possunt puerperæ, quo tempore solent domo non exire ; item sponsæ diebus, quibus earum nuptiæ in Missa proclamantur, si ea tantum Missa habeatur ; ita et vidua, filia, soror personæ defunctæ, saltem per unam vel alteram Dominicam.

7.ª Generatim admitti potest « excusari ab audienda Missa quempiam, quando tale timet incommodum, propter quod omitteret, vel omitti prudenter solent alia negotia alicujus momenti [12].

128. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quænam distantia excuset a Missa audienda ?

Resp. Supponendo quod agatur de itinere pedestri, cui nullum aliud accedat incommodum ex parte personæ, viæ aut tempestatis, excusat distantia trium miliarum, h. e., iter unius horæ cum quadrante. — Incommodum hoc inservire potest ceu norma ad cetera incommoda rite æstimanda.

Qu. 2. An excusentur officiales publici, viarum ferrearum vectores et conductores, opifices, famuli et alii, quorum munus ordinarie cum auditione Missæ componi non potest ?

Resp. Quousque sunt in eo munere *affirmative*. Ratio est, quia ad suum munus exsequendum tenentur ex justitia, cujus obligatio prævalet obligationi præcepti ecclesiastici. Verum lex ipsa Ecclesia obligat ad removenda ea impedimenta, quæ observationi legis adversantur, si id

11) S. Ligorius *Num. 324.* — Plura Marc. *680* ; Zanin. III. *1526.*
12) Ballerini *Num. 145* ; Gen. *343*, et Casus *112-118.*

fieri possit absque incommodo gravi. At insuper, si agatur de tali munere, in quo numquam vel fere numquam possibile sit Missam audire, videntur ejusmodi officiales, etc., in conscientia teneri ad ipsum munus dimittendum, etiam cum incommodo gravi: hoc autem, non vi præcepti Ecclesiæ, sed « ne omnino silvescant ». Constat enim experientia hujusmodi homines, ab initio quidem vix et ægre animo Missa abstinere; at progressu temporis suæ miseræ conditioni assuescere, omnemque religionis sensum exuere, ac tandem in incredulitatem dilabi. Porro nullum incommodum poterit detrimentum fidei compensare.

Non censemus hos officiales teneri ad Missam quandoque audiendam vi præcepti Ecclesiæ, aut vi præcepti divini [13]: potius, si omnino non possunt officium dimittere, censemus eos teneri ad Missam quandoque audiendam diebus ferialibus, « ne omnino silvescant ».

DE QUARTO PRÆCEPTO

129. Primum secundæ tabulæ præceptum sic effertur: *Honora patrem tuum et matrem tuam* [1]. Hoc præceptum per se spectat officia, quæ ex virtute pietatis filii debent parentibus; simul vero et per consequens officia subditorum erga eos, quos ceu locum gerentes parentum habere debent, ratione potestatis, dignitatis, utilitatis, vel muneris et officii. Insuper occasione hujus præcepti theologi agunt etiam de officiis parentum et quasi parentum erga filios et subditos; imo et de mutuis officiis inter conjuges, consanguineos, etc. Omnia enim hæc officia directe vel indirecte originem habent ex virtute pietatis.

CAPUT I.

DE OFFICIIS FILIORUM ERGA PARENTES

130. Virtus, quæ filiis hoc præcepto imponitur, est *pietas*. Hæc vero definitur « virtus moralis, adnexa justitiæ, quæ determinat officia hominis erga principium ortus sui » [1]. Quapropter pietas, postquam Deo, proprie debetur parentibus; ex analogia debetur patriæ, per quam parentes nobis dare potuerunt ortum convenientem et congruam educationem; per quamdam extensionem debetur consanguineis, quibuscum ortum plus minus communem habemus.

Titulo pietatis, filii tria debent parentibus: *amorem, reverentiam, obedientiam;* juxta triplicem relationem, qua parentes sunt filiorum *procreatores, superiores, educatores* et *domus rectores*. Amorem debent

13) Hoc alterum censet LEHMKUHL *Num. 367* et *Casus 364*. — Cf. GEN. loc. cit.: medium tenet TANQUEREY 1036.

1) EXOD. *XX 12*. — Cf. CATECH. Conc. Trid. *P. III. Cap. 5.*

1) S. THOMAS *2. 2 Qu. 101;* LESSIUS *De just. et jure II. 46 Dub. 1;* S. LIG. *III. Num. 333-335;* BALL. II. *VI Sect. IV.*

perpetuo, etiam parentibus defunctis; reverentiam eis debent perpetuo, at secundum quod illi sibi sunt superiores; obedientiam eis debent quousque et secundum quod illi sibi sunt educatores et familiæ rectores. Tria hæc officia differunt specifice inter se; quare et differunt peccata iisdem opposita: at uno actu violari possunt omnia.

ART. I. — De amore parentibus debito

131. **Principia. I.** Filii debent parentibus amorem, non solum communem ex virtute caritatis, sed specialem ex virtute pietatis. Ratio est, quia quidquid sunt et habent, postquam a Deo, sunt et habent a parentibus.

II. Hic amor debet esse, tum internus, quo filiali cordis affectu eos diligant; tum externus, quo filialis benevolentiæ signa eisdem exhibeant, et iisdem in necessitate constitutis pro sua facultate subveniant.

132. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ad amorem erga parentes titulo pietatis tenentur etiam filii illegitimi.

2.ª Odium (et omissio amoris) contra parentes est peccatum specifice diversum ab odio contra proximum in genere.

3.ª Graviter peccant contra pietatem filii, si malum aliquod grave parentibus exoptent, aut de eo gaudeant; si exoptent leve vel de levi gaudeant, peccare possunt venialiter. At neutrum habetur, si desiderium vel gaudium non sit contra ordinem caritatis parentibus debitæ.

133. *Ex Princ. II.* — 1.ª Graviter *per se* peccant filii, qui absque justa causa gravem inferant parentibus tristitiam etiam indirecte; puta eos vel eorum monita non curando, officia religionis ab eis proposita negligendo, a piis traditionibus familiæ deviando, etc.

2.ª Pietas exigit, ut, si parentes sint in extrema necessitate, filii eisdem subveniant, posthabendo quoque uxorem et filios.

3.ª Item pietas exigit, ut pro viribus debeant parentibus in necessitate gravi constitutis suppeditare necessaria ad vivendum satis convenienter. Imo in hoc casu prohiberentur filii ingredi religionem, etiamsi ad id voto sese obstrinxerint.

4.ª Graviter peccant filii, si omnem curam non adhibeant, ut parentes infirmitate gravi aut periculosa laborantes Sacramentis aliisque religiosis subsidiis adjuventur: rei autem fierent gravissimi criminis, si, sub prætextu falsi amoris, positive hoc impediant.

5.ª Item graviter *per se* peccant, si parentibus vita functis exsequias et cetera Ecclesiæ suffragia eorumdem statui et conditioni congruas non procurent.

ART. II. — De reverentia debita parentibus

134. **Principium.** Filii ex virtute pietatis parentibus debent specialem reverentiam; tum internam, qua eos sibi superiores ex animo habeant; tum externam, qua internam superioritatis recognitionem verbis et factis juxta morem regionis et familiæ conditionem profiteantur [2].

135. **Resolutiones.** — 1.ª Peccant graviter filii, si parentes injuriose percutiant, quamvis leviter; imo etiam si animum percutiendi verbis, nutibus, gestibus ostendant.

2.ª Item graviter peccant, si, licet non ex corde, eis maledicant, eos contumeliis aut improperiis afficiant: excipe, nisi leviora hæc sint, aut ex quadam levitate aut rusticitate dicantur, et ea parentes non graviter ferant [3].

3.ª Plus minus peccant filii, si parentibus non exhibeant ea signa honoris, quæ secundum mores regionis et conditionem familiæ exhiberi communiter solent; gravius certe peccant, si hæc recusent studiose.

4.ª Item peccant, si eos pauperes, rudes, incultos erubescant; nisi forte id necessarium videatur ad incommoda proportionate gravia evitanda.

5.ª Non peccant, saltem graviter, filii, si reprehendant parentes ebrios, hebetes, bonorum familiæ consumptores, etc.: imo ne leviter quidem peccant, si ea reprehensio ad bonum ipsorum aut familiæ necessaria esse videatur [4].

ART. III. — De obedientia parentibus debita

136. **Principia. I.** Filii obedientiam debent parentibus in iis, quæ spectant ad eorum curam et bonum familiæ. Ratio est quia parentes a Deo constituti sunt filiorum educatores ac tolius familiæ rectores.

II. Tunc filii peccant contra obedientiam, cum parentes suam voluntatem imponendi verum præceptum ostendunt, sive verbis aut factis, sive pœnis appositis. Tunc vero peccant graviter, cum et se velle obligare *sub gravi* parentes ostendunt, et gravis est materia præcepti.

2) Titulo *reverentiæ* parentibus, imo et ceteris consanguineis debitæ, pietas prohibet etiam ne ea, quæ ad venus pertinent, cum iisdem fiant.

3) S. Ligorius *Homo apost. VII. Num 2;* Frass. *Nota 45.*

4) Debito honori non parum apud nos detrahit usus alloquendi patrem et matrem formâ secundæ personæ numeri singularis.

137. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Filii ætate majores aut emancipati *per se* non amplius tenentur ad obedientiam: at, si in domo paterna remanent, tenentur patrifamilias obedire in iis, quæ ad ordinem domesticum præcipiuntur. Filii minores non emancipati, seu proprie filii, tenentur insuper et ad ea, quæ præcipiuntur ad curam et educationem ipsorum spiritualem et corporalem 5.

2.ª Filii graviter peccant *per se*, si recusent obedire parentibus prohibentibus prava consortia, popinas, lectiones periculosas, interventum ad cœtus antireligiosos vel immorales, adscriptionem ad societates suspectas, etc.; multo magis, si recusant Missam audire die festo, a carnibus abstinere diebus vetitis.

3.ª Graviter peccant filiæ, quæ, frustra obnitentibus parentibus, cum procis conversantur, amasios solæ alloquuntur, libros heroticos legunt, etc.

4.ª Filii et filiæ peccant, si contra præceptum parentum diebus festis a functionibus vespertinis abstineant, si Sacramenta per longum tempus omittant: num graviter, vel leviter, definire haud facile est.

5.ª Filii obedire prohibentur parentibus in iis, quæ mala sunt, etiam leviter tantum. Constat enim per se, quod oportet obedire magis Deo, *quam hominibus.*

138. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non peccant contra obedientiam filii, quoties parentes non intendunt imponere verum præceptum, sed exponere tantum consilium aut desiderium: forte peccare poterunt contra amorem vel reverentiam.

2.ª Filii non obedientes, præsertim si juniores sunt, facile a peccato mortali excusantur; tum ex levitate aut inadvertentia sua, tum quia parentes non intendunt plerumque obligare *sub gravi.*

3.ª Non peccan filii, si, cum debita reverentia, obedire renuant in iis, in quibus parentes non habent jus præcipiendi 6.

4.ª Graviter peccant filii, etiam in materia levi, et forte contra duo vel tria officia, si obedientiam parentibus recusent ex contemptu auctoritatis eorumdem, protestantes se nolle eisdem subjacere.

139. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum filii teneantur obedire parentibus in electione status?

Resp. Ex communi doctorum sententia, *negative.* Excellentia enim ultimi finis exigit, ut homo quoad vitam stabiliter in illum dirigendam debeat esse omnino sui juris et ab ipsis parentibus independens. Attamen a statu aliquo definitive eligendo et amplectendo prohiberi filius potest *per accidens;* nempe, si parentes in gravi necessitate inveniantur, eisque succurrere filius non possit, nisi apud ipsos manendo.

Qu. 2. — Utrum filii et filiæ possint statum religiosum amplecti, invitis aut etiam insciis parentibus?

Resp. Ex modo dictis *affirmative,* excepto casu necessitatis gravis

5) Génicot *Num. 348, et Casus 120-122.*
6) S. Thomas *Quodl. II. art. 9* et *2. 2. Qu. 104. a. 5.*

parentum 7. Imo, si prævideant eos sibi injuste obstituros, opportunum erit susceptum consilium eisdem celare et divinam sequi vocationem. Verum hodie, si sint ætate minores, impediri possunt a parentibus vi legum civilium, quæ hujusmodi jus in illos parentibus tribuunt.

Qu. 3. An, et quatenus, filii teneantur obedire parentibus relate ad Matrimonium?

Resp. a) Non tenentur, saltem ordinarie, juxta voluntatem parentum Matrimonium contrahere, vel a contrahendo abstinere. — *b)* Nec ordinarie tenentur eam puellam ducere, vel illi juveni nubere, quam vel quem imponere volunt parentes. — *c)* Tenentur non ducere eam puellam, vel non nubere illi juveni, quam vel quem parentes prohibent; dummodo hi justam causam habeant prohibendi: in dubio, tum a filiis, tum multo magis a confessariis, causa præsumenda est justa. Ceterum in praxi necesse quoque est attendere ad leges civiles: quæ, licet per abusum, tamen *indirecte* attingere possunt obligationem conscientiæ.

CAPUT II.

DE OFFICIIS PARENTUM ERGA FILIOS

140. Pietas, præter officia filiorum in parentes, dicit etiam officia parentum in filios; eo quod parentes propter naturalem generationem debent in filiis recognoscere, et quidem practice, communicatam illis a se propriam substantiam. Hæc autem officia duo sunt: *amor* et *educatio;* et hæc tum *corporalis*, tum *spiritualis*. Amor debetur perpetuo; utraque educatio quousque filii indigent.

ART. I. — De amore filiis debito

141. **Principium.** Non modo ex virtute caritatis, se etiam ex virtute pietatis, parentes filiis debent specialem amorem benevolentiæ, adeo ut nihil post Deum sibi carius habeant [1]. Hic amor debet esse efficax: ut, quantum in ipsis est, eorum bonum procurent iisque in omnibus prospiciant; insuper debet esse ordinatus, juxta ordinem ipsum bonorum, quæ sunt filiis procuranda.

142. **Resolutiones.** — 1.ª Graviter contra officium amoris peccant parentes, qui filios, aut quempiam illorum (puta ex priore Matrimonio) injusto odio prosequuntur, aut ex animo mala gravia inferunt, aut imprecantur.

2.ª Graviter peccant parentes, qui filios dure et aspere tractant

7) Codex *Can. 542, n. 2.* — Cf. Noldin *Num. 288;* Lehmk. *Casus 473.*

1) Motiva naturalia et supernaturalia apud Tanquerey *Num. 951, 952.*

habitualiter, adeo ut hi facile pervideant odium in corde parentum latere; item, qui uni præ aliis absque justa causa notabiliter favent.

3.ª Peccant parentes, qui, ne filios constristent, omnes eis laxant habenas, plenam concedunt independentiam, pecunias forte concedunt prævidentes eos his male usuros esse.

4.ª Non est contra ordinem caritatis quod majoris benevolentiæ signa exhibeant filio pio, morigero, laborioso, quam alteri arroganti, procaci, inerti; neque quod in testamento ex justa causa filios præferant filiabus, aut viceversa.

5.ª Amor, eo ipso quod fundamentum habet naturalem generationem, prout internus est, extendi quoque debet ad filios illegitimos et spurios; prout est externus et ad temporalia refertur, comprehendere certe debet alimenta, saltem juxta conditionem illius parentis, qui est conditionis inferioris.

ART. II. — De educatione corporali

143. **Principia. I.** Parentes filiis procurare debent necessaria ad vitam pro tempore, quo filii iisdem subduntur; tum a conceptione, caventes quidquid fetui obesse potest; tum a nativitate, eis providendo victum et habitationem statui et conditioni suæ convenientem.

II. Iisdem providere quoque debent pro tempore futuro; tum assem familiarem conservando et moderate augendo; tum pro more regionis et conditione familiæ eos arte aliqua, aut litteris, aut professione instituendo; adeo ut filii etiam post mortem parentum, aut suam ab eorum potestate exemptionem, convenienter vivere possint.

144. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Peccant feminæ gravidæ, quæ necessariam suo statui diligentiam non adhibent in cibis et potibus opportunis eligendis, in recreationibus et laboribus periculosis evitandis; item et mariti, qui gravidas uxores non curant; multo magis si contristant, percutiunt vel laboribus immodicis gravant.

2.ª Peccant conjuges, qui absque sufficienti cautela infantulos secum tenent in lecto; aut eos non custodiunt a periculis ex aqua, igne, animalibus, etc.

3.ª Peccant contra pietatem patres, qui una alterave die in cauponis consumunt quidquid in hebdomada lucrati fuerant, nihil curantes necessitates filiorum et uxoris.

145. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccant contra pietatem parentes, non solum, si bona sua dilapident, ita ut filios egenos relinquant, sed etiam si curam moderatam non adhibeant acquirendi bona filiis relinquenda.

2.ª Item peccant, qui negligunt suos filios litteris aut arte aliqua

instruere, ut etiam post mortem propriam illi possint vitam ducere, suo statui convenientem.

3.ª Nec minus peccant parentes humilioris conditionis, qui liberos ingenio mediocres studiis litterarum applicant; horum enim hic solet esse exitus, ut dein manualem laborem artemve dedignantes, frustra ad altiorem gradum aspirent, et sibimetipsis, familiæ, civitati onerosi fiant.

146. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum mater teneatur filios proprio lacte nutrire?

Resp. Sententia satis communis *affirmat;* cum id ipsa natura postulare videatur. Tamen hæc obligatio non censetur gravis esse; imo et a levi obligatione excusare dicitur, non modo necessitas, sed et notabilis utilitas, imo et consuetudo (utique non laudanda) apud nobiles familias vigens. In eo casu mater certe tenetur nutricem sibi substituere, quæ, qualitatibus physicis et moralibus eminens, nulli periculo esse possit proli nutriendæ 2.

Qu. 2. An graviter peccent parentes, qui prolem recens editam ad portam hospitii vel in ecclesia aut alio publico loco exponunt?

Resp. Generatim *affirmative*, propter gravissima pericula, quæ proli imminere possunt. Excusantur vero, si spem fundatam habeant quod ea proles generositate piorum a morte præservabitur, et insuper ad hoc adigantur ineluctabili necessitate; cujusmodi esset impossibilitas alendi, et etiam infamia vel alia mala subeunda, præsertim matri.

147. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum peccent parentes, qui dotem denegant filiæ volenti Matrimonium contrahere vel ingredi monasterium?

Resp. Affirmative, si hoc faciant absque legitima causa; secus, *negative*. At, si filia contrahere velit Matrimonium, quod parentibus merito displicet, hi tenentur dare tantum alimenta, et quidem in casu, quo filia ea sibi procurare non possit. Si filia ingredi velit monasterium, dum parentes adsistentia ipsius vere indigent, non tenentur ejus desiderio assentire; ideoque jure possunt ei dotem denegare, quousque necessitas perdurat.

ART. III. — De educatione spirituali

148. **Principia. 1,** Parentes tenentur suos filios recte instituere et dirigere in iis, quæ ad vitam æternam consequendam necessaria sunt. Ratio est, quia ipsa vita corporalis in vitam spiritualem et æternam ordinata est; ideoque, eos procreando, onus sibi susceperunt eis præstandi media in hunc finem necessaria. Ad hoc vero duo potissimum pertinent: *recta doctrina* et *correctio*. Itaque:

II. In primis curare debent, ut filii gratia Baptismi quampri-

2) S. Ligorius *Num. 336;* Gé. *350;* Ferr. *467;* Noldin *294.*

mum regenerentur; dein, aut per se, aut per idoneos institutores, debent eos in recta fide instituere, et ad cognitionem et amorem Dei et observationem mandatorum ejus informare: simul vero a quocumque pravæ institutionis periculo prohibere.

III. Iidem tenentur filios monitis, consiliis, maxime vero exemplis in via recta continere; eos autem errantes corrigere, ac devios opportune corripiendo et puniendo in viam rectam revocare.

149. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Per se graviter peccant parentes, qui filios ad scholas neutras seu (hibrida voce) areligiosas et proprie atheas mittunt [3]: ubi vero id nullo modo vitari possit, gravissima obligatione tenentur pericula per se proxima opportunis remediis reddere remota, præsertim curando ut filii haustos in scholis errores per idoneos magistros dedoceantur.

2.ª Si scholæ adeo depravatæ sint, ut periculum nullis cautelis fieri possit remotum, parentes omnino absolvi non debent, donec filios ab iis non revocaverint.

3.ª Idem dicendum est de parentibus, qui suos filios committunt officinis, in quibus gravia animarum pericula habeantur, aut requies festiva non servetur.

4.ª Caveant sedulo, ne pueri et puellæ a sexennio in eodem lecto decumbant, imo ne in eodem quidem cubiculo, nisi convenienti repagulo istæ ab illis dividantur. Item parentes neque illos neque istas in suum thorum admittant.

150. *Ex Princ. III.* — 1.ª Parentes peccare possunt, non modo si correctionem aut correptionem omittant, sed etiam si non recte faciant. Itaque correctio sit prudens, conveniens indoli filii, data tempore et modo opportuno; alter parentum non destruat, quod alter ædificat. Correptio sit moderata, culpis proportionata, et, quoad fieri potest, moralis; ceterum, *qui parcit virgæ, odit filium suum* [4].

2.ª Peccant contra pietatem patres et matres, qui filiolos suos doceant aut adhortentur furari, mentiri, sacerdotes irridere, ceteris pueris aut senibus imprecari, et similia.

3.ª Graviter et dupliciter peccant parentes, qui, filiis advertentibus, Dei et Ecclesiæ præcepta negligunt, obscena loquuntur, in blasphemias aut imprecationes erumpunt: certe enim filii hæc omnia ediscent.

151. **Scholion.** — *De obligationibus inter ceteros consanguineos*: 1.° Obligationes majorum erga descendentes, nempe avorum erga nepotes, cum debita proportione eædem sunt ac parentum erga filios. Debent ergo amorem titulo pietatis; educationem vero debent, si defi-

3) Codex *Can. 1374.* — De hisce plura habent recentes; Ferr. *465;* Gén. *352;* Tanqu. *963 sequ.;* Noldin *296 sequ.;* Arregui *228, 2.*

4) Prov. *XIII. 24.* — S. Ligorius *Instr. catech. I. Cap. 4*

riant parentes. Sæpe defectum parentum supplet lex civilis, dato tutore vel curatore.

2.° Descendentes erga ascendentes remotiores, nempe nepotes erga avos, tenentur ad amorem et reverentiam; tunc tantum eis debent obedientiam, cum avi curam nepotum gerunt.

3.° Fratres et sorores tenentur ad mutuum amorem, non tantum ex communi præcepto caritatis, sed etiam ex virtute pietatis; adeo ut odium inter has personas habeat specialem malitiam, et quidem *per se* gravem contra pietatem. — Insuper debent sibi invicem opem ferre in necessitate, nedum extrema, sed etiam gravi 5.

4.° Cum debita proportione, similes ad invicem obligationes habent ceteri consanguinei collaterales: at forte in peccatis odii violatio pietatis non addit malitiam *per se* gravem super peccatum contra caritatem. — Ad affines pietas in hoc officio extendi non videtur.

CAPUT III.

DE MUTUIS OFFICIIS CONJUGUM

152. Officia conjugum, magis quam ex pietate, originem habent ex justitia; h. e., juribus sibi ad invicem traditis in ipso contractu matrimoniali. Ex his, quædam sunt utrique communia, quædam propria viri, quædam uxoris. — De iis, quæ sunt stricte conjugalia, dicemus suo loco.

153 **Principia. I.** Conjuges tenentur se mutuo amare, amore speciali præter debitum caritatis erga proximum, eo quod *duo* sunt *in carne una;* insuper debent societatem conjugalem inter se habere, cohabitare et sibi ad invicem debitum reddere.

II. In particulari, vir, utpote caput mulieris et rector familiæ, debet uxorem dirigere, tum in iis quæ spectant ad bonum ejusdem spirituale et corporale, tum in iis quæ spectant ad rectam familiæ gubernationem.

III. Uxor tenetur marito, utpote superiori, reverentiam exhibere; item ei, utpote sui et familiæ rectori, obedientiam præstare, præsertim in iis, quæ ad rem domesticam pertinent.

154. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Odium unius conjugis in alium peccatum est specifice diversum a peccato odii contra proximum in genere.

2.ª Maritus graviter peccat, saltem *per se*, si uxorem negligat, de-

5) S. Ligorius *Num. 340, 946,* et omnes theologi recentes.

spiciat, ut servam habeat; gravius vero, si, eâ posthabitâ, suas attentiones alio convertat.

3.ª Uxor officio amoris deest, si non curet maritum ad officia religionis compellere, a ludis et cauponis aliisve periculis, præsertim ab aliis feminis, avertere. Graviter vero peccat, si absque gravi causa ipsum ad iram et blasphemias provocet; item, si absque fundamento eum ceu infidelem suspicetur et arguat, de eo detrahat, ei mortem vel alia mala gravia imprecetur.

155. *Ex Princ. II.* — 1.ª Vir curare debet, ut uxor vitam morigeram et christianam agat, et filios recte instituat; eamdem sua officia negligentem adeo prudenter et mansuete corrigere debet, ut inde pax mutua non dissolvatur.

2.ª Idem diligenter administrare debent tum bona communia, tum uxoris dotalia: imo et de paraphernalibus uxoris curam habere debet; ita tamen ut, dum uxoris jura ab extraneis tuetur, iisdem non præjudicet ipse pro se.

156. *Ex Princ. III.* — 1.ª Uxor graviter peccat *per se*, si maritum verbis probrosis compellet, irrideat, subsannet; gravius, si eum probris et irrisionibus filiorum exponat.

2.ª Item graviter peccat, si marito obedientiam recuset in rebus honestis et ad bonum familiæ necessariis aut valde utilibus.

3.ª Confessarii non facile credant querimoniis uxorum. Melius est quod, omni controversia de veritate querimoniarum sepositа, uxoribus commendent patientiam, mansuetudinem, orationem et majorem sollicitudinem ad obsequia suis viris præstanda; saltem ad majus in cœlis præmium sibi comparandum.

CAPUT IV.

DE OFFICIIS FAMULORUM ET OPIFICUM

157. *Famuli* dicuntur illi, qui mercede conducuntur ad sua officia in familia domini præstanda; quapropter ad familiam pertinent, et sunt domestici. *Operarii* sunt illi, qui conducuntur ad operas suas in utilitatem alterius præstandas, sive ad tempus determinatum, sive ad opus vel ejus quantitatem: hi vero nullatenus de familia computantur.

158. **Principia. I.** Famuli suis dominis præter amorem, debent reverentiam, tamquam superioribus; iisdem obedientiam debent in iis omnibus, ad quæ aut explicite aut implicite sese vi contractus obligarunt.

II. Operarii conducti, sive ad tempus, sive ad opus, tenentur integre et fideliter exsequi id, quod domino vel assumptori libere et juxta æquitatem promiserunt.

159. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Famuli peccare possunt etiam graviter, si dominis aspere et insolenter respondeant, si in eos verbis contumeliosis utantur, etc.

2.ª Plus minus pro qualitate materiæ peccant famuli, qui absente domino otientur, aut opus impositum male exsequantur; qui res sibi creditas negligant, perdant aut quovis modo deteriores faciant.

3.ª Ancilla culinaria non peccat *per se*, si renuat officia cubiculariæ aut janitricis obire; quod si ad hæc cogatur, jus habet ad compensationem. Idem de casibus similibus dicendum.

4.ª Peccant famuli, qui negotia secreta familiæ aut internas discordias extraneis referunt, aut quavis ratione de suis dominis detrahunt.

160. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccant operarii, si ad tempus conducti otientur vel opus assumptum male aut non juxta pacta exsequantur, aut quovis modo rebus et negotiis dominorum noceant.

2.ª Item peccant, si, abutentes domini necessitate, pretium ultra justum exigant, si ad suas rationes tuendas vim adhibeant aut seditiones foveant; item, si injuste cessent ab opere, sive singuli, sive plures ex condicto.

161. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum famuli teneantur res domesticas custodire, ideoque impedire ne ab aliis auferantur aut vitientur?

Resp. Certe tenentur ex caritate, qua familiam domini ceu quodammodo suam habere debent. Insuper tenentur ex justitia famuli illi, qui ad munus custodiendi res domesticas conducti fuerunt; ideoque, si suo officio desint culpabiliter, ad restitutionem tenentur. Qui vero conducti fuerint ad laborem communem, non videntur ad hoc obligari ex stricta justitia, maxime si non agatur de his rebus custodiendis ab extraneis.

Qu. 2. Utrum famuli, accipientes mercedem inferiorem operibus a se præstitis, possint seipsos occulte compensare?

Resp. Supponendo mercedem realiter inferiorem esse pretio infimo, distinguendum est: *a*) Si famulus mercedi justæ renuntiavit, sive ab initio libere de ea mercede conveniens, sive in decursu servitii opera sponte faciens ultra conventionem, certe seipsum compensare non potest: nullum enim jus ad mercedem per se justam acquisivit. — *b*) Si ipse ab initio de justa mercede convenerat, nec eidem ullo modo renuntiavit, sed aut dominus opera ulteriora ei imponit, aut pactam mercedem integram solvere recusat, famulo certe licitum est sese occulte compensare. — *c*) Quod si jam ab initio famulus in pretium inferius justo consenserat pressus necessitate vivendi, tunc videndum est, num dominus eo famulo aut alio paris conditionis indiguerit, ejusque tristi conditione abusus fuerit; an vero, eo non indigens, ipsum ex mera misericordia condixerit. In priori casu, famulus ad mercedem justam jus acquisivit; minime in altero: in casu priori se usque ad eum limitem compensare potest; in altero non potest. — Neque obstat *Prop. 37* ab Innocentio XI damnata:

hæc licitam faciebat compensationem, quoties famuli suam operam *judicant* majorem stipendio: porro « nemo judex in causa propria »; adde quod opera *major* a famulo fieri potuit arbitrio suo.

CAPUT V.

DE OFFICIIS DOMINORUM ERGA FAMULOS ET OPERARIOS

162. **Principia. I.** Domini tenentur cum famulis jutum pretium pacisci, pactumque suo tempore solvere; insuper eos debent humane ac benigne tractare, bona spiritualia ipsis procurare, alimenta sufficientia præbere, infirmorum curæ convenienter providere.

II. Domini præter ea, quæ operariis debent ex justitia proprie dicta, plura eis debent ex caritate et æquitate. Non debent eis plus operis et laboris imponere, quam ætas et sexus et vires ferre valent; insuper revereri in eis debent dignitatem humanam in ordine, tum naturali, tum supernaturali: eos ut homines, non ut mancipia, tractare, ac efficere ut christiani hominis officia implere queant et impleant.

163. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si famulus ad longius tempus conductus, infirmitate brevi, puta ad hebdomadam, laboret dominus nihil de stipendio detrahere debet; quin et debet eum domi curare, licet expensis famuli. Secus, si infirmitas diuturna sit; nisi famulus a longissimo tempore serviens jam sit in familiam cooptatus.

2.ª Peccant domini, qui famulis tempus non concedunt accedendi convenienti frequentia ad sacramenta, adeundi catechesim christianam; gravius vero peccant, qui impediunt ne Missam die festo possint audire, qui cogunt legem abstinentiæ violare; qui eos adesse jubent spectaculis aut cœtibus irreligiosis vel immoralibus, etc.

164. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccant domini et operum assumptores, qui, excepto casu gravis necessitatis, compellunt aut permittunt operarios opera sua præstare diebus festis.

2.ª Item peccont, qui stipendium vel pretium justum promissum non solvunt, aut sine motivo sufficienti notabiliter differunt.

CAPUT VI.

DE OFFICIIS SUPERIORUM CIVILIUM

165. *Superiores civiles* hic intelliguntur, non modo qui in societate supremam habent potestatem, ut sunt Imperatores et Reges, sed et qui habent participatam, ut ministri, senatores, deputati, præfecti, syndici,

consiliarii, et in genere magistratus. Obligationes, quæ plene et absolute competunt Principibus supremis, eædem cum debita proportione competunt etiam inferioribus. Quorum omnium obligationes sunt quasi ex pietate, eo quod quasi-patres sunt respectu subditorum.

166. **Principia. I.** Superiores civiles, sive supremam, sive participatam, habeant potestatem, in ea exercenda normam sibi præfigere debent legem divinam, tum naturalem, tum positivam [1]. Ratio est, quia hi omnes potestatem regendi habent a Deo, eaque uti debent secundum divinam voluntatem.

II. Iidem suis subditis debent amorem; ideoque imperium habere, non herile, sed quasi-paternum. Omni studio promovere debent bonum publicum, tum vigilanti legum exsistentium custodia, tum novis legibus sancitis, tum recta administratione justitiæ. Nam publicum bonum est finis auctoritatis civilis.

III. Iidem tenentur religionem (utique veram) et bonos civium mores tueri ac promovere. Quamvis enim finis auctoritatis civilis sit subditorum prosperitas temporalis, tamen ipsi subditi ordinati sunt ad felicitatem æternam; et insuper ipsa temporalis eorum prosperitas tuta ac firma esse non poterit, nisi religone et bonis moribus fulciatur.

IV. Qui in statu formâ repræsentativâ constituto potestatem legiferam participant, senatores ac deputati, consiliarii municipales aut provinciales, officium suum fideliter et juxta conscientiam exsequi debent. Hinc habere debent scientiam œconomicam et socialem suo muneri proportionatam, et suis consultationibus et suffragiis bonum commune, tum morale, tum materiale pro viribus curare [2].

167. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II., III.* — 1.ª Peccant Principes ceterique Superiores, si publicis officiis viros improbos aut ineptos præficiant; si bonum proprium, aut alicujus personæ, aut cujuspiam classis intendant, bono publico prætermisso.

2.ª Item peccant, si subditis tributa excessiva imponant, aut singulorum statui non proportionata; si delinquentes debitis pœnis non plectant, aut plectant excessivis.

3.ª Peccant, et quidem gravissime, si in suo regimine nullam religionis rationem habeant, sectis irreligiosis libertatem ac favores impen-

1) Leo XIII Encycl. *Immortale Dei* 1 nov. 1885, *Libertas* 20 jun. 1888.
2) Cf. Noldin *Num. 310;* Tanqu. *996;* Genn. *Cons. mor. CLIV.*

dant, separationem status ab Ecclesia tueantur; atheam juventutis institutionem foveant ac promoveant [3].

168. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Peccant senatores, deputati ac municipiorum consiliarii, qui sine gravi causa omittant sessionibus interesse, præsertim si res magni momenti pertractanda sit; multo magis peccant, si legibus aut deliberationibus adversis religioni, justitiæ ac bonis moribus favorem præstent, sive suo dato suffragio, sive omisso.

2.ª Iidem, nedum graviter peccant, sed et teneri possunt ad restitutionem in solidum, si positive favorem præstent legibus aut deliberationibus læsivis justitiæ commutativæ.

CAPUT VII.

DE OFFICIIS CIVIUM ERGA SUPERIORES CIVILES

169. Cives erga Principes ceterosque magistratus habent speciales obligationes ex virtute pietatis, quatenus isti patriam repræsentant; ad patriam vero pietas refertur, eo quod per eam parentes nobis dare potuerunt ortum et convenientem educationem [1].

170. **Principia. I.** Cives principibus ceterisque magistratibus debent specialem amorem et reverentiam; cum eos habere debeant ceu quasi-patres et dignitate superiores. Hinc S. Petrus ait: *Deum timete; Regem honorificate* [2].

II. Maxime vero eis debent obedientiam in rebus justis et honestis ad bonum publicum pertinentibus. Principes enim habent a Deo potestatem ferendi leges obligantes in conscientia. Hinc S. Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo.... Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* [3].

III. In regionibus forma repræsentativa constitutis, cives illi, qui jure electivo gaudent, *per se* tenentur *sub gravi* ad electionem idoneorum deputatorum suo suffragio concurrere; cum a deputatis bonum spirituale et materiale civium plurimum pendeat. Excipe, si quis causa gravi a suffragio in favorem idonei deputati ferendo im-

3) Plus IX Encycl. *Quanta cura* die 8 dec. a. 1864.

1) S. Thomas *2. 2. Qu. 101, art. 1;* Lessius *Op. cit. Cap. 46, 3.*
2) I. Petr. *II. 17.* — Cf. Leonis XIII Encycl. *Diuturnum* 29 junii a. 1881
3) Rom. *XIII. 1, seqq.* — Cf. et I. Petr. *II. 13-15.*

pediatur : vel ipse concursus ad urnas ex motivis ordinis superioris illicitus habeatur [4].

IV. Nemo potest ullo modo favere electioni candidati aperte religioni et juribus Ecclesiæ adversantis, intendens eum in suis pravis finibus adjuvare; vix quandoque licebit ei favere indirecte, ex necessitate vitandi mala majora.

171. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Graviter peccant cives, qui obedire recusant legibus justis et honestis: leges autem habendæ sunt justæ et honestæ, nisi contrarium constet.

2.ª Gravius adhuc peccant, non modo contra officia erga Principes, sed etiam contra bonum publicum, qui seditionem concitant, aut doctrinas subversivas, sive voce, sive scriptis, propugnant et evulgant.

172. *Ex Princ. III.* — 1.ª Præscindendo a casu ecclesiasticæ directionis prohibentis, rarus casus est, quo cives ab officio electorum exercendo excusentur: certe non excusantur amore otii, timore displicendi amicis, studio vitandi controversias aut malevolorum irrisiones, nec generatim probabili sui suffragii inutilitate.

2.ª Ab exercendo jure electivo excusari quis potest, si grave ei obstet impedimentum; puta, quod famulus indignationem heri sui incurrat, quod operarius ab officina dimittatur, quod inquilinus a domo expellatur, etc.

173. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Non videtur de gravi damnandus, qui suffragium det pro candidato impio ex timore gravissimi mali: ejus enim cooperatio ad leges vel deliberationes iniquas est mere materialis [5].

2.ª Graviter peccant, non modo domini, officiales, operum assumptores, qui suis subditis suffragium ferendum imponant pro impiis candidatis; sed etiam proxenetæ, qui lucri cupiditate eisdem suffragia conciliant.

3.ª Si optio inter duos tantum datur, quorum unus sit altero pejor, licebit minus indigno suffragari, dummodo aut publica aut personali electoris protestatione constet id unice fieri ad mala majora evitanda.

4.ª Quæ dicuntur de eligendis deputatis, eadem dicenda sunt de suffragiis pro eligendis, tum consiliariis provincialibus et municipalibus, tum administratoribus in quacumque societate electiva.

174. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum aliquando liceat auctoritati civili non obedire?

Resp. Numquam ei obedire licet in iis, quæ sunt contra legem naturalem, divinam aut ecclesiasticam. Nam *obedire oportet Deo, magis*

4) De his fuse PALMIERI apud BALL. IV. post *Tract. IX. 640;* GEN. *359;* LEHMK. *799, seqq., Casus 453, seqq.* OJETTI ad v. *Electio;* GENN. *Cons. mor. CLII;* VERM. *Quæst. de just. 85-96.*

5) GENNARI *Cons. mor. CLII;* MARC *2287;* FERR. *485;* GEN. *l. c.*

quam hominibus. In ceteris vero, quæ licita in se sunt et ad civilem pertinent auctoritatem et sunt ad bonum publicum ordinata, obediendum est Principibus, etsi hi atheismum legaliter et politice profiteantur, vel sint gentiles, hæretici, vel utcumque mali; imo etiamsi per se sint Principes illegitimi; at talis sit rerum publicarum conditio, ut de facto ordo politicus legitimus impossibilis evaserit.

Qu. 2. Utrum cives teneantur solvere tributa a statu vel a municipio imposita?

Resp. Certum est auctoritatem civilem habere potestatem imponendi tributa obligatoria in foro conscientiæ: constat ex ipsa natura et fine societatis civilis; et confirmatur ex verbis Christi: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Verum, ut lex tributaria obliget *de facto,* necesse est, quod ea justa sit ratione, tum causæ, tum modi, tum proportionis; et insuper, quod auctoritas civilis vere intendat obligare. Porro quoad primum: admittunt omnes tributa, præsertim hodie, aliquâ e prædictis conditionibus adeo communiter carere, ut in dubio de eorum justitia præsumi debeant injusta 6. Quoad alterum: doctrina est satis communis apud theologos et usu hominum timoratæ conscientiæ confirmata, quod legislatores non intendant imponere obligationem in conscientia; non modo quoad tributa *indirecta,* sed etiam quoad *directa;* ejusmodi ergo leges essent mere *pœnales.* Hæc autem opinio hodie magis invaluit, cum nimis aperte legislatores fere ubique proclament se a quacumque obligatione conscientiæ præscindere 7.

Hinc: *a*) Nulla est obligatio indicandi bona vel lucra, pro quibus determinanda sunt tributa; munus est enim officialis tributarii hæc omnia investigare. — *b*) Non peccant notarii, qui in conficiendis instrumentis venditionis minorem notant valorem, quam de quo reapse conventum fuit. — *c*) Qui qualibet arte vel fraude tributa saltem non integra solverunt, peccare quidem potuerunt aliunde, at ad restitutionem non tenentur; tamen, si tributum aut mulctam jam solverunt, seipsos occulte compensare non possunt, nisi de injustitia tributi aut mulctæ certo constet.

Attamen: *a*) Exactores, qui suum munus rite non obeunt, peccant contra justitiam commutativam, et ideo ad restitutionem erga fiscum tenentur. — *b*) Contra eamdem justitiam, et simul contra caritatem, peccant illi, qui exactores corrumpunt: hi quoque ad restitutionem tenentur, ut cooperatores; imo ut principalis, si usi sunt violentia aut minis. — *c*) Qui habitualiter et quasi ex arte vectigalia defraudant, generatim peccant graviter; tum, quia se exponunt periculo decertandi etiam armis adversus vectigalium custodes; tum, quia periculo gravissimorum malorum se suamque familiam committunt.

6) Ita autumabant veteres apud S. LIGORIUM *Num. 615-617.* — Quid hodie?
7) Cf. D'ANN. *Num. 580-582;* GEN. *572-575;* BALL. I. *De Leg. 146-156* LEHMK. *981 585;* GENN. *Cons. mor. LXXVII.* Forte præceptivæ sunt leges tributariæ quoad tributa *directa* in regionibus Austriæ et Germaniæ: ita NOLDIN *315.*

Qu. 3. Utrum obligent in conscientia leges, quæ jubent cives in militiam conscribi ?

Resp. Opinio est satis communis theologorum, ejusmodi leges habendas esse ceu mere pœnales; quod probant, tum ex gravitate pœnarum, quæ transgredientibus imponuntur, tum præsertim ex praxi civium etiam timoratæ conscientiæ.

Quapropter non peccant contra obedientiam debitam legibus, qui instante militari conscriptione in alias regiones aufugiunt, qui defectus corporeos sibi procurant aut fingunt, qui mendaciis aut pecuniis obtinent ne conscribantur; imo nec illi, qui ad pœnam sibi profugis impositam subeundam sese non præsentant. — Dicimus hos omnes non peccare contra obedientiam legibus debitam. Peccare enim possunt contra caritatem erga se et familiam, si graviora damna sibi aut familiæ inferant; item contra justitiam, si officiales vi aut minis a suo munere rite obeundo deterreant, erga quos tenentur quoque de injuria personali et de damnis; contra religionem, si jam juramentum præstiterunt. Insuper medici ceterique officiales tenentur suum munus recte exercere ex contractu cum societate, ideoque ex justitia commutativa; proinde peccato cooperationis contra eamdem virtutem peccant, qui eos præmio promisso vel dato ad prævaricandum inducunt.

Num quis teneatur ad compensanda damna illius, qui in ejus locum substitutus fuit, præsertim si id obtinuerit officialium corruptione; inter theologos disputatur: alii putant fraudem vel corruptionem esse damnorum alterius veram causam; alii esse meram occasionem 8. Quapropter, pratice, neque hæc resarciendi damna illius obligatio imponi potest.

Manifestum vero est in nullo casu ad restitutionem teneri illos, qui lege divina aut ecclesiastica a lege militaris delectûs immunes sunt, etsi forte in usu mediorum graviter peccaverint.

Qu. 4. An liceat umquam contra Principes civiles rebellare ?

Resp. Negative; non modo quando Princeps est legitimus, sed etiam quando, etsi illegitime statum occupaverit, modo in pacifica status non sui possessione versatur: quæ doctrina generatim tenenda est tamquam vera, etiam in casu, quo Princeps tyrannice suam auctoritatem exerceat in gravissimum detrimentum boni, tum spiritualis, tum corporalis subditorum. Quoad Principem legitimum, id constat etiam ex *Prop. 63* damnata in Syllabo Pii IX: « Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet ».

Quale ergo remedium adest, si regimen Principis esset excessive tyrannicum ? — Deum privatim et publice exorare, ut ipse e cælo

8) Stant pro obligatione TANQU. *Num. 598;* MARRES *De justit. Lib. II. 225.* - Contra putant GURY *749;* FERR. *1884;* LEHMK. *987, sequ.*: BALL. III. *De 7 Præc. 184;* VERM. *Op. cit. 131.* — Alii obligationem asserunt theoretice, addentes eam non esse urgendam pratice. — Cf. MARC. *Num. 973;* GENN. *Cons. mor. XXII.*

subveniat. Ut vero hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare; quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem 9.

DE QUINTO PRÆCEPTO

175. Quintum Decalogi præceptum in sua forma negativum est: *Non occides* 1, et *per se* prohibet homicidium, seu cujuscumque hominis occisionem, secundario autem vulnerationem, mutilationem et quamlibet in corpore læsionem. Simul vero est virtualiter affirmativum; et sub hoc respectu præcipit primario conservationem vitæ propriæ (et eorum, quorum curam speciali officio habeamus), secundario conservationem integritatis membrorum, sanitatis, etc.

Agendum: 1.° De occisione sui; 2.° de occisione delinquentis; 3.° de occisione aggressoris; 4.° de occisione innocentis; 5.° de duello.

CAPUT I.

DE OCCISIONE SUI IPSIUS

176. **Principia. I.** Nemini umquam licet mortem sibi directe procurare. Etenim: *a*) Homo non habet suæ vitæ dominium, quod Deus sibi absolute reservavit. — *b*) Insuper homo in hac vita est essentialiter servus relate ad Deum; qui autem servus est essentialiter, non potest limites sui servitii determinare. Hinc occisio sui ipsius, seclusa divina auctoritate, est injuria in Deum, et proinde intrinsece mala. Confirmatur ex hoc ipso præcepto: *Non occides.*

II. Non est illicitum ponere actionem (vel omissionem), ex qua mors propria secutura prævideatur; dummodo præter eam ex eadem causa secuturus sit, et quidem immediate, effectus bonus, et hic tantum intendatur, et sit tanti momenti, ut in eo habeatur ratio proportionata ad mortem propriam permittendam.

III. Eodem jure, quo quisque prohibetur sibi vitam dirimere, eodem tenetur suam vitam conservare et custodire: solus enim Deus *vitæ et mortis habet potestatem*. Consequenter quisque tenetur

9) S. Ligorius *Homo ap. VIII. 13*, ex S. Thoma *De regim. Principum I. 6.*

1) Exod. *XX. 13.* — Tractant S. Thomas *2. 2. Qu. 64, 65;* De Lugo *De just. et jure Disput. X. 56-223;* Lessius *Op. cit. Lib. II. Cap. 9, Num. 36-121;* S. Lig. *III. Num. 363-411;* Ball. II. *Tract. VI. Sect. V.*

uti mediis ordinarie ad vitæ conservationem ac tuitionem necessariis : obligatio enim finis secum fert ejusmodi mediorum obligationem.

177. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Non licet veneno, gladio, laqueo vel quovis alio modo seipsum interficere ad breviandam vitam dolorosissimam, ad vitandam mortem atrocissimam, ad castitatem servandam; mortem scilicet eligendo ut medium ad finem qualemcumque.

2.ª Peccant graviter, qui causam, ex qua mors propria *per accidens* sequi posset, ponunt hac intentione, ut mors sequatur.

3.ª Licitum est optare ut sibi mors contingat, non modo ex desiderio vitæ æternæ, sed etiam ex desiderio breviandi vitam, quando ea sit morte amarior. At nullatenus hoc licet ob molestias humanæ vitæ satis ordinarias: hoc enim contrarium est caritati erga seipsum et ordini Divinæ Providentiæ.

178. *Ex Princ. II.* — 1.ª Miles ad inferendum hostibus damnum grave licite potest navem incendere vel turrim; licet certo prævideat se una cum navi vel turri periturum.

2.ª Qui causam, ex qua mors propria sequi posset, ponunt ex vanitate, ex lucri aviditate, vel alia causa non proportionata, peccant plus minusve graviter pro majori vel minori periculo mortis secuturæ: ita funambuli, ferarum domitores, etc.

3.ª Etiam cum certo mortis periculo licitum est se e fenestra projicere ad effugiendam mortem duriorem ex flammis aut ex pugione persequentis: hoc autem non licet, si tyrannus hoc imponat, secus mortem duriorem illaturus.

4.ª Non peccat virgo, quæ permittat se occidi, aut se in certum mortis periculum projiciat ad evitandam suæ virginitatis læsionem, etiam secluso periculo consentiendi 1: peccat autem, *per se* loquendo, si se projiciat ex imperio tyranni, secus ei injuriam minitantis.

5.ª Causa justa cessandi a suæ vitæ conservatione videtur esse caritas erga proximum in pari vitæ discrimine versantem; imo ex Doctore Angelico hic esset actus perfectissimæ caritatis 2. Hinc naufragus potest tabulam jam occupatam alteri cedere, licet certo videat sibi esse pereundum.

6.ª Non peccant architecti, fabri murarii aliique artifices, qui pro arte propria ædificiorum tecta ascendunt; dummodo satis caveant, ne vitam proximo periculo committant: si periculum proximum sit, causa longe gravior requiritur.

1) Attamen non tenetur sive ex obligatione servandæ sui corporis integritatis, sive ex caritate erga iniquum stupratorem: teneretur, si cum gravi fundamento timeat se consensuram.

2) S. Thomas *In III. Distr. 39, art. 5 ad 3;* S. Lig. *Num. 366.* — Negant quidam; quia hoc esse videtur contra ordinem caritatis, nisi vita alterius propter bonum societatis aut familiæ longe pretiosior sit.

179. *Ex Princ. III.* — 1.ª Peccant *per se* graviter, qui laborem fastidientes, negligunt sibi necessaria comparare ad vivendum; item infirmi, qui infirmitate gravi laborantes recusant medicum et eas medicinas, quæ pro sua conditione facile possunt haberi.

2.ª Non peccant infirmi, qui periculo citius moriendi sese exponunt recusando media extraordinaria; cujusmodi essent amputatio cruris, cura exigens sumptus ingentes, pro virgine operatio chirurgica in partibus secretioribus, etc.

180. **Scholion. I.** *De breviatione vitæ.* — Licet dominium totius vitæ hominis Deo competat, tamen aliqualis breviatio vitæ licita habetur, si causa breviationis ex gravi motivo ponatur, et ipsa breviatio non intendatur. Ita fabri ferrarii, vectores curruum ferreorum, conflantes vitrum aliique operarii non peccant suam artem exercentes, etsi hi labores non levem afferant vitæ breviationem. Idem dicendum de iis, qui amore Dei sese operibus caritatis vovent, aut pœnitentiis moderatis incumbunt, etsi inde mortis acceleratio facile sequi possit.

II. *De mutilatione sui ipsius.* — Licitum est seipsum aliquo sui corporis membro privare, quando id necessarium sit ad conservationem vitæ. Ratio est, quia pars ad totum ordinatur; unde « disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti » [3]. Insuper in hoc certe Deus consentit, qui dominus est: quin et ordinarie id faciendum esse jubet. At mutilatio alicujus membri ad nullum alium finem licita esse videtur; cum ad alios fines ratio allata non valeat. Hinc non licet juveni seipsum mutilare ad onus militiæ evadendum, nec pauperi ad abundantiores eleemosynas captandas.

III. *De sepultura ecclesiastica suicidæ.* — Ecclesia statuit sepultura ecclesiastica privari « qui se ipsi occiderint deliberato consilio »; nisi ante mortem aliqua dederint pœnitentiæ signa. Occurrente dubio, sive de consilio deliberato, sive de signis pœnitentiæ, si consuli non possit Ordinarius, cadaver sepulturæ ecclesiasticæ tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum [4].

CAPUT II.

DE OCCISIONE DELINQUENTIS

181. *Delinquens* heic intelligitur « qui crimen pœna mortis dignum patravit »: dicitur etiam *reus* vel *malefactor.*

182. **Principia. 1.** Auctoritas publica civilis habet a Deo potestatem plectendi delinquentes pœna capitali. Ratio est, quia Deus censendus est contulisse supremæ auctoritati in societate civili potestatem, quæ necessaria sit ad ipsius societatis conservatio-

3) S. Thomas *2. 2. Qu. 65 art. 1.* — Cf. Noldin *Num. 328.*
4) Rituale Rom. *Tit. VI. Cap. 3.* (Ed. Typ. 1925).

nem et finis ejusdem consecutionem. Porro ad hoc necessaria est etiam potestas plectendi delinquentes pœna capitali [1].

II. Nulla auctoritas privata habet potestatem inferendi delinquentibus pœnam capitalem. Ratio esta, quia ad bonum publicum satis est eam competere auctoritati publicæ; imo valde periculosum bono publico esset, si ea auctoritati quoque privatæ assereretur.

183. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Eo ipso quod occisio delinquenttis in tantum licita est, in quantum est punitio, necesse est quod ea inferatur tantum pro crimine gravissimo et de cujus certitudine juridice constet.

2.° Licet potestas pœnæ capitalis inferendæ competere non possit nisi auctoritati supremæ in societate, tamen ea demandari potest etiam auctoritati inferiori; non modo quoad exsecutionem, sed etiam quoad judicium faciendum et sententiam ferendam.

3ª Custodibus publicis non licet *per se* reos ad mortem damnatos fugientes occidere: tantum licere potest ex mandato auctoritatis publicæ, aut etiam titulo necessariæ defensionis, si illi obsistant.

18. *Ex Princ. II.* — 1.ª Illicita prorsus est ea forma puniendi, in America passim usitata, quæ *linciatio* vocatur; licet non repugnet hujusmodi potestatem populo concedi aut committi posse a publica auctoritate.

2ª Pater habet a Deo potestatem puniendi filios delinquentes, at non punitione inferente malum irreparabile, ut esset occisio aut mutilatio; ita et dominus quoad servos, magister quoad discipulos.

3.ª Nemo potest aliquem sibi non subditum punire, nisi ex consensu saltem præsumpto habentis in illum potestatem. Hoc titulo frater major punire poterit minorem; quod si, defuncto padre, ipse familam regat, punire poterit minorem etiam jure proprio.

4.ª Quandoque levior percussio super non subditum licita esse potest, etiam post acceptam injuriam; tum, quia non semper facile est publicam ultionem expetere, tum ut periculum ulterioris injuriæ amoveatur. Ita puella, cui injuria seu factis seu verbis illata fuit, licite procacem plectere potest alapis, fuste, sandalo aut aliis mediis non periculosis.

CAPUT III.

DE OCCISIONE AGGRESSORIS

185. **Principia. I.** Unusquique potest suam vitam defendere contra aggressorem injustum, licet eam efficaciter tueri

1) Difficultates diluuntur apud TANQUEREY *Num. 120-323;* BALL. *49.*

non valeat, nisi mediis afferentibus mortem aggressori [1]. Ratio est, quia tunc mors aggressoris voluntaria est tantum indirecte, et in causa in se bona, et ex motivo proportionato. Aliunde aggressor jus non habet, ut alter ab his mediis nesessariis abstineat.

II. Ad hoc ut usus horum mediorum liceat, necesse est quod agatur de aggressione actuali, h. e., nec jam illata, nec in posterum inferenda. Ratio est, quia in neutro casu habetur defensio : in casu primo haberetur vindicta, vel punitio privata ; in altera præventio, innumeris periculis obnoxia [2] : ceterum in altero casu satis est quod aggressio immineat moraliter.

III. Sub iisdem conditionibus licet iisdem mediis tueri bona ordinis inferioris ; ut sunt integritas membrorum, pudicitia, imo et bona fortunæ, quæ actu habeamus et sint magni momenti. Ratio est, quia tuitio horum jurium est causa gravis et proportionata ad mortem aggressoris permittendam : nam « præceptum caritatis non obligat præferre bona altioris ordinis, quando proximus ipse sponte se exponit mortis periculo » [3].

IV. Quod cuicumque licet ad tuitionem suæ vitæ aliorumque bonorum suorum, idem ex virtute caritatis licet etiam ad tuitionem vitæ et bonorum proximi. Quia vero hujusmodi tuitio cum occisione aggressoris gravia secum fert incommoda, ideo raro quispiam tenetur, nisi præter obligationem caritatis accedat obligatio ex pietate vel officio.

186. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Peccat ille, qui suam vitam defendit mediis inferentibus mortem aggressori, quando aggressio, nec formaliter, nec materialiter sit injusta : tunc enim deest jus defensionis : Ita damnatus ad mortem non potest suam vitam tueri occidendo carnificem.

2.ª Peccat ille, qui ad suam vitam tuendam utatur mediis occisivis, quando sufficerent media innocua aut saltem non occisiva.

3.ª Etsi aggressor sit ebrius vel amens, non est illicitum ipsum occidere, quando hoc sit unicum medium defensionis. Jus enim occidendi non est ex jure puniendi crimen alterius, sed ex jure defensionis propriæ : quare hoc jus competit cuicumque contra quemcumque.

4.ª Licet aggressioni injustæ occasio culpabilis data fuerit, hoc non

1) Cf. CODEX *Can. 2205 § 4.* — Cohæret Jus ital. *Cod. pen. Art. 376.*
2) Huc spectant *Propp. 17* et *18* damnatæ ab Alexandro VII.; item *Propr. 30* damnata ab Innocentio XI, apud DENZIGER *Num. 1117, 1118, 1180.*
3) S. LIGORIUS *Num. 383;* TANQU.II. *331;* NOLDIN *333, sequ.*

tollit ab aggressione notam injustiæ. Hinc adulter potest seipsum defendere contra feminæ maritum, qui ipsum occidere conatur.

5.ª Si aggressor se protegat objecto corpore infantis, licebit et infantem transfodere. At non licet in flumen projicere ejus filium, ut, dum ille filio ab undis eripiendo incumbit, fugere liceat [4].

187. **Quæstiones.** — *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum liceat interficere injustum aggressorem honoris?

Resp. a) Id certe non licet post factum; idest post acceptam injuriam; non enim esset defensio. — *b)* Nec licet ante factum, si contumelia inferatur verbis: hæc enim impediri potest mediis mitioribus occisione. — *c)* Si agatur de contumelia quæ inferatur factis, puta alapâ intentatâ aut in instanti illatâ, nemo tenebitur passive se habere; ac proinde, servato moderamine inculpatæ tutelæ, injuriam repellere poterit; et, si aggressor vim adhibeat, poterit ejus vim vi repellere usque ad occisionem, si hæc necessaria evadat ad alterius vim propulsandam. Ceterum solutio hæc, in se vera, practice non carebit periculis hallucinationis in judicando et excessûs in defendendo: hinc consulendum, ut proprius honor aliis mediis defendatur.

Numquam vero licet famam tueri occisione injusti diffamatoris; tum, quia aliis mediis plerumque fama defendi potest; tum, quia hæc ratio defensionis periculis gravissimis et intrinsecis laborat.

Qu. 2. Quænam censeantur bona fortunæ magni momenti?

Resp. Certe ejusmodi sunt ea, quorum jactura mediis sese sustentandi quempiam privaret, aut pro conditione personæ grave damnum afferret. Loquendo *absolute*, dicuntur esse bona magni momenti ea, quorum valor ad libellas circiter mille pertingat [5]: at determinatio difficilis.

188. **Scholion.** — *De bello.* — Quæ inter privatos est aggressoris occisio, inter nationes est aliquo modo *bellum* [6]; ad quod recurri oportet, tum si natio adversa actu rempublicam aggrediatur, tum si aggressa est antecedenter, et aggressio virtualiter perseveret. In primo casu bellum dicitur *defensivum;* in altero *offensivum.*

I. Bellum defensivum tunc justum est, cum natio adversa rempublicam aggreditur injuste; si, nempe, eam velit invadere, suis provinciis aliisve juribus maximi momenti spoliare; simul vero reipublicæ impossibile sit injustam aggressionem aliis modis amovere. Tunc licebit suam exsistentiam, integritatem aliaque jura tueri etiam internecione aggredientium.

II. Bellum offensivum tunc justum est, cum natio adversa jam jura reipublicæ, et quidem maximi momenti, injuste violavit, nec vult ullo modo resarcire aut convenientem satisfactionem exhibere. Cum enim

4) De Lugo *Disp. X. Num. 101, 124;* D'ann. II. *Num. 283, 10* et *12, 13.*
5) S. Ligorius *Num. 383;* D'ann. *283, 9;* Ball. *61-63.* — Quod aliquando liceat occidere furem rei minoris momenti, ostendit Ball. *Num. 64, sequ.*
6) Tractant S. Thomas *2. 2. Qu. 40;* S. Ligorius *Num. 402-411.*

jurium violatio perseveret, ipsa quoque aggressio injusta virtualiter perseverat.

III. Bellum in se justum tunc est licitum, cum insuper belli gerendi causa habetur gravissima; nempe proportionata ingentibus malis, quæ hodie præsertim ex bello proveniunt, tum civibus nationis adversæ, tum etiam subditis reipublicæ. — Hinc:

189. 1.° Bellum indicere tantum potest auctoritas suprema: si enim jurium violatio contingat inter auctoritates subalternas, in promptu est alia via ad litem solvendam, recursus ad supremam.

2.° Princeps tunc tantum potest bellum indicere aut acceptare, cum constiterit nulla alia media superesse, quibus liceat jura reipublicæ vindicare aut defendere.

3.° Numquam bellum potest esse ex utraque parte justum objective: licet subjective tale existimari possit ex erronea conscientia.

4.° Causa justa belli non est cupiditas ampliandi regnum, constituendi alicujus regionis unitatem nationalem, imminuendi potentiam politicam alterius nationis. In hisce casibus bellum est « grande latrocinium » 7. Sane non inde evanescit jus nationis alterius.

5.° Quando constat bellum non esse justum, tunc nec Princeps potest illud indicere vel acceptare, nec milites possunt certare et adversarios occidere, ne causâ quidem suæ defensionis personalis: sunt enim ipsi aggressores injusti.

6.° Quando jus reipublicæ sit mere probabile, theologi generatim negant licitum esse bellum, præsertim offensivum: quidam tamen dicunt sufficere majorem pro jure probabilitatem, alii et æqualem.

7.° In dubio de justitia belli milites conscripti, aut ante bellum conducti, præsumere possunt esse justum: bello jam indicto, nemo potest se addicere sponte militiæ, nisi positive judicet esse justum.

8.° Hæc ex *jure naturæ*. Insuper et ea serventur, quæ sancita sunt *jure gentium* seu *internationali*. Ante definitivam belli offensivi intimationem proponantur conditiones, quæ absolute exiguntur ad bellum evitandum (*ultimatum*): in bello gerendo nihil mali directe inferatur civibus innocuis, sive quoad personas, sive quoad bona: non inquinentur veneno fontes et putei, nec armis venenatis dimicetur. — Cetera apud hodiernos juris internationalis expositores.

CAPUT VI.

DE OCCISIONE INNOCENTIS

190. *Innocens* heic dicitur quilibet homo, qui neque sit aggressor injustus, nec sit delinquens ad mortem damnatus relate ad eum cui publica auctoritas exsecutionem pœnæ capitalis commisit. Ejus occisio

7) S. Augustinus *De civit. Dei Lib. IV. Cap. 6.*

potest esse tum *voluntaria*, sive *directe*, sive *indirecte*, tum *involuntaria* seu *casualis*: potest autem causari, tum per *actionem*, tum per *omissionem*. — Quæ statuuntur de occisione, eadem cum debita proportione applicanda sunt mutilationi, vulnerationi, percussioni et cuicumque violationi personali.

191. **Principia. I.** Occisio hominis innocentis est actio intrinsece et gravissime mala: quapropter numquam licet eam velle et procurare directe, sive ut finem, sive ut medium ad quemcumque finem. Ratio est, quia ea semper est injuriosa in Deum, qui ne ipsi quidem publicæ auctoritati jus concessit occidendi innocentem; injuriosa est in ipsum innocentem, qui in nulla hypothesi jus vivendi amittit; injuriosa est in societatem civilem et sæpe in ecclesiasticam et domesticam, quæ injuste suo membro privantur.

II. Non licet mortem innocentis causare indirecte, ponendo actionem, ex qua mors illius secutura prævideatur certe aut etiam probabiliter, quando illius actionis ponendæ non habeatur ratio periculo tanti mali proportionata. Idem dicendum, si mors illius certe aut probabiliter secutura prævideatur ex omissione actionis, quam quis ponere tenebatur ex justitia vel pietate ad illius vitam conservandam: hæc obligatio implenda est cum incommodo longe graviori, quam quæ sit ex caritate; at non cum periculo vitæ propriæ, nisi forte in casu, quo periclitetur quoque vita illius æterna, aut illius vitam conservari etiam cum jactura vitæ propriæ exigat justitia legalis.

III. Licitum est ponere actionem (vel omissionem) non malam, ex qua prævideatur probabiliter aut etiam certo secutura mors innocentis, quando ex eadem actione (vel omissione) sequatur immediate bonus effectus, qui solus intendatur, et sit tanti momenti, ut in eo ratio gravis et proportionata habeatur ad mortem innocentis permittendam. Hæc ratio eo gravior esse debet, quo probabilior aut certior est mors innocentis: gravissima autem, si ipsa quoque vita æterna periclitetur.

IV. Occisio hominis innocentis, seu *homicidium*, licet pluribus legibus vetetur, unicum est peccatum contra justitiam: ei tamen accedere potest alia malitia ex circumstantiis. Ita ab eo differunt specie: *a*) *sacrilegium*, si persona sacra, aut in loco sacro persona non sacra occidatur; *b*) *parricidium*, si occidatur pater, aut fi-

lius, frater, soror, conjux, aut princeps; *c*) *latrocinium*, si occisio fiat ad prædandum; *d*) *veneficium magicum*, si mors ope dæmonis alteri inferatur.

192. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Non modo peccatum est mortem alterius intendere ut finem, ex. gr., ex odio; sed etiam eam intendere et procurare ut medium ad finem quamvis bonum. Ita non licet occidere vulneratos mortaliter vel moribundos atrocibus doloribus vexatos, etiamsi id ipsi expeterent, ne diutius patiantur.

2.ª Non licet legatos vel obsides interficere, etiamsi hostes idem injuste perpetrassent; nec licet civem vel advenam innocentem interficere ad satisfaciendum tyranno, qui secus urbis eversionem et omnium incolarum cædem minatur.

3.ª Nisi habeantur signa mortis indubia, non potest medicus pungere cor vel aperire arteriam hominis, qui defunctus esse videtur; licet id jampridem ipsemet postulaverit, ne forte vivus sepeliatur.

193. *Ex Princ. II.* — 1.ª Reus est homicidii, qui arma explodit in feram, prævidens periculum probabile occidendi hominem.

2.ª Graviter peccat medicus, qui ad experiendam alicujus medicinæ efficaciam præbet eam infirmo, dubitans num ea, nedum inutilis, possit etiam esse graviter nociva.

3.ª Peccant parentes, qui infantem secum tenent in lecto sine debitis cautelis ad cavendum periculum suffocationis; item mariti, qui ira subito correpti et forte vino calefacti uxores percutiunt, cum periculo quod percussio possit esse lethalis.

4.ª Peccant medici, qui ex gravi negligentia aut infectionis timore omittant visitare infirmos periculose decumbentes; item et famuli ad assistendum infirmis conducti, si illis necessariam assistentiam non præstent.

5.ª Peccant contra caritatem, et *per se* etiam graviter, qui, cum facile possint, renuunt infirmis aut egenis præstare necessaria ad vitam; at non sunt rei homicidii, etiamsi exinde illi citius moriantur.

194. *Ex Princ. III.* — 1.ª Dux belli potest ex necessitate urbis expugnandæ tormenta contra urbem explodere, quamvis cives innocui perituri sint.

2.ª Non peccat, qui fugiat a sicario persequente, licet equo vel curru suo proterendi sint pueri, iter in arcta via intercludentes [1]: at, si sciat quempiam ex illis baptizatum non esse, regulariter tenetur illius vitam æternam præferre vitæ suæ temporali.

3.ª Si tyrannus urbi excidium minetur, nisi innocens eidem tradatur, respublica hunc cogere potest, ut tyrannum adeat: nolentem adire potest exponere extra urbem, imo et eum tradere tyranno, licet prævideatur eum certe occidendum esse.

1) S. Ligorius *Num. 393;* cui consentiunt omnes theologi recentes.

4.ª Licitum est aqua gelida, si alia haberi non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi inde timeatur aliqua mortis anticipatio.

195. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Quod homicidium fiat per proditionem, assassinium aut veneficium simplex, non est nisi circumstantia aggravans malitiam homicidii, ac proinde non necessario manifestanda in confessione.

2.ª Circumstantia quod persona, quæ occiditur, sit consanguinea extra gradus prædictos, vel affinis, vel principis auctoritatem participans, non addit malitiæ propriæ homicidii novam malitiam gravem contra pietatem, quæ sit aperienda in confessione.

196. **Scholion.** — *De occisione fetus.* — Cum fetus, adhuc matris utero inclusus, jam ab initiis conceptionis sit anima rationali informatus, ideo jam homo vivens est, ejusque occisio est vera hominis occisio [2]. Jamvero, omisso casu mortis casualis, duobus modis causari potest mors ejusdem voluntaria, nempe directe et indirecte. Causatur directe a medico per *embryotomiam, craniotomiam* aliasque operationes per se occisivas; item directe causari potest ab ipsa matre uterum comprimendo aut percutiendo, vel nocivas potiones sumendo ad hunc finem ut fetus, aut in utero, aut utero ejectus, perimatur. Causari potest indirecte imprudentiis alterutrius parentis, quibus fieri potest, ut, vel fetus occidatur, vel immature ejiciatur et moriatur; item ab ipsa matre et simul a medico, provocando *abortum* (ejectionem fetus ante septimum mensem a conceptione) cum prævisione quod proles morietur, licet hæc mors non intendatur.

Eo ipso quod fetus homo vivens est et jure vivendi præditus, circa ejus occisionem applicanda sunt ea principia, quæ de occisione hominis innocentis statuuntur: neque enim est deliquens, nec aggressor injustus. — Hinc:

197. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Embryotomia, craniotomia et ceteræ operationes occisivæ fetus sunt intrinsece et graviter malæ; nec dari potest causa aliqua aut necessitas, quæ ab eis reatum objectivum homicidii amoveat.

2.ª Reæ sunt gravissimi parricidii puellæ et ceteræ matres, quæ fetum etiam recens conceptum necare aut ejicere conantur; imo eamdem reitatem coram Deo contrahunt, etiamsi se gravidas esse positive dubitent aut suspicentur.

3.ª Non modo abortus, sed et ipsa acceleratio partus post septimum mensem est grave peccatum, si ordinetur ad hoc, ut proles ante tempus edita moriatur.

4.ª Rea est parricidii puella, quæ cum ex delicto conceperit, ne occidatur aut infametur, abortire procurat: mortem enim prolis intendit directe, ut medium ad finem bonum.

2) Hæc est sententia hodie communis. Cf. GENICOT *Num. 375.*

198. *Ex Princ. II.* — 1.ª Graviter peccant parentes, et cum debita proportione ceteri omnes, qui sine gravi causa vitam fetus in periculum aliquo modo prævisum adducunt: peccant autem eo gravius, quo minor causa habetur, et hæc majus affert periculum.

2.ª Peccant mulieres gravidæ, quæ sine causa gravi assumunt labores periculosos, lasciviis inordinatis indulgent, etc. Peccant et viri, qui uxores gravidas aspere tractant, laboribus immodicis gravant, percutiunt, contristant.

3.ª Tum mater, tum pater tenentur omnia media adhibere, quæ ordinarie necessaria sunt ad vitam fetus conservandam, etiam cum gravi incommodo proprio. Speciatim mater tenetur, quantum potest, iis cibis uti, qui fetui utiliores sunt, iis abstinere, qui sunt nocivi; item suam valetudinem aptis remediis conservare ac reficere.

4.ª Mater non tenetur operationem cæsaream subire, licet sine ea impossibile sit prolem a morte liberare; est enim medium extraordinarium.

5.ª Si agatur de casu, quo proles baptizari nequeat in utero, at per operationem cæsaream extracta baptizari posse speretur, mater eam operationem *per se* subire deberet. Tamen hæc obligatio urgeri non debet; tum, quia non est undequaque certissima; tum, ne mater exponatur periculo malæ fidei et damnationis æternæ.

6.ª Quinimo, si mortis periculum instet proximum aut probabile, non tenetur mater discrimen illud subire, ut proles baptizetur; nec chirurgus potest ipsam in hoc discrimen adducere. « Non sunt facienda mala, ut eveniant bona; et ideo homo non debet occidere matrem, ut baptizet puerum » 3.

199. *Ex Princ. III.* — 1.ª Ad curandum morbum lethalem matris licet eidem præbere medicinam, quæ sola utilis esse speratur, licet inde prævideatur ejectio fetus ejusque mors probabiliter aut certe secutura.

2.ª Si causa, qua matri moriendum est, sit ipse fetus, quamplures theologi censebant licitum esse eumdem ab utero matris removere per abortum, licet certe prævideatur mox esse moriturus: dicebant enim hanc operationem non esse occisionem, sed esse causam in se non malam, ex qua immediate sequitur conservatio matris, et simul mors prolis, vel potius brevis ejusdem anticipatio. Modo fere omnes tenent contrarium, non tam vi argumentorum internorum, quam ex responsis S. Sedis, quæ præcedentem opinionem reprobasse videntur.

200. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* An hodie probabilis haberi queat opinio, quod non sit intrinsece mala craniotomia?

Resp. Opinio hæc certe probabilis erat; cum pro ea afferrentur et graves auctores et gravia argumenta, et S. Pœnitentiaria de hac re respondisset consulendos esse probatos auctores 4. Verum recentiora re-

3) S. THOMAS *P. 3 Qu. 68, art. 11 ad 3;* S. LIGORIUS *VI. Num. 106.*
4) Cf. GENNARI *Cons. mor. LXXVI. Num. 2-6;* NOLDIN *340.*

sponsa S. Inquisitionis declararunt doctrinam de liceitate craniotomiæ *tuto* in scholis doceri non posse, nec craniotomiam aliasve similes operationes *tuto* posse exerceri 5. Porro hæc responsa a theologis habentur ceu doctrinalia et decisiva 6; ac proinde ea opinio (nobis ex argumentis internis evidenter falsa) nunc videtur omni probabilitate destitui. Ceterum, « cum solutio quæstionis e solo jure naturali sit valde ardua, facilius admitti potest bona fides in medico, qui craniotomiam exerceat in casu valde raro, quo aliud medium non suppetat ad salvandam matrem » 7. Insuper parochus vel confessarius magna prudentia se gerat; et, si prævidet monitionem de illiceitate nihil profuturam esse, ut facile contingit, dissimulet; ne matris bona fides et forte ipsius salus æterna in periculum adducatur.

201. *Ad Princ. III. — Qu. un.* Ad hodie probabilis haberi queat opinio, quod non sit intrinsece mala directa procuratio abortus ?

Resp. Quæ diximus de quæstione præcedenti, eadem et de præsenti dicta sint; eo magis quod recentiora S. Sedis responsa videntur hanc directam procurationem abortus æquiparare craniotomiæ. Ceterum advertimus quod intrinseca argumenta, quæ contra hanc opinionem afferuntur apud varios auctores, nimis varia sunt et forte discutibilia. At recentia habentur Sanctæ Sedis responsa. Primum responsum respiciens abortum videtur esse illud diei 24 julii 1895. Interrogaverat medicus, utrum ad salvandam matrem posset tuto exercere operationes chirurgicas, quibus, non quidem fetus occideretur, sed vivus, si fieri posset, ederetur. S. Inquisitio rispondit: « Negative, juxta decreta 28 maji 1884 et 19 augusti 1888 ». Efficacius est responsum diei 4 maij 1898; quo interrogata S. Inqu. de pura procuratione abortus, respondit « eam non licere, juxta decretum 24 julii 1895 de abortus illiceitate » : eique consonat et postremum diei 20 martii 1902, quo respondit non licere extractionem fetus ectopici immaturi. Hæc nobis doctrinalia et decisiva esse videntur 8.

Quidquid sit de quæstione theoretica, practice in re præsenti adhibeatur a parochis et confessariis ea prudentia, quam adhibendam esse diximus in quæstione præcedenti 9.

CAPUT V.

DE DUELLO

202. *Duellum* communiter definitur « certamen singulare armis lethalibus ex condicto susceptum ». Debet ergo esse pugna inter unum

5) « Illud, quod nunc non est tutum, potest postea fieri tutum, novis rationibus accedentibus; et ideo decisio declarans tutum id, quod prius tuto teneri non posse edictum fuerat, non esset reformatio sententiæ, sed nova declaratio non contraria priori ». BILLOT *De Eccl. Thesi XIX.*

6) Data sunt 31 maji 1884, 19 aug. 1888, 21 julii 1895. Cf. PALM. *De præc. 110;* NOLDIN *loc. cit.;* ARREGUI *241.*

7) GENICOT *Num. 376.* Cf. et GENN. *Consult. cit. Num. 10.*

8) Cf. FERRERES *Num. 501;* SABETT *273;* ARREGUI *loc. cit.*

9) De censura *Can. 2350* § 1 dicemus Num. *467-469.*

et unum; quamvis pro parte morali possit ejus malitia haberi, etiam si certamen sit inter paucos. Necesse insuper est duellum fieri armis lethalibus, h. e., ex se aptis ad mortem inferendam. Demum, præsertim quoad pœnas, necesse est antecedenter conventum fuisse de tempore, de loco, de armis.

203. **Principia. I.** Duellum privata auctoritate susceptum numquam licet. Participat enim malitiam, tum occisionis sui ipsius, tum occisionis alterius innocentis. Accedunt et gravissimæ prohibitiones Ecclesiæ [1].

II. Licitum esse potest duellum publica auctoritate susceptum, si ab eadem auctoritate imponatur aut permittatur ex necessitate boni publici gravissimi momenti; nempe ad præcavendum vel bene gerendum vel finiendum bellum justum. Nam quando publica auctoritas jure potest bellum indicere, poterit etiam unum vel paucos cum uno vel paucis committere.

204. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Pugna duorum vel plurium repentina non est duellum: potest esse licita, si sit defensio sui ab aggressore cum moderamine inculpatæ tutelæ.

2.ª Si cui mors ab altero intentetur, nisi duellum acceptet, potest contra ipsum immediate certare, etiam eum occidendo, si secus se defendere non possit.

3.ª Non licet acceptare duellum causa vindicandi honoris: non enim duellum esset sui honoris tuitio adversus actualem aggressorem; sed iniqua et stulta vindicta post factum, cum periculo amittendi, præter honorem, ipsam vitam.

4.ª Nec licet cuipiam acceptare duellum, etiamsi idcirco amittere debeat officium lucrosum aut honorificum: non enim habetur actualis aggressio 2.

5.ª Nec cessat duelli malitia, si ante duellum conveniatur, ut periculum occidendi caveatur utrinque: adhuc enim mors aut vulnus mortale alterutrius evenire potest.

205. *Ex Princ. II.* — 1.ª Publica auctoritas suis subditis certamen cum pari numero hostium, aut etiam duellum proprie dictum permittere potest, non modo ut inde bellum finiatur, sed etiam ut proprii exercitus honor apud hostes servetur, ut amor certandi apud suos accendatur, etc.

2.ª Non potest civilis auctoritas duellum indicere aut permittere ad spectatorum solatium, ad finiendas privatas controversias, ad vanam virium ostentationem, et similia.

1) Concilium Trid. *Sess. XXV. Cap. 19 de ref.*; Bened. *XIV.* Const. *Detestabilem* 10 nov. a. 1752; Leo XIII Encycl. *Pastoralis* 12 sept. a. 1891.

2) Cf. *Propp. 1* et *2* a Benedicto XIV damnatas, apud Denziger *Num. 1491, 1492.*

206. *Qu. un.* Quænam sint pœnæ contra duellantes ?

Resp. Omissis pœnis legum civilium, quæ in praxi irrisoriæ sunt, gravissimæ habentur pœnæ latæ ab Ecclesia : — *a) Excommunicatio* Sedi Apostolicæ simpliciter reservata, qua plectuntur « duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes, vel quamlibet operam aut favorem præbentes, nec non de industria spectantes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint ». — *b) Privatio sepulturæ ecclesiasticæ* : hæc eos tenet, « qui mortui sint in duello aut ex vulnere inde relato, nisi ante mortem aliqua dederint pœnitentiæ signa. — *c) Irregularitas ex delicto*, si duellum voluntarium fuit, et mors aut mutilatio revera contingit ; de qua alibi agendum.

DE SEXTO ET NONO PRÆCEPTO

207. Hæc præcepta sub forma negativa et particulari concipiuntur : *Non mœchaberis.... Nec desiderabis uxorem proximi tui* 1. Explicite prohibent adulterium in re et in voto : implicite prohibent omnia peccata, tum externa, tum interna, contraria virtuti castitatis : proinde indirecte hanc eamdem virtutem diligendam et custodiendam præcipiunt.

Præmittimus monitionem S. Alphonsi ad hanc tractationem : « Oro studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum, quemadmodum et alium de debito conjugali...., legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes ; atque eo tempore sæpius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatæ sese commendent ; ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur » 2.

CAPUT I.

DE LUXURIA IN GENERE

208. Vitium oppositum castitati, quam imperfectam seu præceptivam dicunt, est *luxuria* : hæc autem definitur « inordinatus appetitus et usus venereorum ». Objectum ejus materiale est venus, seu delectatio orta ex commotione humorum generationi inservientium. Hæc autem delectatio tunc appetitur et capitur inordinate, cum id fit contra ordinem a Deo auctore naturæ institutum ; qui exigit, ut ea sit ad copulam in matrimonio, hæc vero principaliter ad generationem prolis et prolis genitæ educationem. Quare tunc habetur inordinatio, cum quis eam delectatio-

1) Exod. *XX. 14.* — Tractant S. Thomas *Qu. 153; 154;* Lessius *Lib. IV. Cap. III. Dubit. 5-15;* S. Lig. *III. Num. 412-485;* Noldin Opusc. *De sexto præcepto* (Œniponte 1923); Verm. *De castitate et vitiis oppositis.*

2) S. Ligorius *Num. 413.*

nem appetit aut capit extra copulam, aut in copula extramatrimoniali, aut in copula matrimoniali cum exclusione finis principalis matrimonii.

Luxuriæ potissima divisio est, ut alia *consummata* dicatur, alia *non consummata*. Dicitur *consummata*, si delectatio venerea contingat cum pollutione, seu cum effusione seminis proprie dicti (in viris), vel quasi-seminis (in impuberibus; item in feminis, licet intra matricem): secus *non consummata* dicitur.

Delectatio in re præsenti triplex distinguitur: *a*) proprie *venerea*, quæ oritur ex dicta commotione, et huc pertinet ratione sui; *b*) *carnalis*, quæ oritur ex objecto de se apto ad inducendam priorem, et *quasi-venerea* dici potest [1]; *c*) *sensibilis*, seu *naturalis*, quæ est in sensibus externis, et oritur ex proportione objecti cum organis sensuum; hæc ad luxuriam pertinere potest tantum ratione periculi.

Delectatio tum venerea, tum quasi-venerea, potest esse *directe voluntaria*, *voluntaria indirecte*, aut etiam prorsus *involuntaria*.

209. **Principia. I.** Luxuria *per se* est peccatum mortale, quia graviter pervertit ordinem naturalem a Deo constitutum, quo venerea delectatio ordinanda est ad susceptionem prolis ejusque educationem. Confirmatur ex verbis Pauli: *Opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.., quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur* [2].

II. Luxuria, seu delectatio venerea inordinata, directe voluntaria, est peccatum mortale, tum objective ex *toto genere suo*, tum subjective. Ratio prioris est, quia ea inordinatio, quæcumque sit, et quocumque elemento consistat, ordinem naturæ graviter lædit. Ratio alterius est, quia in re præsenti dari nequit (saltem communiter) ignorantia invincibilis, et delectatio directe voluntaria est voluntaria perfecte.

III. Si ea commotio oriatur cum prævisione ex actione voluntaria, ex qua nullus bonus sequitur effectus, ea erit voluntaria indirecte et in ipsa causa imputabilis; ejusque reatus eo erit gravior, quo gravior erat obligatio non ponendi causam, ne inde illa sequeretur.

IV. Si ex actione posita, bona vel indifferenti, præter eam commotionem, sequatur immediate effectus bonus, et hic tantum ab agente intendatur et sit effectui malo proportionatus, tunc ea com-

1) Distinctiones variæ apud varios; cf. PALM. Num. *3-5;* BALL. ad Gury *Num. 412, 2;* TANQU. *I. Suppl. De virt. castit. 13, seqq.*
2) GAL. *V. 19-12.* — Adde I. COR. VI. 10.

motio peccatum non erit, neque in se, neque in causa; at, si quis deinde in eam deliberate consentiat, tunc graviter peccat.

V. Delectatio mere sensibilis *per se* nullum est peccatum: nulla enim est inordinatio in hoc, quod objectum, suo sensui proportionatum, sensum ipsum delectet. Poterit mala esse *per accidens*, si in delectationem veneream aut quasi veneream influit.

210. **Resolutiones.** *Ex Princ. II.* — 1.ª Desiderium delectationis venereæ habendæ, et gaudium de delectatione jam habita, sunt peccata mortalia, suamque malitiam habent ex objecto ejusque circumstantiis.

2.ª Delectatio deliberata de delectatione venerea imaginaria est peccatum mortale, suamque malitiam desumit ex objecto, non ex ejus circumstantiis.

3.ª Qui objectum obscœnum aspiciat aut librum turpem legat, ut se ad libidinem provocet, jam reus est luxuriæ directe volitæ, etsi per accidens nulla dein commotio sequatur.

4.ª Quocumque peccato vacat commotio etiam cum pollutione, quæ prorsus involuntarie contingat in somno; imo et ea, quæ contra vel præter voluntatem oriatur ex mera virium infirmitate aliisve causis independenter a voluntate. Quod ei delectationi obsecundare non liceat, evidens est; quod ei sit obsistendum positive et directe, non constat: valde opportunum est et forte necessarium ei obsistere indirecte 3.

211. *Ex Princ. III.* — 1.ª Commotio humorum inordinata, imo ipsa pollutio tunc erit peccatum mortale in causa, cum provenit ex causa *per se* mortali in genere luxuriæ. Si proveniat ex causa *per se* in hoc genere levi, erit peccatum veniale: ita, si oriatur ex aspectu pulchræ mulieris, ex lectione non graviter turpi, etc.

2.ª Non est imputanda ad culpam commotio vel pollutio, etiam prævisa, quæ sequatur ex equitatione recreationis causâ, ex modo decumbendi opportuniore ad quiescendum, ex potibus moderatis aut etiam ex choreis honestis.

3.ª Immorari pravis cogitationibus sine causa eatenus peccatum est, quatenus inde provenit periculum turpis actionis perpetrandæ, aut consentiendi delectationi venereæ vel saltem desiderio ejusdem. Quare, nisi constet tale periculum adesse proximum, negligentia in eis cogitationibus repellendis erit peccatum veniale; ac generatim haberi poterit ceu veniale in iis personis, quæ ordinarie a turpibus actionibus abhorrent ac pravis desideriis consentire non solent.

212. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Non est ea commotio imputanda chirurgo, qui se eam passurum præviderit in operatione chirurgica super feminam; nec militari custodi, qui debeat invigilare theatro vel meretricio;

3) S. Ligorius *Num. 479*, et *Lib. V. 6-9*; Gen. *480*; Noldin *32*, *sequ.*, *50*.

nec puellæ, quæ, nisi se habeat passive, occideretur: isti tamen tenentur delectationi venereæ non consentire, quod cum gratia Dei semper possibile erit.

2.ª Neque ea commotio imputanda est confessario suum munus obeunti, etsi ex officio non teneatur.

213. *Ex Princ. V.* — 1.ª Potest omni culpa vacare pro viro aspectus pulchræ mulieris ac de ejusdem pulchritudine delectatio; ita et delectatio de cantu mulieris dulcisono, de ejus comitate in conversando, etc. Tamen *a muliere iniquitas viri* 4.

2.ª Non sunt facile arguendi de peccato, præsertim mortali, sponsi, qui inter se habeant oscula et amplexus per se pudicos, etiamsi inde captent delectationem hisce signis amoris connaturalem; dummodo periculum absit delectationis venereæ et consensûs in eamdem.

CAPUT II.

DE LUXURIA CONSUMMATA

214. Luxuria consummata est illa, qua quis ipsa seminis effusione inordinata delectatur. Ea vero potest esse inordinata dupliciter: *a*) Eo quod, licet ex ea sequi possit generatio, haberi non potest conveniens prolis genitæ educatio; hæc *juxta naturam* esse dicitur; *b*) eo quod nec ipsa generatio sequi potest: hæc dicitur esse *contra naturam*. — Differunt inter se specifice.

215. I. Peccatum juxta naturam est *fornicatio*, h. e., copula soluti cum soluta ex communi consensu. Ea est peccatum mortale; quia secus gravis sequeretur inordinatio quoad prolis institutionem et grave damnum in genus humanum. Accedit auctoritas S. Pauli: *Omnis fornicator..... non habet hereditatem in regno Christi et Dei* 1. Fornicatio frequens cum proposito perseverandi est *concubinatus;* status feminæ se prostituentis, seu sese exhibentis cuilibet fornicandam, est *meretricium*.

In fornicatione, præter castitatem; violari possunt aliæ virtutes:

1.° *Justitia*. Si quis, congrediendo cum femina non sua, violet jus alterutrius conjugis aut utriusque, *adulterium* facit, et quidem in altero casu duplex 2. Si inferat alteri vim sive physicam, sive moralem, habetur *stuprum*: si libidinis causa abducat personam invitam, vel iis invitis quorum potestati ea subest, habetur *raptus*.

2.° *Pietas*. Si fornicarii sint aliqua necessitudine, seu naturali, seu legali, inter se conjuncti, habetur *incestus*. Hic autem specialem contrahet malitiam, si fiat inter consanguineos in primo gradu lineæ rectæ:

4) Eccli. *XLII. 13* — « *In medio mulierum noli commorari* ».

1) Ephes. *V. 5.* — *Prop. 48* ab Innoc. XI damnata, apud Denziger *1198*.

2) Si quis fornicetur cum conjugata, ejus viro consentiente, violat jura Sacramenti. Cf. *Prop. 50* damnatam ab Innoc. XI, apud Denziger *1200*.

inter alios gradus consanguineitatis, inter quoscumque gradus affinitatis (etiam primus lineæ rectæ 3), inter consanguineitatem et affinitatem, habet communem malitiam incestûs; probabiliter nullam specialem.

3.° *Religio.* Si persona sacra fornicetur, aut non sacra cum sacra, erit *sacrilegium personale*: si fornicatio fiat in loco sacro, habetur *sacrilegium locale*: casum realis rariorem omittimus. Inter ligatos cognatione spirituali, juxta alios habetur *sacrilegium*, juxta alios *incestus*, juxta alios *sacrilegium ad modum incestus* 4.

4.° *Caritas* facile violari potest ratione scandali. — Patet plures, imo et omnes has virtutes posse vel una fornicatione simul violari.

216. II. Peccatum contra naturam in eo est, quod quis delectationem veneream capiat eo actu, qui frustrat ejus finem proximum et naturalem, nempe generationem prolis.

Si quis eam delectationem capiat solitarie, h. e., alteri non coëundo, habetur *pollutio* seu *mollities;* pro diverso modo capiendi delectationem non datur *per se* distinctio specifica: at, si persona sit sacra, habetur sacrilegium; si ligata voto castitatis, peccatum contra religionem; si conjugata, adulterium. Si quis delectationem capiat coëundo personæ ejusdem sexus, habetur *sodomia perfecta;* si personæ alterius sexus extra vas naturale *sodomia imperfecta* (etiam inter conjugatos) 5: si coëat sexui et vasi debito, et coitum abrumpens seminet extra vas, *onanismus* habetur (qui et in conjugatis crimen esset); si congrediatur cum animali, *bestialitas*. Ad onanismum reducuntur quoad summam rei recentes immunditiæ: *condomismus* et *malthusianismus*: de eo participat *fecundatio artificialis*.

CAPUT III.

DE LUXURIA NON CONSUMMATA

217. Luxuria non consummata est ea, qua delectatio venerea capitur aut quæritur in actibus, qui natura sua commotionem humorum genitalium excitant; cujusmodi sunt oscula, amplexus, aspectus vel tactus obscœni, lectiones et locutiones turpes, etc. Hi actus a castitate prohibentur, quia et quatenus prædictam commotionem eique connaturalem delectationem provocant: illi, qui natura sua afferunt ejusdem periculum proximum, dicuntur *graves de se;* qui mere remotum, dicuntur *de se non graves*.

3) D'Annibale II. *Num. 69, Not. 57, 58;* Noldin *Op. cit. 22.* Confessarius, audito peccato cum persona sibi conjuncta (*con una mia parente*), nihil interroget. — At cognatio legalis specie differt a naturali.

4) Cf. Palmieri *Num. 96.*

5) De variis speciebus sodomiæ subtilia disputant theologi; at, præter sexus diversitatem, cetera ignorant fideles. Itaque confessarius audiat, nec ulterius interroget; sed sincere pœnitentem et proponentem absolvat. Idem dic de duplici pollutione feminea; de qua Gen. *398;* Noldin *30, sequ.*

Tactus et multo magis aspectus circa pudenda reguntur etiam virtute *pudicitiæ;* quæ jubet eos non fieri sine causa et, stante causa, non fieri impudenter. Peccata impudicitiæ, quatenus talia, facile admittunt materiæ parvitatem.

218. **Principia. I.** Qui actus quomodocumque turpes aut impudicos ponit ad scopum provocandi delectationem venereamm inordinatam, hic luxuriam intendit directe, et proinde semper peccat mortaliter. « Cum enim hæc propter delectationem hujusmodi fiant, inde dicuntur libidinosa; et, secundum quod libidinosa sunt, sunt peccata mortalia » [1]. Ita, qui mere *viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

II. Qui ponit actus *de se graves*, non intendens quidem delectationem venereamm, sed, aut absque ulla causa, aut ex causa levi, iste peccat mortaliter : qui ponit actus *de se non graves,* hic non peccat graviter, nisi experientia noverit eos quoque sibi esse periculo gravi.

III. Omnes actus prædicti, in se considerati, non habent reatum luxuriæ : ergo licite poni possunt, dummodo habeatur causa gravis et periculo pravi effectus proportionata, et absit periculum consentiendi in delectationem venereamm forte inde orituram.

IV. Actus impudici possunt esse peccata mortalia vel venialia in se ratione impudicitiæ ; in quantum vero sunt libidinosi, contrahunt omnem malitiam propriam delectationis venereæ, ad quam ordinantur, vel cujus periculum inducunt.

219. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I. II.* — 1.ª Licet delectatio venerea directe volita gravius peccatum sit quam volita indirecte, tamen, juxta alibi dicta, inter utramque non datur differentia specifica.

2.ª Graviter peccant adolescentes, qui affectu libidinoso contrectant partes inhonestas aliorum juvenum, aut etiam minus honestas puellarum, licet super vestes tantum.

3.ª Qui tangunt vel aspiciunt partes quascumque corporis, sive sui sive alieni, ejusdem aut alterius sexus, sed obiter, vel ex joco, ex levitate aut petulantia, peccant plus minus graviter pro majori vel minori periculo delectationis venereæ et consensus in eamdem : periculi autem gravitas æstimanda est, tum ex qualitate actuum in se, tum ex dispositionibus psychologicis agentis, ex ejus ætate, temperamento, educatione,

1) S. Thomas *2. 2. Qu. 154, art. 4.*

nec non ex consuetudinibus loci 2. Insuper accedere quoque potest peccatum scandali.

220. *Ex Princ. III.* — 1.ª Confessarii, medici, chirurgi, etc., si in suis officiis obeundis motus inordinatos ipsamque pollutionem patiantur inviti, non peccant, nec tenentur a suis officiis obeundis abstinere, etiamsi ad ea ex stricta justitia non teneantur. Idem dic de clerico aut adolescente quocumque relate ad studium materiæ periculosæ.

2.ª At, si confessarius in audienda confessione alicujus feminæ, præter motus inordinatos et pollutionem, prævideat periculum proximum consentiendi, debet ab audiendis illius feminæ confessionibus abstinere: non enim licet in discrimen adducere animam propriam ad curandam alienam 3. Idem dic de medico, chirurgo, clerico, etc.

3.ª Amplexus et oscula inter personas sexus diversi possunt omni culpa vacare, si fiant juxta morem patriæ, causâ urbanitatis aut honestæ benevolentiæ: idem dic de mutua manûs apprehensione in salutando, de leviori blanditie in genas puellæ juniusculæ, etc.

221. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Actus minus pudici inter conjuges, si nullum secum ferant periculum libidinis inordinatæ, carere possunt reatu gravi; imo carere possunt et levi, si ex justa causa fiant, puta ad actum conjugalem facilius perficiendum.

2.ª Actus turpes, quos intentione libidinosa pueri habeant secum ipsis, aut cum aliis ejusdem vel alterius sexus, quidquid sit de horum actuum appellatione theologica, *per se* sunt peccata mortalia, tum contra pudicitiam, tum propter conatum ad delectationem veneream sibi procurandam.

3.ª Si quis impubes (mas vel femina) confiteatur se super seipsum turpia fecisse, confessarius (nisi de puerulo agatur) interrogabit utrum aliquid ulterius desideravit: si ille affirmet, regulariter interrogabit de objecto ejusque circumstantiis mutantibus speciem; at, si neget, nihil amplius interroget. Idem faciendum cum feminis puberibus 4.

4.ª In pueris dari potest ignorantia invincibilis de malitia quorumdam actuum impudicorum, licet eos coram aliis facere erubescerent. Si confessarius ex modo confitendi hoc percipiat vel suspicetur, circa præteritum non urgebit interrogationes; prudenter et caute monebit pro futuro. — Imo ipsi quoque conjuges, numerosæ prolis pertæsi, ignorare possunt malitiam onanismi 5.

5.ª Qui actus impudicos *de se graves* posuerit, non tenetur in confessione explicare, utrum id fecerit ad finem libidinosum, vel cum mera

2) Tanquerey. *De virt. castit. Num. 23, sequ.*; Marc. *795.*

3) Ceterum numquam obliviscatur, quod oranti, et facienti quantum est in se Deus dabit gratiam, qua poterit non consentire.

4) Cf. Ballerini ad Gury *Num. 429, 7;* Palm. *111;* Ber. *581;* Gen. *400, seqq.*

5) Cf. Frassinetti. *Dissert. I.* et *Man. del Parr. nov. Num. 266;* Mrc. *770.*

prævisione periculi consensus venerei: non enim luxuria directe intenta differt specifice a luxuria graviter culpabili in causa.

6.ª Qui actus prædictos 6 habuerit cum alia persona, debet in confessione explicare circumstantias objecti mutantes speciem: utrum hæc ejusdem vel alterius sexus fuerit, soluta, conjugata, sacra, sibi consanguinea aut affinis intra gradus impedimenti matrimonialis.

222. **Regulæ practicæ.** — 1.ª In praxi, extra casum luxuriæ directe voluntariæ, sæpe difficillimum est judicare de specie theologica et morali actuum, ex quibus delectatio venerea vel quasi-venerea producitur. Re enim considerata *objective*, inter cogitationes, lectiones aut locutiones innocuas et alias graviter lascivas, inter actus per se honestos et alios prorsus obscenos, dantur gradationes prope innumeræ; item inter defectum cujuscumque motivi lectionem vel locutionem vel actum excusantis et absolutam ejusdem necessitatem, inter delectationem sensibilem innocentem et delectationem plene libidinosam, etc. Difficultas augetur, si res consideretur *subjective*. Pro diversitate indolis, ætatis et complexionis personarum multipliciter diversus est unius ejusdemque causæ influxus in delectationem veneream: aliæ delicatissimæ sunt, aliæ ferme apathicæ: aliæ ceu obscœnos habent actus, quos aliæ habent decentissimos: quædam sunt, quæ, si confessionibus earum credas, in peccatis sunt totæ; dum criterium tuum dictat eas numquam peccare graviter: aliæ in rebus levioribus confitendis verecundissimæ sunt, aliæ in exponendis spurcissimis effrontes: adde et anomalias nervosismi, hysterismi, nevrasteniæ, etc. Hæc vera esse experientia quotidiana testatur. Quæ si vera sunt, sæpe impossibile erit confessario judicare cum fundamento de specie morali et theologica peccatorum, quantumvis velit multiplicare interrogationes. In hisce casibus advertat valori absolutionis non obesse errorem in judicio suo, sed unice obesse defectum doloris et propositi in pœnitente; parcat igitur interrogationibus, ut dolori excitando et proposito corroborando incumbat.

2.ª In præsenti materia, non modo potest, sed etiam debet parcissimus esse confessarius in interrogando; cum nimia interrogandi sollicitudo reddere possit confessionem, nedum onerosam, sed et periculosam, tum pœnitenti tum sibi. Non interroget, nisi prope certum videat fuisse a pœnitente contractam, et quidem formaliter, specialem malitiam gravem, quam pœnitens ipse sufficienter exponere non valet: in dubio, non interroget. « In materia luxuriæ *multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare* ratione integritatis confessionis ». Ita sentiunt omnes theologi.

3.ª Quapropter nec pueros ac puellas, nec generatim pœnitentes quoscumque de hac materia interroget, nisi valde probabile habeat quidpiam fuisse revera patratum, quod pœnitentem revelare pudeat. Interrogando, præsertim pueros ac puellas, procedat pedetentim et semper pavidus: de sociis, de eorum sermonibus, de familiaritatibus, de cogita-

6) Excipiendi videntur aspectus, nisi *ad libidinem fiant*. S. Lig. *Num. 431.*

tionibus, etc.: in his omnibus « maxima debetur puero reverentia ». Cum adultis hoc cœno inquinatis, interroget tantum ubi secundum doctrinas theologorum certas eorumque practicas deductiones constat esse interrogandum; et quidem de ipsis inverecundis verecunde.

4.ª Confessarius omnem zelum adhibeat, ut pœnitentem ad sinceram præteritarum libidinum detestationem excitet, eumque erigat ad amorem castitatis [7]. Ad hoc autem opportuna suggerat remedia. Ex his primum et præcipuum sit fuga occasionum; earum præsertim, quæ pro indole et conditionibus pœnitentis videntur esse magis periculosæ: in dubio autem de majori vel minori alicujus occasionis influxu in delectationes venereas, confessarius generatim viam tutiorem sequatur, cum hic agatur de periculo peccati formalis. In hac re severiores confessarii sint cum parentibus, qui sæpe filiis et filiabus periculosas occasiones, non solum permittunt, sed et procurant. Alterum medium sit carnis mortificatio, abstinentia a crapulis et potationibus inebriantibus, sensuum et præsertim oculorum custodia. His et media supernaturalia addantur: frequentia sacramentorum, oratio, devotio erga B. Virginem, exercitium divinæ præsentiæ [8]. Meminerint confessarii cetera omnia vitia non tot christianorum animas in barathrum æternæ damnationis detrudere, quot detrudit unum vitium luxuriæ.

DE SEPTIMO ET DECIMO PRÆCEPTO

Utrumque effertur forma negativa: *Non furtum facies.... Non concupisces domum proximi tui,.... neque omnia quæ illius sunt* [1]; simul vero indirecte continent etiam præcepta affirmativa. Septimum prohibet quamcumque læsionem jurium, quæ proximus habet in bonis fortunæ; simul jubet nos in eum benignos esse ac liberales. Decimum prohibet, ne eadem jura ullatenus violare velimus; simul præcipit, ut statu nostro, quicumque ille sit, sive humilis, sive excelsus, contenti simus [2]. — Verum materia pro tractatione præsenti nimis ampla est: quare de ea agimus in tractatu *De virtute justitiæ*.

DE OCTAVO PRÆCEPTO

223. Enuntiatur forma negativa: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* [1]. Prohibet autem directe falsum testimonium, sive in judicio, sive extra judicium; indirecte vero præcipit virtutem ve-

7) Cf. PALMIERI *De castitate et virgin.*, apud BALL. II. *Num. 131-144.*

8) De remediis REUTER *Neoconfess. Num. 64, 16;* SALVATORI *Istruzione dei confess. nov. P. I. 9;* TANQU. *61 seqq.;* NOLDIN *37.*

1) EXOD. *XX. 15, 17.*

2) CATECH. Conc. Trid. *P. III. De VII. præc. Num. 2, De X præc. 14.*

1) S. THOMAS *Qu. 110, art. 3;* LESSIUS *Num. 36;* LEHMK. *772.*

racitatis, ut « simulatione fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur » 2. Theologi tamen huc reducunt quamcumque damnificationem, quæ proximo inferri possit per verba: quare et nos agemus de læsione, tum veritatis, tum famæ et honoris.

CAPUT I.

DE LÆSIONE VERITATIS

224. *Veritas* heic accipitur moralis seu subjectiva, quæ definiri solet « adæquatio signi et signati », seu conformitas signorum externorum cum eo quod habetur in mente. Quæ virtus constat duplici præcepto: altero negativo, quod obligat semper et pro semper; altero affirmativo, quod obligat semper, at non pro semper: ad primum pertinet *mendacium*: ad alterum *restrictio mentalis* et *custodia secreti.*

ART. I. — De mendacio

225. *Mendacium* definitur « locutio contra mentem »; et consistit in eo, quod quis verbis aliisve signis externis significet contra id, quod habet in mente. Quare opponitur veritati subjectivæ seu veracitati, cujus officium est procurare conformitatem signorum cum mente 1.

Effectus proprius mendacii est, ut falsitatem ponat in mente audientis; at hæc intentio fallendi spectat ad perfectionem mendacii, non ad ejus essentiam; quare dari potest locutio falsa sine intentione fallendi; ut, si quis crimen a se commissum, et quidem notorium, neget, ne possit convinci. Ceterum hic finis adeo est mendacio connaturalis, ut, qui certo scit sibi non credi, nec mentiri censeatur: hoc sensu quidam distinguunt *falsiloquium* a mendacio.

Ratione signorum, si significatio consistit verbis, dicitur proprie *mendacium;* si factis, *simulatio;* si non factis, *dissimulatio*. Species particularis simulationis est *hypocrisis;* quod nomen usu communi designat eam simulationem, qua quis se bonum esse simulat.

Ratione finis, triplex distinguitur mendacium: *officiosum*, si ad utilitatem propriam vel alienam ordinatur; *jocosum*, si ad jocum; *damnosum*, si, præter deceptionem audientis, alia quoque damna affert ipsi vel aliis.

226. **Principia. 1.** Mendacium est malum intrinsece et absolute: est enim contra ordinem naturalem, quod habeatur oppositio inter mentem et mentis significationem. Constat etiam ex

2) Eph. *IV. 25.* — Adde Prov. *XII. 22;* Sap. *I. 11;* Col. *III. 9.*

1) S. Thomas *2. 2. Qu. 70-77, 109-113;* De Lugo *Disp. XIV, sequ.;* Lessius *Lib. II. Cap. 47 Num. 29-46;* S. Lig. *III. Tract. VI;* Verm. *De mendacio* apud *Gregorianum* sparsim (Romæ 1920).

S. Scriptura : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem* [2]. Tamen ex *genere suo* est peccatum veniale ; cum opponatur veracitati, quæ *per se* obligat *sub levi*.

11. Mendacium damnosum ex *genere suo* est peccatum mortale : opponitur enim virtuti justitiæ, quæ *per se* obligat *sub gravi*. Insuper inducit obligationem reparandi damna, quæ ex eo secuta sunt, et secutura intenduntur aut, saltem in confuso, prævidentur.

227. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui asserit falsum quod verum esse putat, hic non mentitur ; e contra mentitur, qui asserit verum puod putat esse falsum.

2.ª Mendacium officiosum et jocosum *per se* sunt peccata venialia : deceptio enim audientis est prorsus innocua.

3.ª Locutiones nimis evidenter falsæ non sunt mendacia jocosa, sed joci. Ita, si quis dicat se vidisse bovem volantem.

228. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui mendacium ordinet ad finem sibi connaturalem fallendi audientem, hic proximum in bonis intellectus damnificat ; quod peccatum erit grave vel leve pro gravitate vel levitate materiæ.

2.ª Qui alios scienter falsum doceant circa fidem vel regulas morum, graviter peccant et ad errorem in mente audientium corrigendum tenentur. Qui mendacio alios decipiant in contractibus, puta in matrimonio, sponsalibus, etc., graviter peccant, ac tenentur errores corrigere et damna reparare.

3.ª Qui falsum testimonium proferat in judicio, peccat peccato per se gravissimo contra præceptum octavum : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Hoc peccatum opponitur, non modo veritati, sed etiam justitiæ legali ; imo et religioni, si testimonium juramento firmetur : damna inde obvenientia tenetur falsus testis reparare, etiam cum damno proprio majori.

ART. II. — De restrictione mentali

229. *Restrictio mentalis* est actus mentis, quo quis, proferens vocem vel phrasim, non accipit eas juxta earum significationem propriam et obviam, sed juxta aliam significationem minus propriam non obviam, et proinde non facile perceptibilem ab audiente. Inde fieri potest, ut locutio juxta significationem acceptam a loquente sit vera ; dum in significatione accepta ab audiente est falsa. Si acceptio illius significationis minus propriæ sit prorsus arbitraria loquenti, habetur restrictio *pure* vel *stricte mentalis* : si e contra aliquod fundamentum habeat in usu plus minusve frequenti, aut in adjunctis loquentis vel audientis, habetur restrictio *late mentalis* : in primo casu significatio accepta a loquente est omnino impercepti-

2) Eph. *IV. 25.* — Catechismus Conc. Trid. *P. III. Cap. IX. 2.*

bilis; in altero est aliquo modo perceptibilis, licet prævideatur non percipienda: in primo casu ea locutio est falsa; in altero, accepta sensu minus proprio potest esse vera, licet accipienda prævideatur eo sensu vulgari, quo est falsa. Ita de Joanne vere dixit Christus: *Ipse est Elias;* nec minus vere Joannes dixit: *Non sum Elias.*

Ad restrictionem late vel stricte mentalem reducuntur *æquivocatio* (duplex sensus in voce) et *amphibologia* (duplex sensus in phrasi): ad restrictionem latissimæ mentalem *metaphora* et *allegoria.*

230. **Principia. I.** Restrictio pure mentalis est verum mendacium; ac proinde habet omnes reatus, quos habet mendacium.

II. Restrictio late mentalis licita est, quando assertio in sensu loquentis sit vera, et habeatur ratio proportionate gravis ad permittendam audientis deceptionem cum omnibus iis effectibus, qui ex ea secuturi esse, saltem in confuso, prævidentur.

III. Restrictio etiam late mentalis illicita est, quando audiens jus habet cognoscendi veritatem. Eadem est præcepta, quando impossibile est non respondere interroganti, et simul illicitum est veritatem revelare.

231. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Heres, qui occultavit bona, ex quibus non tenetur solvere creditoribus, judici interroganti respondere potest, etiam cum juramento, se nihil occultasse.

2.ª Qui rogatur de summa donanda vel mutuanda, respondere potest se nihil habere; item, qui ab officialibus tributorum interrogatur de bonis hereditate acceptis, de suis lucris ordinariis, de mercibus vectigali obnoxiis, etc.

3.ª Uxor adultera marito interroganti respondere potest se adulterium non perpetrasse: quod si ex adulterio conceperit, adhuc negare potest, quando secus mortem aut gravissima mala vereatur; at in eo casu damna mariti et aliorum filiorum cavere aut resarcire debet.

4.ª Reus a judice interrogatus de crimine suo vero, at nondum semiprobato juridice, negare potest se crimen illud commisisse; et, si id exigatur, etiam jurare.

5.ª Famulus interrogatus ab extraneo utrum dominus domi sit, respondere potest non esse; licet ille domi sit, at non possit aut non velit extraneum admittere.

6.ª Ad utendum restrictione mentali in juramento causa longe gravior requiritur; cum testimonium Dei interponere non liceat sine gravi motivo [3]. Hinc peccaret, qui restrictionem mere jocosam firmaret juramento.

232. Ex Princ. III. — 1.ª Testis, juridice et legitime interrogatus a judice, exponere debet veritatem sine ulla restrictione: at ea uti potest,

3) *Propp. 26, 27* damnata ab Innoc. XI, apud DENZ. *1176, 1177.* — Cf. NOLDIN *640.*

si interrogetur de re, de qua non tenetur respondere : ea uti tenetur, si tenetur non aperire veritatem; ita parochus.

2.ª Illicitum est uti restrictione etiam late mentali, quando quis debet alterum ex officio instruere, aut contractum cum altero init præsertim onerosum.

3.ª Qui beneficium vel officium quodcumque postulat, cui defectus aut crimen etiam occultum obstaret, si legitime interrogetur, debet sine ulla restrictione veritatem aperire [4]. Ita promovendus ad sacros Ordines, si ab Episcopo interrogetur de natalibus, de irregularitatibus, de censuris; ita aspirans ad matrimonium, si interrogetur a parocho de impedimentis.

4.ª Qui habent officia publica, si de rebus sibi commissis interrogentur, quando non possint declinare responsionem, possunt ac debent uti restrictione mentali, non solum dicendo se id nescire, sed etiam, si prior responsio non sufficit, negando quod ex officio sciunt esse verum. Ita confessarii in primis, judices, magistratus, medici, secretarii, advocati etc.

5.ª Omnes, qui injuste interrogentur de re, de qua verum dicere non possunt sine vera detractione, tenentur respondere cum restrictione mentali, tum dicendo se de hac re nihil scire, tum, si hoc non sufficiat, negando id quod sciunt esse verissimum.

6.ª Idem facere debent quotquot rem aliquam etiam indifferentem sciunt sub secreto promisso vel commisso; exceptis casibus, in quibus aliunde tenerentur secretum illud revelare.

233. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Num liceat mendacium officiosum, quando ipsum est unica via ad tegendum secretum, quod quis jure servare potest aut etiam debet ?

Resp. Non desunt theologi, qui affirment. Ratio eorum est, quia in hoc casu jus personæ interrogantis (ut non decipiatur) cessat in conflictu cum jure personæ interrogatæ; quare hæc poterit mendacio alteram decipere, simili ratione ac potest aliquis se ab injusta vexatione redimere dando monetam falsam [5]. Verum alii negant, cum mandacium sit contrarium virtuti veracitatis, ac proinde in nulla hypothesi possit non esse malum. Hi tamen dant amplissimam extensionem juri restringendi mentaliter; adeo ut vix non expresse doceant in eo casu esse late mentalem eam quoque restrictionem, quæ nullatenus perceptibilis est [6]. Ita juxta utrosque infirmo a me petenti quo modo se habeat mater sua(quæ defuncta est), respondebo eam se bene habere; urgenti utrum viva, sit, an mortua, respondebo eam vivere (vita æterna, ut spero); iterum roganti num ego meis oculis eam viderim, respondebo affirmando (nempe : anno superiori, vel in effigie, vel utcumque).

4) *Prop. 28* damnata ab Innoc. XI, apud DENZ. *1178.*

5) Neque carent auctoritate quorumdam SS. Patrum. — Cf. TANQU. *Num. 405-408.*

6) « Jacob quod matre fecit auctore, non est mendacium, sed mysterium ». S. AUGUSTINUS *Contra mend. Cap. 10.*

Quare, ubi constat adesse necessitatem tuendi secreti, non est scrupulose procedendum; sed sine hæsitatione eligi potest ea respondendi ratio, quæ ad secretum servandum necessaria videatur... Si pœnitentes exponunt se fuisse coactos ad mentiendum, puta ut vitarent blasphemias, discordia, etc., responderi poterit hæc non esse vera mendacia, sed licere, quin hujus liceitatis ulterior explicatio præbeatur. Rudes mendacia quandoque appellant, quæ a theologis communius restrictiones late mentales vocantur.

234. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Utrum liceat umquam scienter fallere proximum?

Resp. 1.° Hoc non licet usu medii in se mali, ut esset mendacium vel restrictio pure mentalis.

2.° Usu medii non mali, profecto non licet intendere vel directe procurare in mente alterius errorem, h. e., judicium falsum; vel etiam ignorantiam positivam, h. e., carentiam sicentiæ debitæ 7: intenderetur enim proximi damnificatio injusta in bonis intellectus, ex qua sequi posset etiam damnificatio in bonis famæ, fortunæ, etc. Sed intendere et etiam procurare ignorantiam negativam alterius, sive loquendo, sive tacendo, hoc non est velle vel inferre ei malum: ea enim ignorantia non est mala. Ita generatim non est malum quod maritus non sciat uxorem commisisse adulterium; imo hoc bonum est pro uxore, pro familia, pro ipso marito. Quando autem licitum est hanc ignorantiam negativam procurare, si forte ex ea in mente alterius sequatur etiam ignorantia positiva et error, seu vera deceptio, licebit hos quoque effectus permittere; seu causare indirecte; dummodo non causentur mendacio, et ordo caritatis servetur ex ratione, quæ sit proportionata, tum ad gravitatem deceptionis, tum ad cetera damna, quæ inde oritura esse prævidentur. Tunc enim « non nos decipimus proximum, sed e justa causa permittimus, ut ipse se decipiat » 8.

Hinc: *a*) Peccant, qui doceant falsa, etiam in rebus indifferentibus; et *a fortiori*, qui doceant perversa, seu damnosa fidei, bonis moribus, publicæ tranquillitati, privatæ securitati. — *b*) Peccat examinator, qui restrictione mentali decipiat Episcopum aliumve superiorem de idoneitate alicujus adspirantis ad Ordines sacros, vel ad officium confessarii, ad curam animarum, etc. Superior enim jus habet cognoscendi rei veritatem. Casus similes plures. — *c*) Non peccant parentes, qui prudenti restrictione aut æquivocatione respondeant ad ea, quæ simpliciter filii petant de modo generationis, de morbo matris suæ, etc.; imo neque hi, qui hoc faciant de rebus minoris momenti, puta de munusculis in festo S. Luciæ. Idem fieri potest cum amente vel hebete ad utilitatem, sive ipsius, sive suam, sive alterius. — *d*) Generatim, qui interrogantur de crimine vel defectu suo, quem revelare non tenentur, respondere possunt negando, subintelligentes, « non commisi crimen, vel non laboro defectu, *quem tibi debeam revelare* » — *e*) Uxor adultera, interrogata a marito, potest restrictione

7) Hæc habetur, quando alter *jus habet* ad scientiam.
8) S. Ligorius *Num. 151;* Lehmk. *773, 2.*

mentali procurare ut maritus *non sciat* ipsam esse adulteram; non potest procurare ut maritus *sciat* eam esse innocentem: si ex assertione uxoris, vi restrictionis vera, maritus positive judicet eam esse innocentem, uxor licite potest hoc falsum judicium permittere, imo et de ejus effectibus gaudere. — *f*) Licite potest dominus simulare se domo exisse, ut hac arte famulum in actu furandi deprehendere possit. Quid simile licet superiori communitatis, custodi agrorum vel vectigalium publicorum, etc.

ART. III. — De custodia secreti

235. *Secretum*, si accipiatur objective, est res arcana seu occulta; si accipiatur subjective, materialiter est rei arcanæ notitia, formaliter est illius non revelandæ obligatio.

Secretum, acceptum subjective, multiplex distinguitur: *a*) Est *naturale*, si exigitur ab ipsa rei natura; sive quia mala est, sive quia interest eam manere occultam; *b*) est *promissum*, si post acceptam rei arcanæ notitiam fuit per promissionem assumpta obligatio non revelandi; *c*) est *commissum*, si obligatio non revelandi fuit assumpta antecedenter ad notitiam, hæc vero communicata fuit sub conditione illius obligationis assumendæ; *d*) Accedit ei *secretum officii*, quod communiter æquivalet commisso, cum oriatur ex quasi-contractu: ejusmodi est illud, quo tenentur advocati, medici, theologi et generatim professionistæ ex consultatione: illud, quo tenentur confessarii ex confessione, est simul *naturale*, *commissum* et *sacramentale*.

Secretum duplici modo violari potest: nempe *exploratione* et *revelatione;* et quidem *injuste* vel *juste*, prout jus alterius violatur, vel non violatur.

236. **Principia. I.** Exploratio injusta secreti alterius *per se* est peccatum mortale; cum opponatur virtuti justitiæ. Nam secretum est « quædam quasi res ejus, qui rei arcanæ, seu jam factæ, seu faciendæ, auctor est » [9].

II. Revelatio secreti, sive naturalis, sive commissi, est peccatum mortale ex *genere suo;* excepto casu, quo ille cujus interest, in eam revelationem consentire cognoscatur aut prudenter præsumatur, aut nonnisi irrationabiliter dissentire possit.

III. Revelatio secreti mere promissi est peccatum grave vel leve, prout promissio obligat ex justitia vel ex fidelitate: at nullum peccatum est in casibus, in quibus promittens sese ad secretum licite obligare non potuit.

9) D'Annibale II. *Num. 269.* — Cf. Gen. *Casus Num. 200-220.*

IV. Excepto secreto sacramentali, obligatio servandi secretum generatim cessat, quoties ejusdem notitia jam aliunde publica evasit.

237. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Generatim peccant aperientes vel legentes litteras alterius, mittente vel missario invito; quod peccatum est grave, nisi prudenter judicetur iis litteris res levioris momenti contineri. Leviter, aut ne leviter quidem, peccat, qui legit communicationes chartulis patentibus inscriptas.

2.ª Peccant *per se* graviter illi, qui occulte inspiciunt quid agant alii, vel auscultant quid dicant: peccatum facile leve erit subjective ex levitate inspicientis aut auscultantis.

3.ª Peccant, qui alium de re ipsi secreta interrogant, cum periculo quod ille, nesciens uti restrictione mentali, secretum suum aut alienum revelet. Quin et ipso jure civili prohibetur magistratus interrogare de iis, quæ alicui credita sunt ratione muneris quod gerit; puta medici, advocati, parochi.

4.ª Non peccat pater, qui legat litteras filii vel filiæ, aut filio vel filiæ destinatas; item nec superior religiosus, rector instituti educativi; imo nec magistratus politicus, si cum fundamento timeat iis litteris quædam contineri publicæ tranquillitati periculosa.

5.ª Nec peccat pater, qui occulte invigilet super mores filiorum; nec maritus, qui, dubitans de fidelitate uxoris, ipsius gressus clam prosequatur; item nec uxor, quæ idem faciat de marito; nec dominus de famulo, etc.

238. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccant generatim famuli, non modo si extraneis referant discordias familiæ, sed etiam si ea negotia revelent, quæ servari interest secreta; puta substantias, jura, debita, etc. Peccatum erit gravius vel levius pro qualitate materiæ et pro majori vel minori ejusdem evulgatione.

2.ª Advocatus, qui a suo cliente sciat eumdem fuisse homicidam, non potest id cuipiam revelare, etsi inde alius sit pœna capitali plectendus. Qui id noverit ex secreto mere commisso, tenetur secretum servare, quousque ipse reus posset; ergo quousque hic liber est, aut, si carcere detentus, nondum habetur semiplena probatio 10.

3.ª Si quis ex secreto sibi mere commisso a Titio sciat ab eodem, aut etiam a Cajo, occidendum esse Sempronium, non tenetur obligatione secreti; imo debet ex caritate crimen impedire, etiam secretum revelando, si id sit necessarium. E contra tenetur secreto, qui hæc noverit ex secreto officii.

4.ª Medici, chirurgi aliique publici officiales vi legis civilis debent, et in conscientia possunt, et generatim debent, denuntiare vulnera, percussiones, veneficia et alia crimina, quorum notitiam in exercendo proprio officio acquisiverint.

10) De his et seqq. cf. BALLERINI *De præc. Num. 56-58.*

5.ª Qui noverint de conspiratione in bonum publicum inita vel ineunda, eam publicæ auctoritati denuntiare debent, quamvis notitiam habuerint ex secreto commisso, etiam vi officii.

6.ª Nullus casus possibilis est, quo confessarius debeat aut possit violare secretum confessionis sacramentalis.

239. *Ex Princ. III.* — 1.ª Qui suis oculis Sejum viderit in agro Sempronii furari, eique ad ejus instantiam promiserit se id nemini, ne Sempronio quidem, revelaturum, tenetur hoc secretum servare: at, si a judice juridice et legitime interrogetur, tenetur crimen Seji revelare; item debet revelare Sempronio, si ab eo ad agri custodiam conductus fuerat, quo in casu non potuit se erga Sejum obligare.

2.ª Qui alteri secretum promiserit, generatim ab ejus obligatione solutus est, si inde incommodum tale sibi aut alteri secuturum sit, quo præviso, secretum non promisisset: præsertim, si promissio fuit gratuita.

3.ª Si quis, ductus minis, precibus aut præmiis, collegæ periculoso promiserit, se ejus scandala habitualia nemini revelaturum, eadem revelare debet superiori; præ quo promissio illicita fuisset.

4.ª Exploratio et revelatio secreti alterius, etiam justa, posset esse peccatum contra caritatem, quando fiat intentione non recta, aut non servato ordine caritatis.

240. **Quæstiones.** — *Qu. un.* Utrum graviter peccet, qui sine causa excusante secretum uni personæ prudenti manifestat sub eadem obligatione secreti?

Resp. Affirmative, quando judicatur quod ea revelatio illi, cujus interest, tristitiam jure gravem afferret, si eam sciret; quod potest contingere, si secretum communicetur illi personæ cui alter voluisset specialiter celari, et etiam quando timeri potest quod ea persona prudens alteri item prudenti secretum communicet, et hæc tertiæ, et ita porro. Extra hos casus, peccatum habetur ut veniale. Ratio patet ex dictis alibi de gravitate peccati contra justitiam.

CAPUT II.

DE LÆSIONE FAMÆ

241. *Fama* est « bona æstimatio, quam de aliquo habent alii ». Materia hujus æstimationis sunt dotes habituales ex parte intellectus et voluntatis, sive voluntariæ, sive involuntariæ, imo et ipsæ dotes naturales ex parte corporis, et insuper actiones quocumque titulo laudabiles. Læsio autem famæ in hoc est, quod ejusmodi bona æstimatio in aliis destruatur aut minuatur, dotes alicujus negando, ejus crimina vel defectus occultos revelando, merita extenuando, etc.

Juxta alibi dicta, homo generatim ad suam famam, h. e., ad hanc de se bonam in aliis æstimationem, jus habet; quapropter generatim læsio famæ illius est actio injusta. Ea committi potest: *a*) negando do-

tem, quam alter habet, aut affingendo illi crimen vel defectum, quem non habet; et habetur *calumnia*: *b*) revelando crimen vel defectum occultum, quem habet; hæc est *detractio* simplex.

Subjectum juris ad famam possunt esse personæ, tum physicæ, tum morales; item personæ defunctæ.

Item diversis modis particularibus lædi potest fama alterius; scilicet: *a*) *Positive;* attribuendo alteri defectum non verum, aut verum exaggerando, aut actionem non malam male interpretando (calumnia); aut etiam defectum verum manifestando (detractio). - *b*) *Negative;* negando aut extenuando dotes, sive veras, sive non veras, ab aliis agnitas; aut eas tacendo, aut remisse seu frigide aliquem laudando. Qui modi *directi* et *indirecti* versiculis sequentibus indicantur:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:
Qui negat aut minuit, reticet, laudatve remisse.

Dantur et modi generici sæpe nimis efficaces, sive calumniandi, sive detrahendi: « Sunt alia plura, de quibus melius est silere;... plurima dicenda haberem, at caritas vetat »; etc.

Quæ statuimus de apponendo crimine falso vel de revelando crimine vero occulto, eadem cum debita proportione intelligenda sunt de quovis defectu, etiam inculpabili et naturali, cujusmodi esset illegitimitas natalium.

242. **Principia. I.** Calumnia absolute et intrinsece opponitur virtuti justitiæ; ac proinde semper est peccatum, et est mortale ex *genere suo*. Ratio est, quia alter in nulla hypothesi amittit jus, ne sua fama lædatur per appositionem criminis non veri [1].

II. Detractio simplex, seu revelatio occulti criminis (aut defectus) alterius, est peccatum ex *genere suo* mortale contra justitiam, quando alter jus habet, ne crimen suum (aut defectus) reveletur; quando alter hoc jus non habet, detractio adhuc potest esse peccatum contra caritatem, si fiat intentione non recta, aut non servato ordine caritatis.

III. Gravitas peccati calumniæ et detractionis consistit *per se* in gravitate læsionis famæ alterius; quae gravitas ex tribus elementis æstimanda est, nempe: *a*) gravitate criminis appositi vel revelati; *b*) ex auctoritate personæ calumniantis vel detrahentis, *c*) et ex fama, qua circa crimen illud alter gaudebat. Insuper *d*) accedere possunt damna in bonis vitæ, honoris et fortunæ.

IV. Jus proximi, ne ejus crimen verum reveletur, cessat, quando illius criminis revelationem postulet bonum publicum, vel

1) Confirmatur ex damnata ab Innoc. XI *Prop. 44*, apud DENZ. *1194*.

bonum privatum, sive proximi ipsius, sive revelantis, sive tertiæ personæ. Tunc, qui illud revelet intentione recta, nullatenus peccat, nec contra justitiam, nec contra caritatem : proximi enim diffamatio est voluntaria indirecte et ex causa justa.

V. Qui famam proximi læsit injuste, sive per calumniam, sive per simplicem detractionem, tenetur famam reparare, ac insuper compensare omnia damna, quæ inde secuta sint, quæque sint illi in ea læsione imputanda.

243. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si quis me calumniatus fuerit, nec possim crimen avertere, nisi calumniando calumniatorem, non ideo mihi licet hac ratione meam innocentiam tueri.

2.ª In concertationibus pro electionibus publicis non licet crimina aut defectus falsos candidatis adversariis apponere, etiam ad optimum finem; imo neque ea crimina vera evulgare, quæ ad idoneitatem pro munere publico nihil pertinent.

244. *Ex Princ. II.* — 1.ª Excusatio detractoris, quod ea, quæ dixit, vera sunt, nihil valet; nam proximus, etiam quoad crimen occultum vere patratum, jus habet ne hoc sine causa proportionata evulgetur aut reveletur.

2.ª Dives salvâ justitiâ poterit sui famuli fraudes ad judicem deferre; sed, si pro levi emolumento suo tota illius familia sit in extremam egestatem dejicienda, prohiberi poterit ex caritate.

245. *Ex Princ. III.* — 1.ª Ex *gravitate criminis* vel *defectus*, peccatum grave est dicere de proximo ea, quæ revelari ipsemet jure graviter ferret; ut sunt communiter peccata in se mortalia, defectus infamantes, etiam qui sint mere naturales, ut illegitimitas natalium, præsertim si inde alia damna proveniant.

2.ª Grave est, saltem communiter, de aliquo monasterio affirmare quod in eo prava ducitur vita, regularis disciplina non servatur, grave crimen fuit commissum, etc.

3.ª Ex *auctoritate personæ calumniantis* vel *detrahentis*, graviter peccat persona seria et prudens existimata, si dicat se suis oculis vidisse vel suis auribus audivisse ea quæ narrat; e contra, si persona sit loquax, garrula, usu maledica, quæ sciat sibi non facile credi, peccare potest venialiter etiam in materia gravi.

4.ª Qui alterius crimen refert, ut ab aliis auditum, peccat gravius vel levius pro majori auctoritate, quam illis dicteriis ipse referens conciliat: gravius, si dicat se a persona prudenti et veridica audivisse; minus graviter, si dicat audivisse a femina multiloqua; levius, si sub formis dubitativis « dicunt, narrant, fertur ».

5.ª Ex *fama personæ diffamatæ*, erit grave de sacerdote magnæ æstimationis dicere quod nimis familiariter puellas alloquatur, quod sermones habeat minus honestos, quod sit mendax: at non grave hæc

dicere de sacerdote, quem omnes vident esse leviorem, aut de juvene mediocris famæ, de milite.

6.ª Peccatum non est, aut certe non grave, de meretrice dicere quod hodie fornicata est, vel de ebrioso quod sese inebriavit et cum uxore rixatus est, etc.; quamvis hæc facta sint occulta.

7.ª Si alicujus crimen alicubi publicum est aut notorium, qui illud revelat nescientibus, haud facile peccat graviter; cum illius fama exiguæ sit æstimationis: facilius peccat graviter, si alibi revelet, ubi illius fama adhuc integra servatur; at, si agatur de crimine, quod reddat hominem periculosum, sæpe erit actus caritatis erga alios illud revelare. — Qui vero per sententiam judicis damnatus fuit, jus ad suam famam amisit.

8.ª Detractio de persona defuncta gravior esse potest, quatenus ea suam famam tueri non potest; simul vero levior, eo quod minus est damnosa. Historiographi, scribentes post longum tempus a morte alicujus, possunt illius crimina narrare ratione publici boni 2.

9.ª Propter *damna accedentia*, reus est dupliciter, qui, injuste de quopiam detrahens, causa est, qua innocens ad carcerem damnetur, pax in familia dissolvatur, famulus a domino dimittatur.

10.ª Sussurrones, qui ex habitu inter fratres, amicos, consodales, etc. disseminant discordias, aliorum ad alios detractiones vel dicteria referendo, peccant peccato *per se* gravi et sæpe gravissimo, licet singularum relationum materia levis sit; habetur enim peccatum contra caritatem, quod funestissimos sæpe habet effectus, præsertim in familiis et in communitatibus. Hinc: *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes* 3.

546. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Ratione *boni publici* non peccat, qui magistratui revelat initam in regem vel rempublicam conspirationem, qui Episcopo defert scandala alicujus sacerdotis, qui superiori communitatis denuntiat membrum periculosum.

2.ª Ratione *boni personæ, de qua derahitur*, non peccat, qui malam vitam alicujus filii vel filiæ revelat ejus patri vel matri.

3.ª Ratione *boni personæ revelantis*, non peccat qui ad judicem refert autorem alicujus furti in sui damnum perpetrati.

4.ª Titulo cujusdam quærendi solatii, immunes sunt a peccato, saltem gravi, querimoniæ communes uxorum de viris, socruum de nuribus, famulorum de dominis, subditorum de superioribus, discipulorum de magistris, etc.

5.ª Ratione *boni tertiæ personæ*, non peccat testis, qui, postulatus ab actore vel a judice, de crimine alicujus testatur; nec ille, qui puellam nubilem a se consilium rogantem monet de vitiis juvenis ad ejus manum aspirantis; imo nec ille, qui eam non rogatus moneat, si ea monitio videatur esse actus caritatis.

2) Cf. Noldin *Num. 653;* Tanqu. II. *382;* Palm. *70-73;* Gen. *422.*

3) Eccli. *XXVIII. 15.* — Cf. Card. Vives *Lectiones SS. Patrum contra murmuratores* (Romæ 1910); Tanqu. II. *Num. 395, sequ.*

6.ª Verum, qui hæc referant ex odio, peccant contra caritatem, graviter vel leviter pro gravitate vel levitate materiæ.

247. *Ex Princ. V.* — 1.ª Qui alterius famam læsit per calumniam, debet auditoribus calumniæ significare se dixisse non vera: non tenetur dicere se fuisse calumniatorem; sed, si alia via ad reparandam famam præsto non sit, *per se* hoc fateri teneretur.

2.ª Qui alterius famam læsit per detractionem, non potest affirmare falsa esse quæ dixerat; at, si mentiendo reparet, vere reparat. Modus licitus est, ut dicat se errasse, aut plures in hoc mundo esse linguas maledicas, et similia; vel, si curet proximum in materia cum crimine connexa, aut saltem in alia, laudare.

3.ª Qui non potest famam restituere ex integro, debet eam restituere ex parte qua potest; minuendo, sive gravitatem criminationis, sive evulgationem diffamationis, certitudinem suæ detractioni conciliatam, etc.

4.ª Qui famam læsit cum injustitia formali, restituere debet famam et reparare cetera damna etiam cum incommodo suo graviori, quam quod alter secus pateretur: qui læsit inculpabiliter, aut ex inadvertentia, tenetur quidem ex justitia, at non cum incommodo gravi: qui læsit in materia levi, tenetur *sub levi*, et non cum incommodo gravi, alter irrationabiliter exigeret.

5.ª Non tenetur famam vel cetera damna reparare, qui de proximo detraxit juste, at intentione non recta.

248. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I., II.* — *Qu. 1.* Utrum calumnia specifice differat a simplici detractione injusta?

Resp. Sententia negans certe probabilis est, et hodie satis communis. Ratio ejus est, quia calumniæ et detractionis idem est objectum materiale, nempe æstimatio, ac idem est objectum formale, nempe jus proximi ad suam famam. Practice, si pœnitens confiteatur se mala dixisse, et multo magis si addat se dixisse de Titio, confessarius non quærat (ad integritatem) utrum dixerit vera vel falsa. — In calumnia habetur insuper peccatum mendacii, quod *per se* leve est.

Qu. 2. Utrum pro diversitate materiæ sint diversæ species detractionis?

Resp. Plures theologi affirmabant, eo quo jus ad famam in uno videatur specie differre a jure in alio; at S. Alphonsus videtur approbare sententiam contrariam; « quia fama semper est ejusdem speciei in genere moris » 4. Practice, si pœnitens confiteatur se graviter detraxisse, multo magis si addat (indebite) se detraxisse de Titio, confessarius non interroget quid dixerit. — Item probabile est non differre specie detractiones pro diversitate personarum, de quibus detrahitur; puta sacerdotis vel patris: at accedere possunt peccata adnexa; puta scandalum.

Qu. 3. Utrum pro pluralitate criminum alterius, quæ quis uno sermone revelat, multiplicentur numero peccata in una detractione?

4) S. Ligorius *III. Num. 978;* hæsitat *V. 48;* cum eo Palm. ad Ball. *36.*

Resp. Negative, saltem probabiliter; cum una eademque sit fama læsa, licet diversa sint materialiter ejus objecta. Item saltem probabile est non multiplicari peccata pro numero personarum, de quibus unico sermone detrahitur; ac vix non certa est sententia ea non multiplicari pro numero audientium 5. Practice, si quis graviter uno sermone detraxerit de pluribus, in pluribus, coram pluribus, sufficienter confitetur: « semel detraxi graviter »; nec confessarius ratione integritatis debet ulterius interrogare. In his omnibus numerus non est, nisi circumstantia aggravans.

Qu. 4. Utrum graviter peccet, qui defectum grave alterius revelet uni viro prudenti, certe de ea re servaturo secretum?

Rsp. Affirmative, quoties persona, cujus interest, de ea revelatione invita esset graviter et rationabiliter; seu quoties non adest causa proportionate gravis in effectu bono, qui per eam revelationem intenditur. Quod sine causa boni publici vel privati, et quidem magni momenti, ego crimen vel gravem defectum sacerdotis Episcopo vel Vicario, viris profecto prudentibus, revelem, sacerdos ille invitus est graviter et rationabiliter: at forte invitus esse nequit, quod ego gravem ab eo mihi illatam injuriam revelem amico meo ad solatium. Casus multiplices sunt, in quibus haud pronum erit judicare, sint ne sufficientes, an non, causæ, quæ a pœnitentibus passim afferuntur 6.

Qu. 5. Utrum et quatenus peccet, qui audit detractionem?

Resp. 1.° Si ita audiat, ut detractioni, utique injustæ, alterius positive cooperetur, puta interrogando, excitando, aures præbendo, etc., peccat tum peccato contra caritatem ex cooperatione, tum peccato contra justitiam, quatenus in seipso minuit de altero æstimationem. Utrumque peccatum est grave *per se;* sed practice vacare poterit reatu gravi; præsertim secundum, eo quod audiens facile se habet virum probum et prudentem.

2.° Si positive non cooperatur, peccare adhuc potest tacendo, si ex officio debeat detractionem impedire; aut contra caritatem ex omissa correctione fraterna, si in casu eam facere teneatur. Insuper peccare potest contra caritatem, si de ipsa proximi infamia delectetur; non vero si delectetur de modo narrationis, vel de rei novitate, de cognitione sibi forte profutura, etc.

249. *Circa Princ. V. — Qu. un.* Quænam sint causæ excusantes ab obligatione restituendi famam?

Resp. Summatim tres dici possunt: *a) Impotentia physica* vel *moralis;* ita si fama reparari non possit sine periculo vitæ, aut etiam sine jactura alicujus boni, quod, omnibus perpensis, famæ personæ diffamatæ longe prævaleat; item si habentur difficultates speciales, puta quia crimina narrata nimis vera sunt, nec adest via reparandi saltem indirecte. — *b) Inutilitas* reparationis; ita, si crimen jam publicum evasit aut si

5) Cf. D'Annibale *Num. 264;* et quæ diximus *Lib. I. Num. 245-251.*
6) Cf. Noldin *Num. 647;* Gury *448;* Ball. *61.*

jam est obliteratum. — c) Accedit *condonatio*, saltem præsumpta, personæ diffamatæ; dummodo condonare ea possit 7. Quædam mutua condonatio habetur, si et illa famam tuam læsam restituere recuset.

250. **Scholion.** — *De judicio temerario.* — Quod quis sine fundamento sufficienti bonam alterius æstimationem in seipso destruat vel minuat, est vera de eo in semetipso famæ denigratio, et quidem calumniosa. Consequenter judicium temerarium est peccatum contra justitiam, et proinde *per se grave*. Ut vero grave sit in concreto, necesse est concurrere tria: *a*) Agatur de materia gravi; *b*) judicium fiat firmum et plene deliberatum; *c*) hoc vero innitatur motivis nullis aut plane insufficientibus. Quapropter facile dantur causæ gravitatem hujus peccati minuentes.

Judicio temerario accedunt *temeraria suspicio* et *dubitatio*: at in his facilius peccatum erit veniale, etiam in materia gravi; proximi enim damnificatio generatim levis est 8.

CAPUT III.

DE LÆSIONE HONORIS

251. *Honor* 1, seu in re nostra *honoratio*, est « testificatio æstimationis internæ erga alterius excellentiam ». Porro quilibet homo dignitatem habet naturæ rationalis ad imaginem Dei conditæ et ad ordinem supernaturalem elevatæ; at insuper plures homines sunt, qui aliis excellunt propter virtutes, aut scientiam aut auctoritatem, qua quasi Dei personam gerunt. Consequenter quilibet homo jus habet, ut alii suam specialem excellentiam, aut saltem suam dignitatem humanam interne æstiment et verbis aliisve signis hanc æstimationem se abere coram se, physice vel moraliter præsente, significent.

Huic juri opponitur positive *contumelia*, quæ est injusta honoris læsio, alteri præsenti irrogata; negative opponitur *omissio honorationis*, quæ et quando alteri debeatur. Contumeliæ varii sunt modi: *Convicium*, seu congeries vitiorum in alium: *improperium*, seu objectio defectus naturalis aut vitii noti in faciem ipsius: *irrisio* et *subsannatio*, seu contumelia illata; illa risu, hæc motibus, gestis, scriptis. Nulla inter varios modos est differentia specifica: at contumelia in genere differt specifice a detractione.

252. **Principia. 1.** Contumelia est peccatum mortale ex *genere suo;* cum opponatur justitiæ. Ratio est, quia homo quilibet jus habet ne suus honor lædatur.

7) Regulariter non posset sacerdos, præsertim parochus; item nec superior communitatis, magistratus etc.; nec paterfamilias, si secus damna familiæ obvenirent. S. Ligorius *Num. 997.*

8) Exempta plura apud S. Ligorium *Num. 961-968;* Gury *467.*

1) *Honor* proprie est in ipso homine excellente, qui dignus est ut honoretur. — S. Thomas *Qu. 72* et *103;* S. Ligorius *984-990.*

II. Contumelia tunc est peccatum mortale, cum ejusmodi est, ut ex rei natura aut ex communi æstimatione capax sit inferre alteri gravem tristitiam : hæc autem pendet, *a*) ex gravitate inhonorationis in se, *b*) ex dignitate persone inhonoratæ, *c*) ex relatione inter ipsam et personam inhonorantem.

III. Contumelia inducit obligationem satisfaciendi pro læso honore, et insuper reparandi damna, quorum eadem vera causa fuit.

253. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Gravis est generatim contumelia, si vir adultus virum vel feminam alapa percutiat, aut offendat titulis vel phrasibus ex se aut ex communi sensu graviter injuriosis : at neque in illa, neque in his, grave peccatum habetur inter pueros etiam adolescentiores, aut inter homines plebeios.

2.ª Erga eamdem personam, puta prælatum, gravior *per se* est contumelia, quæ irrogetur positive per verba aut gestus, quam quæ negative, puta coram ipso non assurgendo, caput non discooperiendo, studiose oculos in via declinando, etc.

3.ª Levis est contumelia, si persona adulta verbum contumeliosum dicat in puerum; imo potest omni culpa vacare, si id moderate fiat causâ justæ exprobrationis aut levis punitionis vel correptionis. Ceterum severe corripiendi sunt parentes, qui convicia trivialia congerunt in filiolos : peccant enim, tum contra reverentiam debitam dignitati humanæ filiis a se communicatæ, tum contra officium educationis spiritualis eorumdem.

4.ª Verba, quibus infimæ plebis homines se ad invicem nebulones, canes, porcos, meretrices, etc. compellant, gravia non sunt; ac ipsa retorsione condonantur.

5.ª Causâ delectationis vel joci leve convicium dici potest sine peccato; imo hoc pertinere potest ad virtutem eutrapeleiæ 2.

6.ª Si quis injuriam in se et in æstimatione communi levem inferat alteri cum prævisione quod hic gravissime tristabitur et irascetur et blasphemabit, peccat peccato levi contra justitiam, at gravi contra caritatem; graviori, si prævideatur scandalum.

7.ª Omnes contumeliæ, etiam in diversis materiis, sunt ejusdem speciei moralis : quoad personas, contumeliæ in parentes opponuntur virtuti pietatis; contumeliæ verbis vel factis in personas sacras, præsertim qua sacræ sunt, ut hodie sæpissime audiuntur, opponuntur religioni.

254. *Ex Princ. III.* — 1.ª Ad reparationem honoris « ea satisfactio reddenda est, quæ prudenter sufficiat ad manifestandam æstimationem internam de dignitate personæ offensæ, non obstante manifestatione contraria per injuriam exhibita » 3.

2.ª Si contumelia fuit illata coram pluribus, coram iisdem, saltem

2) S. Thomas *Qu. 72, art. 2;* Ball. *Num. 31.*
3) De Lugo *Disput. XV. Num. 57;* S. Lig. *984;* D'Ann. *276;* Gén. *564.*

moraliter, præberi debet satisfactio; si per libellum famosum aut per scripta in publicis foliis, alio medio plus minus æquivalenti danda est satisfactio.

3.ª Si præter honorem læsa quoque fuit fama, ista quoque simul cum illo reparari debet; si insuper secuta sint damna in bonis fortunæ, quæ sint imputanda auctori contumeliæ, etiam pro his facienda est restitutio.

4.ª Via ordinaria ad satisfaciendum est petitio veniæ; ad hanc generatim tenentur inferiores erga superiores, æquales erga æquales: superiores sufficienter reparant erga inferiores per aliquod signum benevolentiæ; puta salutando, invisendo, mittendo cartulam auspiciorum pro die onomastica, etc.

5.ª Causæ ab obligatione satisfaciendi excusantes sunt *impotentia physica* vel *moralis*, et *inutilitas*. Si et offensus aliqualem postea injuriam intulit offensori, censetur ipse sibi sufficienter satisfecisse.

6.ª Sæpe expedit, ut confesarius omittat monere pœnitentem de obligatione satisfaciendi, si videat ipsum esse in bona fide, et prævideat difficile ipsum satisfacturum esse 4.

7.ª Tunc quoque monitionem omittat, cum timor habetur, ne forte in ipso actu exhibendæ satisfactionis odia inter offensum et offensorem iterum et gravius exardescant.

255. **Scholion.** — *De condonandis injuriis.* — *a*) Quod percutienti in dexteram maxillam præbeamus et alteram, hoc est Christi consilium, non præceptum. — *b*) Quod inhonorantem non inhonoremus ad vindictam, hoc est præceptum. — *c*) Quod sinamus nos inhonorari, ac pro accepta injuria non exigamus satisfactionem, hoc iterum consilium est, non præceptum: imo quandoque præceptum esse potest ut eam exigamus, sive ad emendationem offensoris, sive ad bonum subditorum nostrorum, familiæ, communitatis, etc., sive etiam ad nostrum simpliciter 5.

4) S. Ligorius *Lib. III. Num. 988;* Gury *Casus 434.*
5) Plura de hac re habet Scavini *Lib. II. Num. 287, 779.*

TRACTATUS SECUNDUS

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

256. Quod Ecclesiæ competat potestas ferendi leges obligantes in conscientia, doctrina est certa certitudine fidei; quam theologi speculativi demonstrant ex natura et fine Ecclesiæ, ex disertis verbis Christi et ex doctrina et praxi Ecclesiæ ipsius.

Materia hujus potestatis legiferæ possunt esse omnes actus, quorum positio vel omissio possit habere rationem medii ad finem Ecclesiæ, qui est sanctificatio animarum earumque salus æterna. Ad Ecclesiam vero pertinet judicare quinam sint actus, quibus hæc ratio medii competere potest; quod judicium, si fiat a magisterio infallibili, infallibile est: ibi « a facto ad jus valet illatio » 1.

Relate ad subjectum auctoritatis legiferæ, eam habent universalem et supremam Concilia œcumenica et Romani Pontifices; particularem et subordinatam Concilia provincialia et diœcesana, Episcopi, Prælati Regulares aliique habentes jurisdictionem fori externi.

Relate ad subjectum obligationis, Ecclesia suis legibus obligare potest omnes baptizatos habentes habitualiter usum rationis. Tamen, ut pia mater, non censetur velle obligare eos, qui nati, baptizati et educati sunt in sectis hæreticis, saltem quod omnes leges; item regulariter neque pueros, qui forte usum rationis habeant ante completum septennium.

Relate ad ipsam indolem legum in se, sunt vere obligatoriæ seu præceptivæ leges illæ, quibus Ecclesia hanc vim obligandi tribuere intendit; hæ vero obligant *per se*, h. e., vi obligationis iisdem inditæ ab Ecclesia: adeo ut earum violatio sit vere peccatum *per se*, licet neque ex contemptu fiat, neque cum scandalo aliorum: quantitas obligationis in materia gravi pendet a voluntate Ecclesiæ. Adesse possunt et aliæ, quibus Ecclesia hanc vim tribuere non intendit; cujusmodi censentur esse quædam constitutiones et regulæ Ordinum religiosorum, plures Rubricæ, etc.; quas violare peccatum non est, nisi violatio fiat ex contemptu aut cum scandalo. — Utrum præscriptio aliqua sit lex in sensu proprio seu præceptiva an non, ac quænam in casu primo sit materia gravis an levis, judicandum erit ex ipsis terminis legis, ex theologorum interpretatione et ex communi sensu fidelium.

Distinctio potissima præceptorum Ecclesiæ hæc est, ut quædam dicantur *communia*, quædam *particularia*: illa ad omnes fideles referuntur; hæc ad particulares fidelium status. — Juxta hanc distinctionem, dividimus tractationem nostram in duas sectiones.

1) Billot *De Ecclesia Thes. XXI, Nota 1.* Cf. et Palmieri *De Rom. Pont. Proleg. De Ecclesia § XIX.* — De vi præceptiva Ecclesiæ circa actus internos et heroicos, *Lib. I. Num. 174.*

SECTIO PRIMA

DE PRÆCEPTIS COMMUNIBUS

256. Cum hujusmodi præcepta a diversis theologis diversimode recenseantur, tum quoad numerum, tum quoad ordinem, nos quin catalogum eorum exhibeamus, agemus de singulis, juxta ordinem qui nobis satis aptus videtur. Omittimus præceptum sanctificandi dies festos, de quo egimus superius; De quibusdam aliis agetur suis in locis.

DE CONFESSIONE ANNUA

257. Christus Dominus, sacramentum Pœnitentiæ instituens, simul præcepit, ut, qui per actus suos reatum peccati mortalis contraxerint, debeant se justificare, et quidem per sacramentum Pœnitentiæ. Cum vero hoc præceptum affirmativum sit, nec pronum sit definire quandonam ejus obligatio urgeat, Ecclesia auctoritate sibi divinitus tradita præscripsit ut hæc justificatio per hoc sacramentum fiat saltem quolibet anno [1]: qui computari potest, sive a die prima Januarii ad postremam Decembris, sive a Pascate ad Pascha, licet forte menses tresdecim intercesserint.

258. **Principium.** « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri » [2]. Hoc præceptum obligat ratione sui.

259. **Resolutiones.** — 1.ª Peccata ex præcepto Ecclesiæ confitenda sunt tantum mortalia: confessio enim præcepta ab Ecclesia est ipsa confessio præscripta a Christo. Hinc, qui, aut numquam, aut ab ultima sacramentali absolutione non amplius graviter peccarunt, hi non tenentur præcepto annuæ confessionis [3].

2.ª Non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ qui, cum alicujus peccati, gravis conscii sint, confessionem faciant sacrilegam aut voluntarie nullam [4].

3.ª Quod qui per integrum annum confessus non est, teneatur confiteri quamprimum, opinio est valde probabilis, non certa: certe hic anno sequenti confiteri debet etiam peccata mortalia anni præcedentis et simul peccatum omissæ confessionis.

4.ª Si quis quacumque ex causa impediatur aut excusetur a præcepto communionis annuæ, adhuc tenetur præcepto annuæ confessionis.

1) Eugenius IV Constit. *Fide digna* die 8 Julii anno 1430.
2) Codex *Can. 906.* — *Cf.* Conc. Later. IV. *Cap. 21.*
3) S. Ligorius *VI. Num. 667.*
4) Codex *Can. 907.* — Cohæret *Prop. 14* damnata ab Alexandro VII.

5.ª Obligatio confessionis annuæ incipit a primo instanti post commissum peccatum mortale: urget per se infra duodecim menses.

260. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Quandonam prima vice pueri præcepto ecclesiastico annuæ confessioni teneantur?

Resp. Hæc obligatio tunc pro pueris incipere dicenda est, cum peccatum commiserint, quod mortale fuit subjective et formaliter. Ratio est, quia ex doctrina Concilii Tridentini et omnium theologorum objectum præcepti ecclesiastici idem est ac objectum divini; seu utriusque materia sunt peccata mortalia tantum. Porro, qui mortale non commisit, præcepto divino non tenetur; ergo nec ecclesiastico 5.

Hinc, si puella, perfectum usum rationis circa septennium adepta, deinceps plurima quidem levia admittat, at nullum mortale ante exactum vicennium, hæc *per se* ne leviter quidem peccat, si primam suam confessionem peragat ante expletum annum vigesimum primum. At, si puella vel puer peccatum subjective et formaliter mortale commiserit sexennis vel quinquennis, hoc præcepto ex tunc tenetur, cum teneatur et divino. — Tamen non censemus obligationem ullam confitendi exsurgere ex sola capacitate peccandi, sive venialiter, sive mortaliter: obligatio, etiam ex Jure novissimo, est confitendi *peccata* sua, seu *actus humanos malos*, et quidem *malos graviter*.

Qu. 2. Utrum præcepto adhuc teneatur qui, cum non gravaretur materiâ necessariâ, confessus est liberam, nunc vero ante elapsum annum incidit in mortale?

Resp. Theologi in diversas abeunt sententias; e quibus certe probabilis est etiam quæ negat 6. Ceterum fideles harum subtilitatum inscii, confessionem usque ad sequentia festa paschalia absque scrupulo differunt.

Qu. 3. Utrum præcepto ecclesiastico satisfaciat qui confessionem peragit absque sua culpa invalidam?

Resp. Negandum videtur; cum ea confessio ab Ecclesia præcipiatur, quæ remittat peccata. Casus est de eo, qui inabsolutus recedit, forte ex inadvertentia confessarii, aut absolutus fuit, inadvertenter dolore vel imperfecto carens. Hisce, sicut manet obligatio confitendi ex præcepto divino, ita et manet ex præcepto ecclesiastico: ab utroque forte excusari quis poterit ob ignorantiam; at non eximi.

5) S. Ligorius *Lib. VI. Num. 667;* Marc *1685, 3;* Noldin *691, 3;* Ball. *1071.*

6) Cf. Ballerini *Num. 1061;* Gen. *323, 2;* Noldin *l. c.*

DE COMMUNIONE PASCHALI

261. Christus, instituens sacramentum Eucharistiæ tamquam spiritualem animarum cibum, quo fideles vitam gratiæ conservare et alere valeant, ex doctrina certa Ecclesiæ simul præcepit, ut fideles hoc cibo spirituali quandoque nutriantur: at determinatio temporis et frequentiæ, qua hujus præcepti obligatio urgeat, difficilis admodum est et apud doctores controversa. Hinc Ecclesia præcepto divino suum adjecit, quo divinum determinavit hoc sensu, ut fideles adimplentes præceptum ecclesiasticum certe simul satisfaciant et divino. Præceptum communicandi semel in anno habetur communiter ut *divinum ecclesiasticum;* præceptum communicandi in Paschate ut mere *ecclesiasticum*.

Hoc præceptum, primo latum in Concilio Lateranensi IV et in Concilio Tridentino firmatum, afficiebat eos fideles, qui ad annos discretionis pervenerint [1]. — Nunc Jure novissimo:

262. **Principium.** « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiæ sacramentum recipere; nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum » [2].

263. **Resolutiones.** — 1.ª Eo ipso quod communio præscripta ab Ecclesia ea est quæ fuit præcepta a Christo, « præcepto communionis recipiendæ non satisfit per sacrilegam communionem » [3].

2.ª Qui tempore paschali, etiam concessione Ordinarii extenso, non communicavit, licet inculpabiliter, tenetur communicare in anno, et forte quamprimum.

3.ª Qui præviderit se tempore paschali communicare non posse, non tenetur anticipare, dummodo speret se dein communicare posse intra annum. At, qui præviderit se communicare non posse diebus temporis paschalis postremis, tenetur primis.

4.ª Relate ad licitam dilationem ad tempus, confessarii erit dare consilium; at deliberatio spectat ad pœnitentem. Confessarius in dilationem influere potest indirecte; differens pœnitenti confesso mortalia absolutionem, si id ad bonum ipsius valde conferre judicet: nec censemus obstare Canonem 886.

5.ª Facultate concessa fidelibus uti potest confessarius in casu, hodie haud rarissimo, quod Dominicâ in Albis accedat pœnitens, quem patet ignorare « mysteria fidei », quæ in Codice dicuntur « necessaria necessitate medii ». Eidem, præsertim si nunc impossibile sit eum docere,

1) Concilium Later. IV. *Cap. 21;* Conc. Trid. *Sess. XIII. Can. 9.*
2) Codex *Can. 859 § 1.*
3) Codex *Can. 861.* — Cf. et *Prop. 55* damnatam ab Innocentio XI.

consulere potest, ut differat ad octiduum, ut interim se instruat, vel ab ipso confessario Dominica sequenti summatim instrui possit. Absolutio data ignoranti est saltem dubie valida, communio certe illicita.

6.ª Ea facultate uti potest (et decet) pœnitens, qui postremo die quindenæ paschalis dubitet, num aliquid cibi vel potus post mediam noctem sumpserit. Certe causa differendi rationabilis est.

7.ª Modo « suadendum (non imponendum) fidelibus ut huic præcepto satisfaciant in sua quisque parœcia; et qui in aliena parœcia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto præcepto certiorem facere » 4.

8.ª Qui non gravatur peccato mortali, potest præcepto divino et ecclesiastico communionis satisfacere, quin coram confessario sistat.

264. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quandonam pueri prima vice teneantur præcepto ecclesiastico communicandi?

Resp. Jure novissimo, puer, « postquam ad usum rationis pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiæ sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum ». — Itaque:

1.° Puer iste tenetur Eucharistiam recipere postquam (non antea) pervenerit ad usum rationis; h. e., ad eam facultatum rationalium evolutionem, quæ ex Codice præsumitur expleto septennio; ad quam, scilicet, pueri communiter perveniunt circa finem anni septimi ætatis.

2.° Iste puer debet Eucharistiam recipere: *a*) semel in anno; h. e., antequam ab adepto eo usu rationis elapsi sint duodecim menses: quod si intra hos limites festum Paschatis occurrat, *b*) tenetur Eucharistiam recipere intra quindenam paschalem. Verum, ut sacramentum hoc juxta actualem Ecclesiæ disciplinam recipere possit, ac proinde debeat, scire debet scientia intellectuali (non mere mnemonica) et pro suo captu percipere et explicite credere quatuor fidei veritates: *a*) Exsistentiam Dei, et quidem remuneratoris; *b*) mysterium SS. Trinitatis; *c*) Redemptionem generis humani per Incarnationem Filii Dei et Sacrificium Crucis; *d*) veritatem Sacramenti Eucharistiæ. Hinc obligatio objectiva pueri cognoscendi et credendi has veritates; obligatio practica parentum et proprii sacerdotis instruendi, simul imponendo et suadendo obligationem credendi.

3.° Præcepto communicandi semel in anno, saltem in Paschate, tenetur puer, nisi ipse de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus duxerit abstinendum. Ergo adesse possunt causæ rationabiles differendi. Si contingat quod puer difficile causam rationabilem adesse duxerit, et eam adesse duxerit proprius sacerdos, et proprie parochus, hic differre poterit, et forte debebit: puta, si videat quod propter ignaviam parentum puer ille, jam septennis, et ultra, veritates illas

4) Codex *Can. 859 § 3.*

nondum cognoscit et credit; aut cum fundamento timeat, ne puer ille, licet edoctus et credens, ad communionem admissus, catecheticæ in ecclesia instructioni et sacramentis brevi valedicet. Causa rationabilis sæpius aderit pro differenda communione paschali, quam pro differenda annua.

Qu. 2. Quid, si quis ad eam facultatum evolutionem perveniat ante expletum septennium, aut ne eo quidem expleto ?

Resp. In casu primo, cum hic non agatur de lege naturali, et ex doctrina S. Thomæ et Cancnistarum legislator humanus in suis legibus statuendis attendat ad id quod communiter contingit 5, non videtur hæc esse intentio Ecclesiæ, ut velit puerum illum hoc præcepto ligare; eo magis, quod illius præcocis evolutionis determinatio haud semper facilis erit, et causa esse poterit angustiarum parentibus et parocho. — Fatemur alios (et plures) aliter sentire 6: ceterum controversia magis theoretica est, quam practica.

In altero casu ille recipere Eucharistiam nec tenetur nec potest, antequam ad eam evolutionem perveniat; et hoc, etsi interim adultus fiat et senex.

Qu. 3. An graviter peccet qui communionem ad paucos dies differt post tempus paschale ?

Resp. Per se, *affirmative;* cum præceptum etiam relate ad tempus paschale habeatur ceu grave. Practice tamen facile continget quod fideles ex quavis causa, etiam per se levi, censeant se posse communionem etiam ad Dominicam sequentem differre. Ceterum parochi et confessarii pro gravitate præcepti, etiam quoad tempus, insistant.

Qu. 4. Quibusnam deneganda sit ecclesiastica sepultura propter violationem præcepti communionis paschalis ?

Resp. Jure novissimo privantur sepultura ecclesiastica, nisi ante mortem dederint pœnitentiæ signa, « peccatores publici et manifesti » 7. In praxi videndum num, qui præceptum hoc omisit, hisce sit accensendus.

DE ABSTINENTIA

265. **Principia. 1.** Præceptum abstinentiæ fideles omnes, qui septimum ætatis annum expleverint, obligat *per se* et *sub gravi*. Constat ex fine ejusdem, qui est ut carnis concupiscentia compescatur, et Deo satisfactio detur pro peccatis admissis : confirmatur ex sententia communi theologorum et sensu fidelium. Tamen admittit materiæ parvitatem.

5) S. Thomas *2. 2. Qu. 147 art. 4 c.* — Cf. *Monit. eccles.* XXVI. 362.
6) Vermeersch III. *Num. 403, 419;* Arregui *550;* etc.
7) Codex *Can. 1240* § *1 n. 6.* — Cf. Rituale Rom. *VI. Cap. 2.*

II. Abstinentiæ lex vetat carne jureque ex carne vesci; non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

III. Abstinentia servanda est: *a*) singulis sextis feriis; *b*) feria quarta Cinerum, sabbatis Quadragesimæ et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparæ in cœlum assumptæ, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini. Lex abstinentiæ cessat festis de præcepto, excepto festo occurrente tempore Quadragesimæ; item cessat Sabbato sancto post meridiem.

IV. A lege abstinentiæ Ordinarii ex causa peculiari magni populi concursus aut publicæ valetudinis dispensare possunt totam diœcesim vel locum: tum ipsi, tum parochi, in casibus singularibus justaque de causa dispensare possunt subjectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, et in suo territorio etiam peregrinos [1].

266. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Graviter peccat, qui cibos vetitos comedit ex gula, ex humano respectu; quin comedat ex contemptu legis, aut cum scandalo aliorum: satis est, quod legem violet in materia gravi.

2.ª Quamvis, *per se* loquendo, toties quis peccet, quoties cibos vetitos sumit actibus moraliter inter se distinctis, tamen plures fideles putant peccata multiplicari tantum per multiplicationem dierum, quibus legem violarunt: quare in confessione generatim nihil quærendum est, præter numerum dierum.

267. *Ex Princ. II.* — 1.ª Nulla dies est, qua ex præcepto servanda sit abstinentia stricte esurialis: eam tamen parochi provide commendabunt pro feria sexta Parasceves et vigilia Nativitatis Domini.

2.ª Ex comestibilibus noviter inventis (*Liebig, Peptone, Maggi*, etc), illa adhuc prohibentur, quæ aut carnes sint aut jura ex carnibus; non quæ sint condimenta etiam ex adipe animalium.

268. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Justa causa, ex qua parochus posset singulos fideles et familias dispensare, esset festum familiæ pro reditu filii, qui a pluribus annis ceu mortuus in bello habebatur.

2.ª Item causa justa posset essere mœstitia familiæ propter mortem recentissimam patris vel matris, filii vel filiæ, etc.

3.ª Causa justa non esset solemnitas Baptismi ea die collati neonato in familia; tum quia Baptismus alia die conferri potuisset, tum quia esset casus satis ordinarius.

4.ª Si in paroecia habetur magnus ex aliis oppidis populi concursus

1) Codex *Can. 1250, 1252, 1245 § 1, 2.*

pro festo titulari, pro mercatu, etc., parochus petere debet antecedenter dispensationem ab Ordinario.

5.ª Item petere debet dispensationem pro causa publicæ valetudinis, nisi repentina fuerit morbi contagiosi irruptio, nec tempus habeatur recurrendi ad Episcopum.

6.ª Confessarii, qua tales, declarare possunt, non dispensare.

269. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quænam sit materia gravis in cibis vetitis?

Resp. Relate ad cibos, opinio certe probabilis tenet materiam non esse gravem pro carnibus, quæ sit inter duas et tres uncias [2]. Quod si agatur de jure carnis coctæ, hodie satis est recepta sententia materiam gravem non esse ordinariam portionem pulmenti (*un piatto di minestra*), quæ condita sit ex jure [3]; licet non nimis diluto.

Hinc: *a*) Usus ciborum prohibitorum in materia levi, nisi fiat ex contemptu, non excedit peccatum veniale. — *b*) Cum opinio communis sit, quod in legibus Ecclesiæ, piæ matris, causa levis excusat omnino a peccato transgressionem in materia levi, ideo ne leviter quidem peccant, qui ex causa non gravi cibis vetitis in materia levi utantur. Ita famulis et ancillis permitti potest ut, abstinentes a carnibus, sumant semel in die pulmentum ex jure, si secus propter præpotentiam aut inopiam aut avaritiam dominorum cogerentur sæpe a quolibet pulmento abstinere [4].

Qu. 2. Quænam causæ excusent a lege abstinentiæ?

Resp. Generatim excusat *impotentia*, nedum *physica*, sed et mere *moralis;* h. e., incommodum quodcumque grave adnexum accidentaliter abstinentiæ. Hinc: *a*) Excusantur infirmi, convalescentes et alii stomacho adeo debiles, ut cibos permissos digerere non valeant. — *b*) Omnes, quorum labor, sive mentalis, sive corporalis, cibos exigat magis nutrientes aut facilius digeribiles. — *c*) Viatores, qui apud hospitia vel cauponas cibos licitos invenire non valeant: tenentur tamen inquirere et pro viribus exigere. — *d*) Pauperes mendicantes, qui comedere possunt quidquid eleemosynæ accipiunt. — *e*) Filiifamilias excusantur, si parentes eis dare non volunt, aut non possunt cibos licitos: at excusatio (vel dispensatio) sufficiens pro patre aut pro uno membro familiæ non sufficit *per se* ad excusandos (vel dispensandos) reliquos familiares; sufficit, si ea familia versetur in impotentia morali parandi cibos illicitos et licitos. — *f*) Famuli, quousque sunt in famulatu, sunt in eadem conditione filiorum; at tenentur ab eo famulatu discedere, et alium sibi comparare, etiam cum minori salario; dummodo hoc sufficiens sit ad se suamque familiam alendam. — *g*) Excusari possunt et feminæ gravidæ et lactantes, si abstinetia eis noceat, aut eam sibi nocere existiment. — *h*) Invitati excusari possunt, si nec invitationem declinare, nec ab epulis appositis moraliter possunt abstinere: excipe, nisi prandium in contemptum

2) Palmieri apud Gury *Num. 486 Qu. 2;* Gen. *443;* Noldin *674, 3.*
3) Gousset I. *Num. 301;* Scav. *I. 390.*
4) Cf. Frassinetti I. *Nota 91;* Berardi *Num. 2967.*

legis instituatur, aut scandalum grave habeatur, puta si invitatus sit sacerdos. — Ceterum in casu dubii practici, forte insolubilis, non censetur Ecclesia obligationem suarum legum urgere.

Confessarii severiores esse debent in urgenda observantia hujus præcepti. Ejus enim transgressio generatim plenissime voluntaria est, et originem trahit ex neglecta Ecclesiæ auctoritate, et effectus funestos habere solet alienationem a sacramentis ac facile apostasiam a fide catholica [5]. Cavendum tamen, ne severitas imprudens effectus pariat funestiores.

DE JEJUNIO

270. **Principia. I.** Omnes fideles ab expleto anno vigesimo primo ætatis ad inceptum sexagesimum tenentur *sub gravi* jejunium servare diebus ab Ecclesia determinatis. De gravitate obligationis constat ex communi sententia theologorum et sensu fidelium [1]: tamen hæc obligatio admittit materiæ parvitatem.

II. Lex jejunii præscribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine [2].

III. Lex jejunii servanda est: *a*) omnibus diebus Quadragesimæ, exceptis Dominicis et Sabbato sancto post meridiem; *b*) feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparæ in cœlum assumptæ, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini; *c*) si qua ex his vigiliis in diem Dominicam incidat, lex jejunii et abstinentiæ nec ea die viget, nec pridie [3].

IV. Dispensationem a lege jejunii dare possunt etiam Ordinarii et parochi eadem ratione ac a lege abstinentiæ. Adsunt et causæ excusantes: *a*) Impotentia; *b*) labor; *c*) pietas.

271. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Sexagenarii, sive feminæ sive viri, a lege jejunii eximuntur [4]: ergo ea non tenentur, etsi viribus robusti sint, nec laboribus aliisque impedimentis graventur.

2.ª E contra non eximuntur feminæ nondum sexagenariæ: excusari

5) Cf. FRASSINETTI *Nota 91* circa finem, et *Nota 3 ab Num. 22.*
1) Tres rationes afferuntur a S. THOMA *2. 2. Qu. 147 art. 1, 2.*
2) CODEX *Can. 1251 § 1.*
3) CODEX *Can. 1252 § 2, 3, 4.*
4) CODEX *Can. 1254 § 2.*

possunt, si ætati provectæ alia accedant incommoda, quæ jejunium nimis onerosum redderent.

3.ª Quoad gravitatem, si quis ultra comestionem permissam sumat aliquid habens proprie rationem cibi, censetur graviter peccare, si hoc quatuor uncias excedat: si sumat aliquid participans rationem et cibi et potus (uva, pepones, etc.) ad gravitatem peccati major quantitas requiritur.

272. Ex Princ. II. — 1.ª Comestio tunc est unica per diem, cum est una juxta communem hominum æstimationem in hac re: si prolixa sit et notabili intervallo, puta ferme duarum horarum, interrupta, comestio multiplex habetur.

2.ª Essentiæ jejunii unice obstat sumptio refectionis duplicis; quare, si jam sumpta fuerit culpabiliter vel inculpabiliter altera refectio, jejunium ea die impossibile evadit. Nec obstat usus ciborum prohibitorum; quare, si quis diebus prohibitis debeat comedere carnes, non ideo eximitur ab obligatione jejunii.

3.ª Essentiæ jejunii non obstat parva aliqua sumptio cibi; quare, si quis mane jentaculum sumpserit, imo et in eo inculpabiliter vel culpabiliter cibis vetitis usus fuerit, adhuc potest, et proinde *per se* debet, jejunare. Nec quidquam modo interest, qua hora comestio sumatur.

4.ª Præter comestionem licita habentur, tum mane sic dictum frustulum theologicum, tum refectiuncula serotina. Quoad quantitatem, in illo licitæ habentur duæ unciæ panis; in ista « communiter asserunt permitti octo uncias cibi;... imo justa ex causa poterit esse majoris ponderis, quando quis majori eget nutrimento » 5. Si in vino vel aqua panis decoquatur, a pondere vini vel aquæ licebit præscindere aliquatenus, non ex integro 6.

5.ª Relate ad qualitatem in frustulo theologico, non permittuntur carnes, nec ova, lac, butyrum etc.; etiam si lex abstinentiæ non habeatur: at attendantur concessiones locales.

6.ª Relate ad qualitatem in refectiuncula, ex probata apud nos consuetudine, tum quoad pulmentum, tum quoad cibos solidos, permittuntur tantum condimenta ex larido, adipe animalium, butyro, margarina et similibus; minime vero carnes, ova, caseum, lac, etiam diebus jeunii, quibus non habetur lex abstinentiæ 7; apud nos non prohibentur pisces. Insuper attendantur concessiones locales.

7.ª Licebit, quoties libuerit, sumere ea, quæ ex natura sua et communi æstimatione rationem habent potus; ut sunt aqua etiam sacharo aut fructibus dulcificata, liquores, cerevisia, vinum, etc.; non autem jusculum, lac, ova, et aliæ substantiæ etiam liquidæ, quæ natura sua ordinatæ sunt ad nutriendum.

8.ª Cum substantiæ quædam, ut uvæ, pepones, electuaria, etc.,

5) S. Ligorius *Num. 1025;* Noldin *683;* Tanqu. *1115;* Zanin. *1597.*
6) Cf. S. Ligorium *Num. 1029;* Noldin *672;* Gen. *437* et *Nota* pag. 367.
7) Codex *Can. 1251* § *1.* — Cf. *Monit. eccles.* XXIX. 356, 432.

participent, tum de ratione cibi, tum de ratione potus, ideo non licebit eas sumere in magna quantitate; at in parva licebit.

273. **Quæstiones** — *Circa Princ. IV.* — *Qu. 1.* Quinam practice a lege jejunii excusentur?

Resp. 1.° Ratione *impotentiæ, a*) excusantur pauperes mendicantes, qui unica refectione ex cibis mendicatis sustentari sufficienter non possunt; et ideo pluries in die et pluries in magna quantitate se reficere debent iis cibis, qui modicæ sunt nutritionis 8. Eadem ratione excusantur, qui, quamvis non vivant mendicando, refectionem satis nutrientem sumere non possunt; cum non habeant nisi panem, et sæpe polentam, cum oleribus et aqua aut vino levissimo. — *b*) Item excusantur, non modo infirmi proprie dicti et convalescentes, sed et illi, qui ex jejunio dolorem capitis paterentur; item uxores et filiæ, quæ jejunando iras mariti vel patris incurrerent.

2.° Ratione *laboris, a*) excusantur coloni, agricolæ et operarii, qui incumbere necessario debent laboribus defatigantibus; item qui longa itinera assumere debent, maxime pedestria. At non excusantur *per se*, qui exercent opera leviora; ut sunt generatim sartores et sartrices, tonsores, typographi compositores, scribæ, famuli et ancillæ; excusari possunt *per accidens*, si adeo sint viribus infirmi, ut his quoque laboribus nimis defatigentur. — *b*) Excusantur etiam qui, non coguntur quidem laborare ex necessitate, sed libere labores assumunt ex justa causa ad utilitatem suam vel alienam; quos labores, non sine magno incommodo exercerent jejunando 9. — *c*) Magistri scientiarum, qui magno studio debeant sibi lectiones præparare, excusantur, licet singulis diebus unâ horâ doceant: magistri grammaticæ non excusantur ratione studii præparatorii, sed ratione laboris in docendo; hic autem non habetur ut sufficiens *per se*, nisi ad quatuor vel quinque horas pertingat. — *a*) Excusantur et discipuli; dummodo per octo vel novem horas debeant singulis diebus mentem applicare, partim lectionibus audiendis, partim studio personali.

3.° Ratione *pietatis, a*) excusantur, qui piam peregrinationem die jejunii occurentem instituunt ex devotione. Etenim « non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunium, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas » 10.

Eadem ratione excusantur concionatores et confessarii; qui, cum ad hæc munera vi officii non teneantur, ea assumunt ex caritate (ab emolumento temporali non præscindentes): si hæc officia fungentes durum habent jejunare, præsertim cum ea ad plures dies et horas protrahuntur, possunt omittere jejunium.

Qu. 2. Utrum liceat sine juxta causa assumere opus excusans a jejunio?

Resp. Generatim *negative*, si agatur de causa impediente proxime;

8) S. Ligorius *Num. 1033;* ex S. Thoma *2. 2. Qu. 147, art. 4 ad 4.*
9) S. Ligorius *Num. 1042;* Ball. II. *De jejunio 29;* Zanin. *1606.*
10) S. Thomas *Qu. 174 art. 4 ad 3.*

facilius concedi potest, si agatur de impediente remote. Ceterum etiam in casu primo videtur non requiri causa admodum gravis, sed sufficere quælibet rationabilis; ex. gr., iter ad visendos amicos, labor ad lucrum extraordinarium etiam pro non indigente; addunt sumi posse iter recreationis causâ, si id raro fiat. Imo « quis damnabit eum, qui, ne jejunet, infirmorum peste laborantium servitio per Quadragesimam se dedicaret » ?

Qu. 3. Utrum excusati a lege abstinentiæ eo ipso excusentur etiam a lege jejunii, et viceversa ?

Resp. ad utrumque : *Negative;* duo enim sunt præcepta, et utrumque obligat ratione sui. Tamen, qui excusatur a lege jejunii, quibus diebus carnes permittuntur, potest carnes toties comedere, quoties cibum sumit : idem dic de esu ovorum et lacticiniorum pro diebus, quibus hæc permittuntur.

Qu. 4. Quomodo se gerere debeant confessarii relate ad legem jejunii ?

Resp. Generatim minus rigidi sint, quam in exigenda observantia legis abstinentiæ. Ratio est, quia violatio jejunii sæpe originem habet difficultates sibi realiter adnexas, potius quam neglectum legis Ecclesiæ; ac proinde non adeo funestos habet effectus, quos habere solet violatio legis abstinentiæ. Insuper lex jejunii tot habet causas excusantes, ut christiano laxioris vitæ facile sit sibi persuadere unam vel aliam sibi quoque favere, licet nulla faveat de facto. Cavendum itaque confessario, ne pœnitentem ab hac bona fide removeat, quando jure timere potest ne monitio eum a sacramentis aliisque operibus christianis avertat. Studeat potius eumdem ad amorem jejunii erigere ac adhortari, proponendo immensa jejunii emolumenta; quippe quod vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et præmia [11].

DE DECIMIS

274. *Decimæ* sunt « certa pars proventuum agrorum et industriæ ad sustentandos Dei ministros destinata » : hinc aliæ sunt *prædiales,* aliæ *personales;* verum hæ posteriores in desuetudinem abierunt. Decimæ hoc sensu acceptæ quod fideles, recipientes a ministris Dei sacramenta [1], debeant iisdem subministrare necessaria ad eorum honestam sustentationem, sunt de jure naturali et divino. *Quis militat suis stipendiis umquam ?... Dignus est operarius mercede sua* [2]. At, si decimæ accipiantur tamquam modus determinatus, quo fideles debeant honestæ cle-

11) Frassinetti I. *Nota 91;* Gen. *Num. 450.*

1) Inde *sacramentales* dici solent : quæ *dominicales,* improprie dicuntur decimæ; originem habent dominium vel condominum Ecclesiæ, et proinde Ecclesiæ (vel illi, cui Ecclesia concessit) debentur ex stricta justitia. — Cf. *Monit. eccles.* Vol. X. P. I. 167.

2) I. Cor. *IX. 7. seq.;* Luc. *X. 7.* — Rom. *XV. 27;* I. Tim. *V. 18.*

ricorum sustentationi providere, sunt de jure ecclesiastico [3]: hinc est, quod contra eas dari potest præscriptio.

275. **Principia. I.** Obligatio solvendi decimas est gravis *per se*. Ecclesia enim eas imponit titulo, tum religionis, tum justitiæ: titulo religionis, quatenus illæ sunt in recognitionem supremi dominii Dei super omnia: titulo justitiæ, quatenus fideles ex quasi-contractu tenentur præbere necessaria ad sustentationem illi ministro, a quo ipsi sacramenta recipiunt.

II. Decimæ prædiales solvendae sunt parocho loci, in quo prædium situm est: eas vero solvere debet qui fructus percipit, et nullis deductis expensis: constituunt enim onus reale ipsius fundi.

III. Quamvis auctoritas civilis ausa fuerit obligationem solvendi decimas abrogare, non inde eximuntur fideles ab obligatione conscientiæ, et a respectivis censuris. Tamen ex concessione Ecclesiæ, tum ab his, tum ab illa, eximi possunt per legitimam redemptionem aut compositionem; quarum facultas a Sancta Sede concessa fuit Ordinariis [4].

276. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Etsi dominus fundi sit infidelis aut hæreticus, tenetur decimas prædiales solvere: item, si clericus est, qui illum ut bonum suum patrimoniale possideat.

2.ª Clericus etiam de fructibus beneficii tenetur solvere decimas parocho loci, nisi prædia illa ad Ecclesiam pervenerint absque onere decimarum.

3.ª Si ager hucusque incultus excolatur, vel ex cultura non obnoxia decimationi in culturam eidem obnoxiam transferatur, *per se* decimæ ex novis fructibus solvendæ sunt: tamen in hisce casibus Ecclesia consentit ut res ex æquitate componatur.

4.ª Qui decimas nec redemerint, nec super illis se composuerint, easque solvere nolint, regulariter absolvendi non sunt, nisi plena restitutione secuta [5].

277. *Ex Princ. III.* — 1.ª Parochi aliique, quorum interest, petere possunt a gubernio compensationem damnorum, quæ sibi ex abolitione decimarum obvenerunt: at in petitione ne verbum quidem inserere debent, quo jus de decimis disponendi in laica potestate recognoscant [6].

2.ª Fideles, qui putant se non teneri ex aliqua ratione, puta quia

3) Codex *Can. 1502.* — Cf. S. Thomam *2. 2. Qu. 87, art. 1;* Lessium *Lib. II. Cap. 39;* Noldin *716;* Sabetti *343.*

4) S. Pœnit. *Instr.* 2 sept. 1887 ad Ordinarios Italiæ.

5) S. Pœnit. die 10 dec. a. 1860, et 2 sept. a. 1887.

6) S. Pœnit. *Instr. cit. Num. 4,* et Conc. Trid. *Sess. XXV. De reform. Cap. 12.*

gubernium æquivalens parochis solvit, possunt absolvi; dummodo supplementum a parochis acceptum sit in compensationem decimarum et illas adæquet, ipsi vero parati sint stare mandatis Ecclesiæ 7.

DE CREMATIONE CADAVERUM

278. Morem apud ethnicos non infrequentem comburendi cadavera defunctorum Ecclesia jam ab initio improbavit ac inter christifideles abolevit, crematioui substituendo inhumationem; utpote quæ et conformis erat usui Hebræorum ac spiritui Scripturarum, et simul aptissimus ad præcipuas fidei christianæ veritates ipso ritu sepulturæ custodiendas et profitendas 1.

Huic mori abolendo ab annis ultra quinquaginta incumbunt in Italia sectæ massonicæ; specie quidem, ut publicam valetudinem tueantur, re autem vera, ut Ecclesiam undique aggrediantur et fidem in vitam æternam e cordibus christianorum evellant. Quare opportunissime S. Sedes edidit declarationes doctrinales et simul præcepta disciplinaria, quibus adversus *detestabilem abusum* antiqua et sanctissima praxis religiose inter catholicos custodiretur. Itaque primum declaravit illicitum esse, tum nomen dare societatibus, quibus propositum est crematiouem promovere, tum mandare ut sua aliorumve cadavera comburantur 2; dein expresse prohibuit et prohibitionem pœnis sancivit.

279. **Principia. I.** Licet crematio cadaverum humanorum neque ulli veritati revelatæ repugnet, neque ulli præcepto divino contraria sit, tamen spectata in concreto, simul cum principiis, quibus innititur, et fine, ad quem tendit, dicenda est in se graviter illicita. Insuper prohibita quoque est *sub gravi* per leges Ecclesiæ.

II. Rei fiunt gravissimi peccati mortalis, qui, ducti principiis crematiouistis, mandant cadaver suum aut aliorum cremari: item et illi, qui nomen dant societatibus crematiouistis; hi vero incidunt in excommunicationem R. Pontifici reservatam, si agatur de societatibus, quæ sint filiales sectæ massonicae.

280. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Rei sunt gravissimi peccati, qui suffragium suum præstant legibus, decretis aut deliberationibus municipalibus, quæ crematiouem in aliquam regionem vel civitatem introducere vel quovis modo promovere intendunt.

7) S. Pœnit. 4 maji 1897, 17 martii 1899. — Cf. Genn. *Cons. mor. LXXXIV.*

1) Rationes Ecclesiæ, apud Noldin *Num. 717.* — De cremationistarum consiliis cf. D'Ann. I. *Num. 116, 44;* Scurati *Se sia lecito bruciare i morti.*

2) S. Inqu. die 19 maji a. 1886. — Cf. Ojetti ad v. *Crematio.*

2.ª Peccant graviter, qui detestabilem abusum scriptis, concionibus publicis aut privatis, aliisve modis quibuscumque propugnent, aut societates crematorias constituant, commendent vel defendant.

281. *Ex Princ. II.* — 1.ª Fideles, qui, ducti principiis cremationistis, mandaverint suum corpus cremari, incapaces sunt absolutionis sacramentalis, etiam in articulo mortis, nisi mandatum illud detestentur ac pro viribus revocare studeant.

2.ª Qui mandent suum corpus cremari, ducti principiis aliis a cremationistis, excusari forte possunt a reatu peccati formalis: tamen ordinarie monendi sunt id quoque contrarium esse legibus Ecclesiæ; contra quas peccant formaliter, si moniti obtemperare recusant 3.

3.ª Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi, ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint pœnitentiæ signa 4; et quidem, etiamsi de facto crematio non sequatur.

4.ª « Si quis quovis modo mandaverit ut suum corpus cremetur, illicitum est hanc exsequi voluntatem: quæ si adjecta fuerit contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tamquam non adjecta habeatur » 5.

5.ª Aliquando tolerari potest cooperatio materialis; dummodo *a*) crematio non habeatur ceu signum protestativum sectæ massonicæ; *b*) nihil in ipsa contineatur, quod per se, directe et unice exprimat reprobationem doctrinæ catholicæ et approbationem sectæ; *c*) neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicæ religionis 6.

6.ª Item ex quadam necessitate excusari videtur cooperatio materialis illius, qui cadaver consanguinei vel heri ad ustrina comitatur, vel heredis, qui non obstat (non qui mandat) quominus cadaver defuncti cremetur, quia sub hac conditione scriptus est heres 7.

7.ª Nemo puniendus est culpâ alienâ: ideoque, si crematio cadaveris aliena voluntate fiat, sacri ritus et suffragia peragi possunt, tum domi, tum in ecclesia; at non usque ad locum cremationis.

8.ª Neque est malum intrinsece, nec est ab Ecclesia prohibita crematio cadaveris in casu particulari ex justa causa; puta, si id necesse sit ad periculum contagionis avertendum.

9.ª Juxta monitum Leonis XIII, Ordinarii, parochi et confessarii curent opportune instruere christifideles circa *detestabilem abusum* cremandi cadavera; atque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.

3) S. Inqu. 27 Julii 1892. — Cf. S. Lic. *VI. 611;* Genn. *Quest. mor.* 577.
4) Codex *Can. 1240* § *1 n. 5;* Rituale Rom. *Tit. VI. Cap. II. 3.*
5) Codex *Can. 1203* § *2.* — Quid, si idem sit heres ex testamento et executor, et heredes legitimi prævideantur rem ad laicum tribunal delaturi?
6) S. Inqu. 27 julii 1892. At non semper monendi, qui sunt in bona fide.
7) Genicot II. *Num. 628. Consect. practica.*

DE LIBRIS PROHIBITIS

282. Libri, quorum lectio periculosa sit seu fidei seu moribus, jam per se prohibiti sunt ipsa lege naturali, qua tenemur vitare ea omnia, quæ vitam æternam in discrimen adducere possunt. Itaque, qui eos libros legant, peccant contra legem naturalem plus vel minus graviter pro majori vel minori periculo inde sibi proveniente; peccant vero, non modo, si periculum certum sit, sed etsi sit mere probabile; in quo casu sequenda est via tutior. Imo ipsa licentia obtenta legendi libros ab Ecclesia prohibitos nullo modo eximit a prohibitione juris naturalis legendi libros, qui proximum spirituale periculum præstant [1].

Iidem libri prohiberi quoque possunt et prohibentur lege positiva Ecclesiæ; quæ lex non est mera declaratio periculi, sed vera lex per se ex Ecclesiæ auctoritate obligans in conscientia, et quidem eos quoque, qui certi sint nullum ex ea lectione sibi imminere periculum. Hanc potestatem habet in primis R. Pontifex; qui eam exercet, tum sua auctoritate et nomine per Bullas et Brevia, tum sua auctoritate per decreta Congregationis S. Officii. Eam habent quoque Ordinarii quoad sibi subditos.

CAPUT I.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM IN GENERE

283 **Principia. I.** Prohibitio librorum id efficit, ut liber sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit [1]: prohibito libro, prohibitæ sunt omnes ejus partes, etiam innocuæ [2].

II. Quando prohibetur publicatio quæpiam periodica, præter integram collectionem præcedentem, prohiberi intelliguntur etiam folia et fasciculi in posterum edendi; etsi forte, retento eodem spiritu, titulus publicationis mutetur.

III. Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes opportune moneant fideles de periculo et damno lectionis librorum (aut publicationum periodicarum) pravorum, præsertim prohibitorum [3].

1) Codex *Can. 1405* § *1.* — Noldin *Num. 696-715;* Cocchi Comment. *Lib. III. Tit. XXIII;* Verm. III. *890-906.*

1) Codex *Can. 1398,* § *1.* — Ex his, lectio prohibetur propter se, cetera propter lectionem.

2) Tamen probabiliter « cessat prohibitio, si eam partem, quæ prohibitioni causam dedit, detraxeris;... dumne liber proscriptus fuerit, quia tractat de religione ex professo, vel in odium auctoris ». D'Ann. III. *Num. 142.*

3) Codex *Can. 1405* § *2.*

284. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui audit alicujus libri prohibiti lectionem ab alio, non peccat contra legem positivam Ecclesiæ; peccare potest contra legem naturalem, si ea lectio sit sibi periculosa; item peccato cooperationis ad peccatum legentis, si hic legat sine licentia.

2.ª Tunc lectio alicujus libri prohibiti est peccatum mortale, cum fit in materia gravi; item et detentio: nec, si liber prohibitus sit, *donec corrigatur,* inde fas est eum interim tenere.

3.ª Librarii, qui sine licentia libros prohibitos tenent aut vendunt, peccant contra legem positivam Ecclesiæ, quatenus tenent; peccato scandali, quatenus vendunt. Item peccato scandali peccant, qui illos laudant, commendant, defendunt, commodant, donant, etc.

4.ª Contra prohibitionem Ecclesiæ peccant typographus et editor, qui opus jam prohibitum imprimendum et divulgandum curant: auctor, qui opus conscripsit eo fine ut edatur, *per se* contra subsequentem prohibitionem Ecclesiæ non peccavit; peccavit vero, si opus conscripsit sciens illud prohibitum esse vi juris naturalis aut decretorum generalium.

585. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quænam sit materia gravis in lectione vel detentione libri ab Ecclesia prohibiti?

Resp. Si quis legat in ea parte, quæ causam dedit prohibitioni, materia gravis poterit haberi etiam in paucis lineis. Si legat in parte innocua, ex S. Alphonso videretur gravis esse lectio unius paginæ; alii ad tres vel quatuor extendunt; quidam recentes ad viginti vel triginta. — In detentione habetur materia gravis quod teneatur ultra mensem 4; nisi spes habeatur quod paulo post mensem occasio dabitur deponendi librum penes habentem facultatem.

Qu. 2. Quandonam habeatur peccatum mortale in lectione ephemeridis prohibitæ?

Resp. Certe graviter peccat ille, qui eam legat habitualiter, vel scienter in singulis foliis legat in parte notabili ea, quæ religioni aut bonis moribus adversantur. E contra, non videtur graviter peccare, qui aliquando, passim, interrupte legat ea, quæ sunt prorsus indifferentia; puta notitias politicas aut commerciales; præsertim, si putet se rationabili motivo inniti. Quare confessarius cum pœnitentibus hujusmodi, et sunt plures, poterit positivam prohibitionem non urgere, quando videat eos sub uno alterove prætextu in aliquali bona fide versari et monitioni recisæ haud facile obtemperaturos esse. At ubi agitur de lectione, quæ in concreto periculum proximum afferat pœnitenti contra fidem vel bonos mores, nullatenus dissimulare potest prohibitionem juris naturalis [5].

Qu. 3. Utrum prohibitiones librorum late sint interpretandæ?

Resp. Ex sententia satis communi, *negative.* Nam « leges, quæ,...

4) Ita NOLDIN *Num. 707*; ARREGUI *458*: ceteri strictioris juris sunt.

5) GENNARI *Cons. mor. XVII, XIX.* — Est casus thesis primæ de probabi-.ismo.

liberum jurium exercitium coarctant... strictæ subsunt interpretationi » 6. Hinc in dubio, num aliquis liber decretis generalibus prohibeatur, non est habendus ut prohibitus: nec inter *libros* prohibitos recensenda esse videntur manuscripta, ephemerides, scripta typis edita molis exiguæ: at comprehenduntur transcripta lithographice, photographice aut poligraphice, dummodo edita sint; quin et Ecclesia prohibere potest et prohibet diaria, publicationes molis exiguæ, etc.

Qu. 4. Utrum librum prohibitum legere possit ille, qui pro certo habet nullum ex ea lectione sibi imminere perversionis periculum?

Resp. Negative. Prohibitio enim librorum fit ad præcavendum periculum generale: pro quo « leges.... urgent, etiamsi in casu particulari periculum non adsit » 7. Et sane « singulorum arbitrio relinquere quando lex cesset privative, aleæ plena et *publice* perniciosa res foret » 8.

CAPUT II.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM EX CODICE

286. Juxta indolem operis nostri exhibemus summatim ea, quæ confessariis usui esse possunt et solent; relinquentes Curiis et Canonistis ea, quæ librorum censuram spectant aut rarius occurrunt. — Quæ hic de libris præscribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet 1.

287. **Principium.** « Ipso jure prohibentur: 1.° Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatæ; itemque ejusdem versiones in quamvis linguam ab iisdem confectæ vel editæ; — 2.° Libri quorumvis scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes; — 3.° Libri, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt; — 4.° Libri quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri; — 5.° Libri, de quibus in Can. 1385 § 1 n. 1. et Can. 1391; itemque (ex illis de quibus in cit. Can. 1385 § 1 n. 2.) libri ac libelli, qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt de-

6) Codex *Can. 19.* Cohæret Leonis XIII Const. *Officiorum. Præf.* — Ita censent Gen. *Num. 451;* D'Ann. III. *142,* et alii recentes.

7) Codex *Can. 21.* — Hinc etsi nullum sit hallucinationis periculum.

8) D'Annibale I. *Num. 180, 30,* et III. *144, 24.* — Cf. S. Lig. *VII. 291.*

1) Codex *Can. 1384* § *2.* — Cf. Noldin *Num. 708.*

votiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si editi fuerint non servatis Canonum præscriptionibus; — 6.° Libri, qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt; — 7.° Libri, qui cujusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, aliaque id genus docent vel commendant; — 8.° Libri, qui duellum vel suicidium vel divortium licita statuunt; qui, de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt; — 9.° Libri, qui res lascivas seu obscœnas ex professo tractant, narrant aut docent; — 10.° Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum, in quibus quidpiam immutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant; — 11.° Libri, quibus divulgantur indulgentiæ apocryphæ vel a Sancta Sede proscriptæ aut revocatæ; — 12.° Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiæ sensu et decretis alienæ » [2].

288. **Animadversiones** in Canonem relatum. — Num. 1.° — *a*) Prohibentur *editiones.... ab acatholicis publicatæ;* quas nempe viri acatholici, hebræi, protestantes, etc. suo labore curarunt; non typographus aut editor acatholicus: item *ab iisdem confectæ vel editæ versiones,* etsi conformes sint textui originali. — *b*) Usus horum librorum, imo et versionum sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam sine debita approbatione, iis dumtaxat permittitur, qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant; dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint, neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata. *Impugnare* autem est negare, afferendo rationes negationis.

Num. 2.° — *a*) *Scriptores* possunt esse judæi, gentiles, protestantes, pseudo-catholici et quicumque etiam pseudonymi. — *b*) *Propugnare* significat allatis rationibus defendere ex professo et data opera hæresim aliquam, puta liberalismum aut modernismum, vel schisma. — *c*) *Fundamenta religionis* intelliguntur veritates ordinis naturalis, quibus fides

2) Codex *Can. 1399.*

3) Codex *Can. 1400.* — Cf. Gen. *453, 1. 2.* At his quoque velari possunt jure naturali.

christianæ religionis innititur: ut sunt exsistentia Dei, possibilitas et ipsum factum revelationis, etc. Huc sunt revocandæ plures veritates impugnatæ a modernistis; ut sunt immutabilitas veritatis objectivæ, possibilitas cognoscendi factum revelationis, veracitas historica librorum sacræ Scripturæ, etc.

Num. 3.° — *a*) *Impetunt data opera* libri (diaria, periodica, etc.), qui aggrediuntur animo hostili, et quidem studiose, consulto, ut debilitent et destruant. — *b*) *Religio* est in primis *naturalis;* quam impetunt scripta, quæ negent aut in dubium revocent aut irrideant exsistentiam Dei, alteram vitam, sanctionem æternam, etc. Est et *revelata;* quam impetunt scripta, quæ negent aut in dubium revocent aut irrideant divinitatem Jesu Christi, revelationem, divinam Ecclesiæ institutionem, sacramenta, dogma purgatorii [4]. — *d*) *Boni mores* sunt mores ethicæ evangelicæ conformes; quos impetere possunt libri romanenses, diaria liberalia per turpes narrationes, chronica, appendices.

Num. 4.° — *a*) *Tractant ex professo* de religione, qui de ea agunt, non obiter, sed ex instituto: comprehenduntur libri historici, qui data occasione de re religiosa sermonem inserant, et non rectum. — *b*) *Religio* accipitur late; ut comprehendantur sacra Scriptura, theologia sive dogmatica, sive moralis, mystica, ascetica; item cultus Dei ac Sanctorum, ritus sacri, etc.

Num. 5.° — *a*) Ex Can. 1385 § 1 n. 1° prohibentur libri sacrarum Scripturarum, vel eorumdem adnotationes et commentaria, qui editi sint absque prævia ecclesiastica censura, quicumque sit editor aut auctor, etiam catholicus. — *b*) Ex Can. 1891 prohibentur versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis impressæ (quicumque earum sit autor, nisi sint a Sede Apostolica probatæ, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus præcipue excerptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus: hæ adnotationes requiruntur tantum pro versionibus editis sub vigilantia Episcoporum. — *c*) Quoad novas apparitiones, etc., necesse esse videtur, quoad narrentur fuse et tamquam certe supernaturales. — *d*) Devotiones novæ sunt illæ, quæ notabiliter differunt ab approbatis ab Ecclesia, sive quoad objectum, sive quoad modum.

Num. 6.° — Prohibitionis materia latius patet, quam in disciplina præcedenti: ceterum res satis clara: *a*) Errores ab Apostolica Sede proscripti intelliguntur et illi qui damnati non fuerint ut hæretici [5]. — *b*) Ut liber cultui divino detrahens prohibitus sit, necesse est quod ei detrahat in materia gravi, etsi non ex professo: idem *c*) dicatur de probris, quibus ecclesiastica hierarchia aut status clericalis aut religiosus afficiatur.

4) Cf. GENICOT *Num. 452 9;* WERNZ *Jus Decr.* III. *Num. 141 Nota 56, 76.*
5) Ita errores damnati in Syllabo Pii IX, a Pio X in Syllabo et in Encyclica *Pascendi.*

Num. 7°. — Ut liber hoc titulo prohibitus sit, necesse est *a*) quod superstitionem, etc. doceat exponendo modum, quo fieri debeat, ad habendum effectum; *b*) vel eam commendet ut solido fundamento innixam, utilem, etc.

Num. 8.° — Quænam sint hujusmodi sectæ et societates, exponemus agentes de censuris Sedi Apostolicæ reservatis.

Num. 9.° — Prohibentur libri, qui eas res *a*) *tractant,* eas assumendo ut argumentum libri vel partis ejusdem; aut *b*) *narrant,* sive vera dicant, sive ficta, ut communiter in libris romanensibus; aut *c*) *docent,* exponendo modum perpetrandi quædam lubrica, procurandi inefficaciam coitus conjugalis, etc. Non prohibentur libri scientifici pro iis, qui scientiæ sui status incumbere debeant: nisi propter pericula, in materia lubrica valde gravia, prohibeantur lege naturali.

Num. 10.° — Tunc hæ editiones prohibentur, non modo quoad usum publicum, sed etiam quoad usum privatum, lectionem, detentionem, etc., cum ab approbatis differunt notabiliter.

Num. 11.° — Quænam indulgentiæ habendæ sint ut apocryphæ, declaravit S. C. Indulgentiarum 10 augusti a. 1899, probante Leone XIII.

Num. 12.° Imagines D. N. Jesu Christi, etc., impressæ vel depictæ 5, ut habeantur ceu prohibitæ quoad usum publicum, satis esse videtur quod sint alienæ etiam leviter; quoad simplicem detentionem aut usum privatum, debent esse alienæ notabiliter. At, si effigies Crucifixi ipsum exhibeat cruci quatuor clavibus confixum, nullatenus dici debet prohibita.

CAPUT III.

DE INDICE LIBRORUM PROHIBITORUM

289. Hic *Index* editus fuit jussu et auctoritate Leonis XIII, eique præfixa est ejusdem Pontificis Constitutio *Romani Pontifices,* data die 17 septembris anno 1900. Quod *Index* omnes contrarias consuetudines quorumdam locorum abrogaverit, ac proinde fideles universæ Ecclesiæ afficiat, patet ex prædicta Constitutione: « Hujusmodi librorum prohibitorum generalem Indicem.... auctoritate apostolica approbamus et confirmamus, atque ab omnibus ubique locorum integre et inviolabiliter observari præcipimus; mandantes omnibus locorum Ordinariis, itemque regularium Superioribus,... ut eumdem Indicem vulgandum et observandum pro viribus curent » 1.

Si quid *Index* differt a decretis generalibus, in hoc differt, quod decreta magis accedunt officio Ecclesiæ docendi et declarandi; dum *Index* spectat immediate ad potestatem imperii: illa improbant et damnant; hic immediate prohibet et vetat: illa permittere possunt quamdam

5) S. Congr. S. Off. 30 mart. 1921, apud *Monit eccl.* XXXIII. 165.

1) Cf. *Index librorum prohibitorum. Præf.* pag. XVI.

latitudinem in applicatione; hic applicationem habet evidentem: contra decreta delinquere quis poterit cum aliquali bona fide; contra Indicem, præter casum ignorantiæ *facti*, bona fides non datur.

Libri in Indice prohibiti in duas classes distribui solent. Prior continet eos, quorum prohibitioni adnexa est censura: altera continet eos, qui prohibiti sunt sine censura, et sunt fere omnes in Indice recensiti.

Quæstio unica. — Quid importat alicujus scriptoris (puta Gioberti, Pfhafii, Spanhemii, Guidi a Verona, etc.) prohiberi *opera omnia?*

Resp. Ex hodierna legislatione intelliguntur prohiberi illius auctoris opera illa, quæ *tractant* de religione; non vero illa, quæ, aut nullo modo, aut obiter tantum fidei veritates attingunt; excipe, nisi hæc aliquo decreto generali aut speciali proscripta sint [1]. Verum, si cujuspiam opera omnia prohibeantur *in odium auctoris;* timore, scilicet, ne quis, legens opera innocua, inde in æstimationem auctoris alliciatur et inde pertrahatur ad legenda etiam opera noxia, tunc opera quoque innocua et nullatenus religionem respicientia in ea prohibitione continentur.

SECTIO ALTERA

DE PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS

290. Duæ sunt christifidelium classes, quorum status particularis specialibus Ecclesiæ præceptis moderandus sit: *Clerici* et utriusque sexus *Religiosi.* Utrique enim directe et ratione status ab Ecclesiæ potestate constituente vel instituente dependent; ac proinde, præterquam legi naturali et divinæ ac præceptis ecclesiæ communibus, specialibus quoque obligationibus sibi a conditione sui status et ab Ecclesia impositis adstringuntur. Cum de officiis particularibus laicorum alibi agendum censuerimus, hic nobis agendum de officiis, tum clericorum in genere, tum speciatim parochorum; item de officiis religiosorum; quædam breviter addendo de eorumdem privilegiis.

DE OFFICIIS CLERICORUM

291. Circa dignitatem status clericalis plura et eximia habent Patres et Doctores Ecclesiæ; eamque e sublimitate ministeriorum desumunt, quæ proprie divina sunt. Ex ea dignitate profluunt naturâ suâ speciales clericorum obligationes juris naturalis et divini: ea quoque ratio est earum obligationum, quæ iisdem imponuntur ex jure ecclesiastico.

1) Codex *Can. 108-486.* — Tractant S. Ligorius *Lib. IV. Cap. II.;* Ball. VI. *Tract. IX Cap. II.;* Vermeersch III. *Num. 3-97.*

Præcipuæ obligationes affirmativæ sunt: *Vocatio divina, scientia, sanctitas vitæ, cœlibatus, gestatio habitus clericalis et tonsura. Horarum canonicarum recitatio.* Habentur et negativæ, quarum præcipua est *prohibitio negotiandi* [1]. — E variis clericorum statibus ponemus tantum quædam de munere parochiali.

CAPUT I.

DE VOCATIONE AD STATUM CLERICALEM

292. *Status clericalis* proprie intelligitur conditio eorum clericorum, qui Ordinem sacrum susceperunt; qui enim sunt ordinibus minoribus aut prima tonsura initiati, ex hodierna consuetudine proprie in via sunt ad statum, qui definitivus est in Ordinibus majoribus, et nominatim in Sacerdotio. Ceterum pro diversitate tractationis patebit, utrum materia, quæ agitur, referenda sit ad clericos in minoribus aut in majoribus, vel proprie et exclusive ad sacerdotes.

Vocatio ad statum clericalem est « voluntas Dei manifestata, quod aliquis ad munia sacerdotalia assumatur ». Hæc vocatio proprie dicitur *interna* seu *divina*: *vocatio* autem *externa* in eo consistit, quod aliquis, ab Episcopo probatus, ad statum clericalem ab eodem assumatur; hæc dici potest *quasi-divina*, eo quod Episcopus Ecclesiam repræsentat, Ecclesia vero agit nomine Dei [1].

293. **Principium.** — Ut quis licite statum clericalem seu sacerdotalem amplectatur, necessaria omnino est vocatio divina. Rationes sunt: *a*) Sacerdos vi status sacerdotalis ministerio publico perfungitur, tum nomine Dei erga homines, tum nomine fidelium et Ecclesiæ erga Deum [2]: porro commissio ministerii ab eo facienda est, pro quo quis ministerio fungi debet. — *b*) Idem ministerium sacerdotale sublime et valde honorificum est; *nec quisquam sumit sibi honorem, sed quid vocatur a Deo, tamquam Aaron* [3]. — *c*) Cum exercitium hujus ministerii ad ordinem supernaturalem pertineat et sæpe munia valde ardua imponat, nemo illo rite perfungi potest, qui specialia ab ipso Deo non habeat auxilia: porro ejusmodi auxilia sperare omnino non potest, qui seipsum in illud ministerium ingesserit, nec a Deo et ab Ecclesia nomine Dei assumptus fuerit. — *d*) Confirmatur ex modo agendi Christi et Apostolorum, et ex pluribus sacræ Scripturæ testimoniis [4].

1) Cf. Guerra *La vocazione allo stato eccles.*; Sardi *Lettere ad un Vescovo.*
2) Cf., inter alia, I. Cor. *IV. 1;* II. Cor. *V. 20;* Hebr. *V. 1.*
3) Hebr. *V. 4.* — Cf. S. Ligorium *Lib. VI. Num. 802.*
4) Cf. Matth. *IX. 38;* Luc. *X. 2;* Jo. *X. 1, XV. 16;* Hebr. *V. 5;* Act. *I. 24, XIII, 2., XVI. 23;* II. Tim. *I. 6;* Tit. *I. 5;* etc.

294. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quænam sint signa seu elementa vocationis divinæ ad statum clericalem?

Resp. Prædipua tria sunt: *a*) Idoneitas habitualis ad principalia munia sacerdotalia quoad dotes, tum corporis, tum animæ. Itaque carent divina vocatione, qui juxta leges canonicas sunt irregulares; item qui ingenio adeo obtuso prædíti sunt, ut acquirendæ scientiæ necessariæ omnino impares exsistant; qui sunt indolis adeo mollis et ignavæ, ut cujuscumque laboris pro honore Dei et bono animarum suscipiendi incapaces fore prævideantur; qui scientia convenienti ac vitæ sanctitate, tum negativa, tum positiva destituuntur; demum omnes illi, quorum tendentia naturalis (licet non peccaminosa) statum matrimonialem exigere cognoscatur. — *b*) Immunitas a quocumque motivo ordinis terreni aut humani ad statum clericalem impellente. Quapropter qui ad statum clericalem anhelent studio ducendi vitam commodiorem, effugiendi artes mechanicas aut agrarias, alendi familiam, congerendi divitias, fruendi privilegiis clericorum, captandi honores et præeminentias, etc., hi omnes carent vocatione divina. — *c*) Attractio quædam, naturalis simul et supernaturalis, qua quis ad exercitium munerum sacerdotalium alliciatur. Ea inclinatio *naturalis* dici potest; quatenus est veluti ingenita subjecto, indoli ipsius et adspirationibus consentanea: simul vero est *supernaturalis;* quatenus donum Dei est et effectus consilii divini, quo Deus hujusmodi subjectum disponit ad opera sacerdoti prompto animo obeunda: hæc sunt amor orationis, zelus pro gloria Dei et animarum salute, dilectio domus Dei, spiritus sacrificii suiipsius, etc. Qui attractionem ad hujusmodi opera non experiuntur, evidenter ad statum sacerdotalem non sunt vocati.

Hæc sunt signa divinæ vocationis ordinaria, quibus Deus, omnia suaviter simul et fortiter disponens, suam voluntatem manifestare solet. Ceterum adesse possunt et signa extraordinaria, circa quæ theologi non possunt suas regulas statuere. Si Deus velit extraordinaria ratione quempiam ad statum sacerdotalem elevare, ipse providebit, ut hæc ratio agendi suum effectum consequatur.

Qu. 2. Utrum qui prædictis signis gaudet, eo ipso jus habeat ad sacros Ordines recipiendos?

Resp. Negative. Ratio est, quia de exsistentia eorum signorum judex legitimus est Episcopus, cujus incuper est quempiam ex idoneis ad munus publicum in Ecclesia gerendum vocare [5]. Quare necesse est quod Episcopus aut per se aut per viros idoneos de scientia ac bonis moribus candidati aliisque requisitis convenienti experimento certior fiat [6], et ex hac certa cognitione (non aliunde) eum ad statum clericalem

5) « Vocari a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiæ ministris vocantur » CATECH. Conc. Trid. *P. II. Cap. VII. 3.* — De controversia in Galliis agitata, vide Epist. Card. Secret. Status 2 julii anno 1912, apud *Monit. eccl.* XXIV. 266. Cf. SABETTI *Num. 834.*

6) Examinator et superior agere debent rem Ecclesiæ, non candidati.

assumat. Hinc reus fieret peccati gravis tum candidatus, tum multo magis examinator ab Episcopo deputatus, qui Episcopum injuste falleret; item et qui minis aut quovis timore incusso Episcopum ad manus alicui imponendas adigeret.

Qu. 3. Utrum graviter peccat, qui a Deo non vocatus statum clericalem amplectitur?

Resp. per se loquendo, videretur esse affirmandum ex dictis de necessitate vocationis. « Graviter peccat, qui sacros Ordines suscipit, quando conscius est se non esse divinitus vocatum, vel temere accedit sine debita investigatione, aut cum gravi dubio de vocatione: Deo enim et Ecclesiæ injuriam facit, et seipsum animasque sibi committendas ruinæ spiritualis periculo exponit » 7. Ceterum non desunt graves theologi, qui ejusmodi candidatum a peccato mortali excusant: dummodo, præterquam signis divinæ vocationis, non careat etiam debita morum honestate; si enim hac polleat, sperare adhuc potest quod Deus gratias ad exercitium munerum sacerdotalium necessarias non denegabit: cui opinioni, propter eorum theologorum auctoritatem, non audemus quamlibet probabilitatem denegare. Ceterum, si quis non vocatus sacros Ordines susceperit, dein pœnitentiæ, orationi ac virtutum sacerdotalium exercitio totus incumbat, Deus gratias concedet, quibus valeat et sua munera implere et suam animam salvare.

Qu. 4. Utrum peccet ille, qui Deo ad statum clericalem vocanti non obtemperet?

Resp. Affirmative, si divinæ vocationis habeantur signa extraordinaria; item, saltem probabiliter, si habeatur præceptum positivum summi Pontificis. Secus vero, si non habeantur nisi signa ordinaria; sive quia difficile de iis constabit evidenter; sive quia generatim hæc divina voluntas videtur esse magis invitationis, quam imperii proprie dicti 8. Nec generatim verum præceptum potest alicui imponere Episcopus: imo, si quem Episcopus aut superior omnino adigere velit, ipse vero se indignum et a Deo non vocatum esse certo sciat, hic nullatenus voluntati aliorum acquiescere debet.

CAPUT II.

DE SCIENTIA

29. Scientia in genere necessaria est clericis Ordinem sacerdotalem suscepturis; et quidem adeo necessaria est, ut qui illius acquirendæ incapax sit, aut studium habitualiter non diligat, eo ipso dicendus sit divina vocatione carere. Quæ vero et quanta sit scientia sacerdotio prærequisita, indicatur a Concilio Tridentino: « Qui ad presbyteratus Ordinem assumuntur,... ad populum docendum ea, quæ scire omnibus ne-

7) TANQUEREY *Num. 821.* — Cf. et S. LIGORIUM *VI. 803.*
8) Cohæret S. Pœnit. 27 aug. a. 1829. — Cf. GEN. *Num. 25* et *Cas. 491.*

cesse est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur » 1. — Ex quibus hæc patent:

1.° Clerici Ordinem presbyteratus suscepturi scire debent ea omnia, quæ sacerdotes docere debent fideles, hisque necessaria sunt ad salutem, necessitate, sive medii, sive præcepti. Porro, ut hæc omnia doceant callere debent, et quidem late et profunde, universam theologiam speculativam et practicam, aliasque scientias sacræ theologiæ auxiliares. Non enim hodie satis est doctrinas credendas et agendas nude proponere; sed necesse insuper est easdem evolvere et explicare et demonstrare, easque propugnare contra innumeras objectiones in ordine theologico, metaphysico, historico et morali.

2.° Iidem clerici eadem ratione ac pari extensione et profunditate cognoscere debent universam theologiam moralem et pastoralem: secus enim sacramentis ministrandis, præsertim sacramento Pœnitentiæ, omnino impares erunt. De hoc sacramento ministrando hæc habent Doctores: « Infero peccare graviter eum, qui sine scientia respective requisita exponit se ad audiendas confessiones ». — « Affirmo in statu damnationis esse eum confessarium, qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit » 2. Porro nunc omnes sacerdotes coguntur sese ministerio audiendi christifidelium confessiones addicere a die suscepti sacerdotii.

3.° De hac scientia suscipientis Ordinem presbyteratus constare debet Episcopo per examen ab eo instituendo per se, vel per idoneos moderatores et magistros; quod examen diligens esse debet, et fini ipsius pro exigentiis temporum præsentium proportionatum. Huic examini subjiciendi quoque sunt religiosi quicumque, tum ex decreto Concilii Tridentini, tum ex Jure novissimo 3.

29. Neque obligatio sacris studiis incumbendi, suscepto Ordine presbyteratus, exstinguitur: exercitium enim muneris docendi et confessiones audiendi amplissimam et inexhauribilem præbet studio sacerdotis materiam. Insuper grassantes hodie errores rationalismi, liberalismi et modernismi omnino postulant, ut sacerdos se ac fideles suæ curæ commissos contra hos aliosque errores communiat: porro hoc nonnisi indefesso studio fieri potest.

Hinc opportune Jus novissimum statuit: « Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes..., nisi ab Ordinario loci ob justam causam fuerint exempti, examen singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum » 4.

297. Præter has disciplinas proprias status sacerdotalis et ad animarum bonum ordinatas directe, sunt et aliæ, quibus, non quidem omnes,

1) Concilium Trid. *Sess. XXIII. De reform. Cap. 14.*
2) De Lugo *De Pœnit. Disput. XXI. Num. 72;* S. Lig. *VI. 500.*
3) Concilium Trid. *Cap. 12;* Codex *Can. 996, 997;* cf. et *Can. 389* § 2.
4) Codex *Can. 130* § *1,* coll. *Can. 2376.* — Cf. et *Can. 590.*

sed nonnulli ex sacerdotibus incumbere debent ad bonum animarum procurandum indirecte. Sunt, nempe, disciplinæ scientificæ, litterariæ, mathematicæ, etc.; ut qui has didecerint valeant pueros et juvenes erudire, ut hi a scholis hodie atheis et irreligiosis retrahantur et a periculo exuendi omnem sensum christianum eripiantur. Ad has hodiernæ societatis exigentias Sedes Apostolica decrevit: « Nullus ad laicas universitatum facultates destinetur, nisi sacerdotio jam auctus:... destinari autem potest tantum ab Episcopo, si dioecesis suæ necessitas vel utilitas exigat... Expletis in laica universitate præscriptis studiorum cursibus, sciant sacerdotes ac meminerint se Ordinario suo pari omnino ratione ac antea subjectos esse ac dioecesis servitio manere mancipatos » [5].

CAPUT III.

DE SANCTITATE VITÆ

298. *Sanctitas,* ex Doctore Angelico, duo importat: *munditiam a peccato,* et *firmitatem in bono* [1]. Prior, *negativa,* in hoc consistit, quod anima immunis sit, non modo a peccato, sed et ab habitibus pravis; præsertim ab illis, qui ad peccata gravia facile impellunt. Altera, *positiva,* consistit in hoc, quod in anima jam exsistant radicati et firmati habitus boni; nempe habitus virtutum, et earum in primis, quæ propriæ sunt status et officii alicujus; adeo ut facile et veluti connaturaliter, quando opus est, exserantur actus virtuosi, qui ab eo statu vel officio exiguntur. — Hinc:

299. **Principia. I.** Ipsa status clericalis susceptio præexigit in subjecto sanctitatem habitualem, saltem negativam. Probatur: *a*) Ex sublimitate et perfectione sanctitatis positivæ, quæ omnino necessaria est in statu clericali — *b*) Ex communi sententia Doctorum a S. Thoma præformata: « Pondus ordinum imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis ab humore vitiorum » [2]. — *c*) Imo et sanctitatem positivam requiri patet ex Tridentino Concilio: « Qui ad presbyteratus ordinem assumuntur.... sint ita pietate et castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum et vitæ monita ab eis possint exspectari » [3].

II. Status clericalis exigit in subjecto sanctitatem positivam, et quidem sublimem et perfectiorem, quam exigat status communis fidelium, imo et ipse status religiosus. Patet: *a*) Ex relationibus sacerdotis cum sacramentis, maxime vero cum SS. Eucharistiæ sa-

5) S. Congr. Consist. 30 aprilis 1918, apud *Monit. eccles.* XXX. 170

1) S. Thomas *2. 2. Qu. 81, art. 8.*
2) S. Thomas *2. 2. Qu. 189, art. 1 ad. 3;* S. Lig. *VI. Num. 64, seqq.*
3) Concilium Trid. *Sess. XIII. De reform. Cap. 14.*

cramento, quod quotidie conficit, offert et sumit. Hinc S. Thomas : « Per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in ministerio altaris ; ideo ad hoc requiritur major sanctitas interior, quam requirit etiam status religionis » [4]. — *b*) Idem quoque patet ex relationibus habitualibus sacerdotis erga fideles, quibus debet « virtute et recte factis in exemplum excellere » [5]. — *c*) Confirmatur ex testimoniis S. Scripturæ [6] et SS. Patrum [7], quæ compendio exhibet S. Thomas : « Ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens ; ut, sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis » [8]. — *d*) Demum ex Concilio Tridentino : « Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant » [9] ; quæ omnia sanctitatem quidem exteriorem respiciunt, at simul interiorem supponunt.

III. Obligatio acquirendi et conservandi sanctitatem sublimem infert necessario obligationem adhibendi ea media, quæ ordinarie ad hunc finem necessaria sunt.

300. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si quis habitualiter laboret aliquo vitio sacerdotalem dignitatem dedecente, antequam Ordinem presbyteratus accipiat debet illud exstirpare, adeo ut illius peccati consuetudinem prorsus exuerit : ita si sit acediosus, rixosus, levis, bibulus, etc.

2.ª Si agatur de vitio, quod repugnet statui subdiaconatus, debet illud exstirpare antequam hunc statum suscipiat : quod si eo non exstirpato subdiaconatum susceperit, non potest ad altiores Ordines ascendere, nisi et de præcedenti temeritate sincere doluerit, et vitium saltem postea exstirpaverit.

3.ª De sanctitate exteriori, seu de immunitate a vitio quocumque externo, explorare debet Episcopus per se aut per idoneos moderatores ;

4) S. Thomas *2. 2. Qu. 184, art. 8;* S. Lig. *Num. 802.*

5) Codex *Can. 124* — *S.* Thomas *l. c.;* Suarez *De religione* III. *Lib. I. Cap. XVIII. Num. 26, 27.*

6) Lev. *XX. 27. XXI 6;* Matth. *V. 13. 14;* Tit. et Tim. passim.

7) Cf. S. Hieron. *Epist. 58;* S. Jo. Chrys. *In I. Tim. Hom. X.*

8) S. Thomas *Supplem. Qu. 35, art. 1 ad. 2.*

9) Concilium Trid. *Sess. XXII. De ref. Cap. 1.* — Ad hanc vitæ sanctitatem documentum Pontifice dignum dedit Pius X *Exhortatio ad clerum* 4 aug. 1908.

at circa immunitatm a vitio interno vel occulto, res tota commissa est conscientiæ ordinandi et ejusdem confessario.

301. *Ex Princ. III.* — 1.ª Medium ad acquirendam sanctitatem sacerdotalem prorsus necessarium est in primis vocatio divina. Nam « cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea, per quæ exsecutio illius potentiæ possit congrue fieri » 10. Tunc ipsa ordinatio, rite suscepta, conferet gratiam sacramentalem.

2.ª Tum ad acquirendam, tum ad conservandam eam sanctitatem, sicut ceteris fidelibus, ita et clericis, necessaria est oratio; nominatim ea orandi ratio, quæ *meditatio* dici solet, « sine qua difficulter erit bonus sacerdos » 11: hinc maxima utilitas ac prope necessitas exercitiorum spiritualium, quæ modo tertio quoque saltem anno stricte præcipi videntur, nisi propter causam justam expressa habeatur licentia Ordinarii 12.

3.ª Orationi addendum exercitium virtutum, per quod ipsæ virtutes solidantur: maxime vero incumbere oportet exercitio virtutum sacerdotalium; nedum earum, quæ dicuntur *activæ*, sed et earum, quæ neoterico vocabulo *passivæ* nuncupantur: humilitas, obedientia, omnimoda erga superiores subjectio.

4.ª Ad eumdem finem tenentur clerici et sacerdotes vitare omnes occasiones sanctitati sui status periculosas; cujusmodi potissimum sunt consortia cum personis mundanis, lectiones pravorum librorum et ephemeridum liberalium, spectacula profana, et familiaritates cum mulieribus etiam piis.

302. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum confessarius absolvere debeat clericum, qui, etsi sit in vitio turpi habituatus, vult Ordinem subdiaconatus suscipere?

Resp. Quamvis clericus iste supponatur habere verum dolorem de peccatis commissis, insuper et verum propositum ea non amplius committendi, imo et adhibendi omnia media ad pravum habitum exstirpandum, tamen S. Alphonsus docet eum a confessario absolvi non posse 13, et sancto Doctori quoad summam rei consentiunt communiter recentes theologi. Ratio horum est, quia clericus ille obligatione legis naturalis et divinæ tenetur pravum habitum exstirpare, antequam subdiaconatum suscipiat; quare non est habendus ut dispositus ad absolutionem, nisi ab eo Ordine suscipiendo interim abstineat.

Exsistentia illius obligationis duplici argumento probatur:

1.° Clericus ille caret ea sanctitate negativa, quæ sacro Ordini subdiaconatus omnino et absolute prærequiritur.

2.° Clericus ille, Ordinem subdiaconatus suscipiens, se in eo statu

10) S. THOMAS *Supplem. Qu. 35, art. 1.*

11) S. LIGORIUS *Homo ap. Append. IV. Num. 10;* SCAV. I. *412;* MARC *2198.*

12) CODEX *Can. 126.*

13) S. LIGORIUS *VI.* post *Num. 62*: *Dissert. de clerico habit. in vitio turpi...* Ipse innititur legibus ecclesiasticis; at hæ non videntur spectare directe conscientiam ordinandi ejusque confessarium. Cf. PALMIERI ad BALL. *8, seqq.*

ponit, in quo moraliter certum est eum gravissima et plurima peccata perpetraturum esse, cum gravissimo scandalo fidelium et periculo gravissimo suæ damnationis æternæ. Qui enim habitum in hac materia contraxit, jam contraxit quamdam necessitatem peccandi, ex qua moraliter certe prævidetur peccaturus, et quidem frequentius et gravius in sacerdotio, quam peccare consueverat in clericatu. Præterquam quod, *a*) malus habitus veterascendo solidatur; *b*) ipsa anhelatio ad sacerdotium urgens stimulus est ad continentiam, quo jam sacerdos carebit; *c*) clericus in seminario longe remotior est a periculosis occasionibus, quam erit sacerdos; *d*) idem clericus in seminario plura habet media emendationis, instructiones, admonitiones, frequentiam sacramenti Pœnitentiæ; quæ omnia haud facile habebit sacerdos; *e*) si forte clericus in peccatum labatur, facilius poterit a communione abstinere, quam postea sacerdos a celebratione; *f*) generatim nemo melior est sacerdos, quam fuerit clericus. Hæc omnia prævideri debent moraliter certo secutura, præscindendo a gratia Dei extraordinaria, quam sine gravi peccato præsumptionis sperare non licet. Ergo peccato gravi, aut præsumptionis, aut temeritatis, reus esset clericus ille, et proinde non absolvendus.

Quid, si clericus hæc omnia non prævideat, imo bona fide speret sese emendaturum esse? — Debet ea prævidere confessarius, eaque intimare pœnitenti; cum agatur de periculo, in quod hic incidet peccandi formaliter, et de evitando scandalo aliorum; nolenti autem a suscipiendo sacro Ordine recedere, debet ipse negare absolutionem. Antequam clericus ille ad sacros Ordines ascendat, acquirat saltem illam munditiam habitualem, qua prudenter confidere possit quod cum gratia Dei ordinaria et mediis ordinarie necessariis perseveraturus sit.

Tamen idem sanctus Doctor et cum eo communiter theologi docent excipiendum esse casum, quo clericus « tali compunctionis gratia a Deo sit donatus, ut dignus existimetur, quod gradum Ordinis sacri assumere possit »; scilicet, censeatur ex dono Dei extraordinario acquisivisse sanctitatem talem, qua prudenter existimari possit perseveraturus; quod certe theoretice possibile est. At quomodo et undenam hoc judicabit confessarius? Ex parte pœnitentis, norme naturalis et facilis est casus hallucinationis?

Qu. 2. Quandonam ea mundities habitualis dicenda est sufficienter acquisita, ut confessarius clerico permitetre possit ascensum ad Ordines sacros?

Resp. S. Alphonsus exigit « convenientem castitatis experientiam », nihil ulterius determinans. Rigidiores exigebant experientiam ad integrum annum; quidam ad annum cum dimidio et ultra. E recentioribus, quidam adhuc vellent experientiam saltem integri anni: alii satis habent quod clericus per sex menses ab omni labe turpi se custodierit: alii advertunt normam ex tempore dari non posse; requiri tale experimentum, ut inde spes fundata habeatur emendationis perseveraturæ. In hoc omnes conveniunt, quod, si confessarius videat omnem clerici conatum irritum esse, ei suggerat ut sese ad alia studia convertat.

Qu. 3. Quid, si agatur de diacono, qui, cum sit vitio turpi inquinatus, vult ad sacerdotium ascendere ?

Resp. Imponat illi ut sub aliquo prætextu ordinationem differat, quousque saltem per semestre sese continuerit; hoc tentandum suggerat interum atque iterum, magis erigendo ad emendationem, quam ad alia studia. Quod si emendatio ostendatur desperata esse, restat tentamen, num forte ab onere subdiaconatui adnexo per summum Pontificem liberetur, ut alium vitæ statum sibi possit eligere.

303. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Utrum peccata sacerdotis habeant malitiam specialem supra malitiam peccatorum personæ laicæ ?

Resp. Quamquam nonnulli affirmaverint peccata omnia sacerdotis induere rationem aliquam sacrilegii, tamen id negandum esse videtur; exceptis peccatis contra castitatem. Tamen peccata sacerdotis dici possunt et sunt graviora *per accidens;* quatenus difficilius admittunt causas excusantes aut gravitatem minuentes ex ignorantia, ac majorem dicunt ingratitudinem contra divina beneficia, et sæpe gravissima scandala afferunt fidelibus. Hinc ajunt SS. Patres: « Grandis dignitas sacerdotum; sed grandis ruina, si peccant ». — « Ruinæ populi sacerdotes mali ». — « Nulla tam crudelis bestia, quam malus sacerdos ». — « Si peccas in sacerdotio, periisti » 14. Ex quibus deducit D'Annibale: « Sacerdotum peccata et longe graviora sunt, maxime propter scandalum; et longe periculosiora; nam, si non protinus resipuerint, tabescunt et in suis peccatis intereunt » 15.

CAPUT IV.

DE CÆLIBATU

304. Non esse ex jure divino obligationem cælibatus ecclesiastici, patet ex eo quod prioribus Ecclesiæ sæculis non exsistebat, nec modo exsistit in Ecclesia græca. Quare hæc obligatio inducta fuit posterius ex auctoritate Ecclesiæ latinæ: quod Ecclesia præstitit; sive immediate hanc obligationem clericis imponens; sive iisdem præcipiens ut in sacra ordinatione votum servandi perfectam castitatem emittant; sive sua auctoritate vim legis attribuens piæ consuetudini, quæ jam ab initio introducta fuerat, ut ad sacra ministeria nonnisi virgines eligerentur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici 1. Utrum hæc obligatio oriatur immediate ex præcepto Ecclesiæ, an ex voto per legem Ecclesiæ emittendo, disputatur: modo communior est opinio, quod obligatio vovendi sit ex lege Ecclesiæ, obligatio castitatis a voto et simul a lege Ecclesiæ 2.

14) S. Hieronymus *In Ezech. Cap. 44;* S. Gregorius M. *Epist. IV. 64;* S. Eusebius *Ad Damasum;* S. Jo. Crys. *Hom. XLI. In aMtth.*, etc.

15) D'Annibale III. *Num. 164.* — Cf. etiam Dubois *Il santo Prete. P. I.*

1) S. Hieronymus *Epist. 4.* — De origine historica diximus in *Instit. Hist. Eccl. Sæc. IX. Disput. IV.* — Cf. et Tanqu. II. *Num. 1051- 1063.*

2) Hanc propugnat Ballerini IV. *De statu cleric. Num. 18, seqq.* — Cf. Gen. *29.*

30. **Principia. I.** In ecclesia latina omnes clerici a suscepto subdiaconatu *sub gravi* tenentur se cælibes conservare; adeo ut, si matrimonium contrahant, hoc et illicitum et invalidum sit; imo, si matrimonium, etiam civiliter tantum, contrahere præsumant, incurrunt excommunicationem Apostolicæ Sedi reservatam simpliciter [3].

II. Iidem *sub gravi* tenentur servare perfectam ac perpetuam castitatem, tum exteriorem, tum interiorem; adeo ut omnia eorum peccata contra castitatem, sive externa, sive interna, etiam quæ nullam habent ad actus externos relationem, sint simul peccata contra religionem et vera sacrilegia personalia [4].

306. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Conjugatus in Ecclesia latina prohibetur Ordines majores recipere: et « qui sine dispensatione apostolica, licet bona fide, suscepit, ab eorumdem Ordinum exercitio prohibetur » [5]. Quisque tamen potest eos suscipere uxore defuncta.

2.ª Eo quod Ecclesia susceptioni Ordinis subdiaconatus obligationem adnexuit vovendi ac servandi castitatem, ideo, qui Ordinem suscipit, implicite et votum emittit, quod ex declaratione Bonifacii VIII solemne est.

3.ª Si quis in sacra ordinatione scienter noluerit castitatem vovere, hic jam graviter contra legem Ecclesiæ peccavit, ac tamen ad castitatem servandam ex lege Ecclesiæ tenetur; insuper ex ipso suo statu tenetur castitatem vovere, aut certe servare [6].

4.ª Si quis ex metu gravi ordinatus fuerit, at cum animo accipiendi sacram ordinationem, hic ad castitatem minime teneretur; posset ergo matrimonium contrahere; at non posset sacros Ordines exercere [7].

307. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis votum castitatis in sacra ordinatione non emisit, probabiliter per peccata mere interna reatum sacrilegii non contrahit; probabile est enim leges Ecclesiæ ad actus mere intemos non pertingere: sacrilegia adhuc essent ejus peccata externa: hæc enim Ecclesia vetat ex motivo religionis.

2.ª Clericus Ordine sacro insignitus, qui per peccata etiam mere interna, puta, delectationes morosas, castitatem violaverit, in confessione exprimere debet se esse personam sacram.

308. **Scholion. — I.** *De cohabitatione cum mulieribus.* — Hæc

3) Conc. Trid. *Sess. XXIV. Can. 9;* Codex *Can. 132 § 1, 2388, § 1.*
4) Codex *Can. 132 § 1.* — Accedit communis theologorum sententia.
5) Codex *Can. 132 § 3.*
6) Scavini *Num. 595.* — De mediis servandi castitatem, Tanqu. *1066.*
7) S. Ligorius *Lib. VI. Num. 811.*

cohabitatio clericis ab Ecclesia prohibetur duplici ex titulo 8: *a*) Ut a personis, quæ Deo sunt sacræ, amoveatur quidquid earum sanctitati, ac in primis perfectæ castitati, periculo esse posset; *b*) ut ab iisdem amoveatur quidquid mali speciem habere posset, atque occasionem dare posset ceteris, ipsisque adversariis, obloquendi aut suspicandi. — Quod si aut pietas aut propria necessitas postulet, ut clericus mulierem aliquam sub eodem suo tecto detineat, hæc talis sit, quæ et nullum afferat clerico periculum labendi, et nulla ceteris præbeat occasionem obloquendi aut suspicandi. Porro ejusmodi præsumuntur esse: *a*) Consanguineæ in primo aut secundu gradu, affines in primo gradu, et insuper viduæ patrui aut avunculi vel nepotis: *b*) extraneæ ratione famulatus assumendæ, quæ sint probatæ virtutis et ætate provectiores, regulariter quadragenariæ. — Dicimus pro hisce feminis haberi *præsumptionem*. At, si clerico periculum afferat soror vel mater, hanc prorsus dimittere debet; et regulariter dimittere debet feminam quamcumque, cui cohabitare nequeat absque scandalo pusillorum.

Nedum clerici, sed et sacerdotes et parochi, maxime cavere debent a familiaritate et frequentia mulierum, etiam quæ piæ sint et religiosæ. Meminerint ea: *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes* 9. Meminerint quot Ecclesiæ columnæ ex levissima feminæ concussione perierint! Meminerint insuper quam avidi sint scandalorum vulgandorum adversarii nostri, quamque animarum intersit sacerdotes bonum testimonium habere, etiam ab his, qui foris sunt.

II. *De choreis, comœdiis aliisque spectaculis.* — Iisdem titulis, ac cohabitare cum mulieribus, prohibentur clerici adesse hujusmodi recreationibus, tum ipso jure naturali, tum Jure novissimo et statutis diœcesanis fundatis in ipsis decretis Concilii Tridentini 10. Ceterum ubi nullum adest periculum seu lapsûs, seu scandali, ac nulla adsit ex jure particulari prohibitio, clerici possunt honestas sibi recreationes sumere, ac illis repræsentationibus interesse, quæ fiunt in collegiis aut oratoriis vel consociationibus; dummodo leges modestiæ ac temperantiæ serventur.

CAPUT V.

DE HABITU ECCLESIASTICO ET TONSURA

309. Tum ille, tum ista præscribuntur a Concilio Tridentino, ac iterum a Jure novissimo, quod decernit:

Principium. « Omnes clerici *a*) decentem habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci præscripta deferant; *b*) tonsuram seu coronam clericalem,

8) Codex *Can. 133.*
9) Eccli. *XIX. 2; XLII. 13.*
10) Codex *Can. 140.*

nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent et capillorum simplicem cultum adhibeant » [1].

310. **Expositio.** — *a*) Hac lege ex sententia communiter recepta tenentur clerici majores; et quidem per se *sub gravi* [2]: quoad clericos minores, lex non videtur obligare *sub gravi*, et forte est pure pœnalis, qua, si « propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso jure a statu clericali decidunt » [3]. — *b*) Habitus clericalis ex legitima in Italia consuetudine et Ordinariorum præscriptis est vestis nigri coloris talaris vel ferme talaris: recepti autem apud nos mores ferunt ut clerici reapse tonsuram gestent. — *c*) Obligatio habetur communiter ceu gravis *per se;* at quoad tempus admittit parvitatem materiæ; puta, si habitus et tonsura dimittantur sine causa per aliquot dies. — *d*) Causæ excusantes haberi possunt ex incommodo gravi; puta, si quando periculum adsit vere grave contumeliarum: at regulariter in Italia dimissio habitus et tonsuræ esset indigna suæ dignitatis erubescentia.

CAPUT VI.

DE RECITATIONE DIVINI OFFICII

311. *Divinum officium* a S. Thoma definitur: « Oratio communis, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis Deo offertur » [1]. Partes, quibus hæc oratio constat, dicuntur *Horæ canonicæ;* sunt autem sequentes: *Matutinum* cum *Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ,* et *Completorium*. Liber, in quo continentur, appellatur *Breviarium*: nobis eo utendum est, cui titulus: *Breviarium romanum ex decreto ss. Concilii Tridentini restitutum,.... Pii X auctoritate reformatum.*

Dicemus de obligatione, *a*) quoad substantiam; *b*) quoad accessoria; dein *c*) de causis ab eadem excusantibus [2].

ART. I. — DE OBLIGATIONE QUOAD SUBSTANTIAM

312. **Principia. 1.** « Clerici in majoribus Ordinibus constituti.... tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros » [3]: quæ obligatio ex communi theologorum sententia gravis est.

1) CODEX *Can. 136 § 1, 3;* CONC. TRID. *Sess. XIV. De reform. Cap. 6.*
2) S. LIGORIUS *Lib. VI. Num. 825, sequ.* — Addunt et beneficiarios.
3) CODEX *Can. 136, § 3.* — Cf. TUMM. *II. Num. 47.*

1) S. THOMAS *2. 2. Qu. 83 a. 11.* — PIGHI FERRAIS *Liturgia sacerd. 32.*
2) Tractant S. LIGORIUS *Lib. IV. Num. 140-179;* BALL. IV. *Tract. IX. Num. 147-259.* Plura historica habet TANQU. II. *Num. 1073, sequ.*
3) CODEX *Can. 135.*

II. Ad satisfaciendum huic præcepto necessaria est pronuntiatio vocalis et integra, cum intentione orandi et colendi Deum. Ratio prioris est, quia recitatio divini officii est actio publica, facta nomine Ecclesiæ : ratio alterius est, quia hæc recitatio debet esse actus humanus et religiosus ; cum ejus obligatio clericis ab Ecclesia imponatur ex motivo religionis.

III. Clerici beneficiarii tenentur canonicas horas quotidie recitare : cui obligationi si nullo legitimo detenti impedimento non satisfecerint, fructus pro rata omissionis non faciunt suos, eosque fabricæ Ecclesiæ aut seminario diocesano tradere debent vel in pauperes erogare [4].

313. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Præscindendo a quovis privilegio vel legitima consuetudine, obligatio divini officii recitandi urget a media nocte usque ad mediam noctem sequentem [5]. Si quis intra hos limites recitavit, præcepto quoad substantiam satisfecit, et certe immunis est a peccato mortali : at « quidquid extra has viginti-quatuor horas recitatum fuerit, pro non dicto erit » [6].

2.ª Legitima consuetudine introductum est ut Matutinum cum Laudibus recitari possit horis vespertinis diei præcedentis.

3.ª Si quis usque ad postremas diei horas nihil de divino officio potuerit aut voluerit recitare, tunc tenetur recitare totum ; eadem ratione tenetur totum summo mane recitare, si præviderit se nihil recitaturum esse posterius [7].

4.ª Officium divinum pro singulis diebus imponitur ut objectum totale, cujus partes sunt singulæ horæ. Quare, si quis uno actu voluntatis statuerit hac die omnes horas omittere, unicum facit peccatum ; si statuat omittere per hebdomadam, septem.

5.ª Peccat graviter, non modo qui aliqua die integrum officium omittat, sed etiam qui omittat partem ejus notabilem.

6.ª Clericus, qui sit in sacris et beneficiatus, unica tenetur obligatione religionis : ideo officium omittens, unicum facit peccatum.

7.ª Clericus, qua die Ordinem subdiaconatus accipit, tenetur officium recitare ab ea hora, quæ cum hora ordinationis coincidit.

314. *Ex Princ. II.* — 1.ª Recitare est voces et syllabas propriis organis efformare, adeo ut earum sonus audibilis sit. Hinc non satisfacit, qui psalmos aut hymnos mere oculis percurrat, aut gutture sonitus inarticulatos emittat.

4) Codex *Can. 1475 § 2.*

5) Codex *Can. 3251.* — Quisque pro arbitrio sequi potest tempus *verum*, aut *medium*, aut *legale*. S. R. C. die 23 jul. a. 1893; Codex *Can. 33 § 1.*

6) D'Annibale *Num. 150.* Hinc satis non est quod ante mediam noctem *inchoetur* officium diei sequentis : media nocte obligatio cessat.

7) S. Ligorius *Num. 155*, et recentes.

2.ª Nec plene satisfacit ille, qui aut voluntarie, aut ex habitudine voluntarie contracta, syllabas aut voces mutilet; imo, si adeo notabiliter mutilat, ut sensus verborum sit corruptus, peccare poterit etiam mortaliter. Qui mutilet prorsus involuntarie, puta ex naturali balbutie, et non notabiliter, excusari poterit a peccato etiam veniali.

3.ª Ad integritatem singularum horarum pertinent *Pater, Ave* et *Credo*, quando in fine aut in principio horarum per rubricas præscribuntur 8: minime vero orationes *Aperi* et *Sacrosanctæ*.

4.ª Integre recitat, qui juxta morem receptum recitat cum socio aut choraliter; dummodo ea, quæ a socio vel ab alio choro recitantur, aut canuntur a schola, ipse audiat, h. e., auribus actu humano excipiat.

5.ª Si quis psalmos legat eruditionis gratiâ, non satisfacit præcepto: satisfacit vero, si legat ex devotione, aut si die 2 novembris officium Defunctorum persolvat intuitu percipiendi residentiam, sine intentione implendi præceptum.

6.ª Ad recitandum divinum officium requiritur aliqualis attentio; ea saltem, quæ necessaria est, ut quis sibi testari possit se horas canonicas recitasse.

315. *Ex Princ. III.* — 1.ª Beneficiati, qui in ecclesia cathedrali aut collegiata habeant canonicatum, præbendam vel beneficium quodcumque, tenentur, nedum choro interesse, aut etiam divinum officium submissa voce recitare, sed et recitanda recitare elata voce, psallenda psallere, canenda canere; utique quatenus valeant.

2.ª Beneficiati omnes, etiam Episcopi et parochi, qui culpabiliter horas canonicas omittant, pro rata omissionis tenentur ad restitutionem fructuum in causas pias; et quidem ante sententiam judicis 9.

3.ª Qui habent beneficium curâ animarum vel aliis muneribus gravatum, non tenentur fructus restituere nisi pro parte horis omissis respondente 10: sibi, nempe, reservare possunt partem aliis muneribus respondentem, si hisce perfuncti sunt rite.

4.ª Obligatio restituendi fructus tunc est gravis, cum et gravis est quantitas restituenda, et insuper gravis fuit omissio, tum quoad materiam, tum quoad culpam.

5.ª « Canonici ac beneficiarii quotidiano choro adstricti possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos » 11; quin peccent aut præbendæ proventus amittant.

6.ª Beneficiati, qui sint in sacris, duplici titulo tenentur officium recitare: hinc, si quando, aut non tenentur, aut ab officio choraliter recitando sint ex integro vel ex parte dispensati aut excusati, adhuc officium, et quidem integrum, recitare tenentur privatim ratione Ordinis sacri.

8) Cf. Benedictum XIV Constit. *Cum semper* 19 aug. a. 1744.
9) Cf. S. Ligorium *V. Num. 151;* Gennari *Consult. canon. XI, XIV.*
10) Quota hæc sit, difficile definitur. — S. Lig. *Num. 673;* D'Ann. III. *64, 18.*
11) Codex *Can. 418 § 1;* Conc. Trid. *XXIV. De reform. Cap. 12.*

316. **Quæstiones** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Quale sit officium singulis diebus recitandum?

Resp. 1.° Regulariter illud, quod singulis diebus assignat Calendarium Breviario præfixum, aut Proprium singularum dioeceseon, simul attentis rubricis de translatione festorum in casu occurrentiæ. Practice attendatur ad Calendarium dioecesanum; a quo recedere non licet, nisi ipsum errare constet.

2.° At datur quoque Calendarium speciale pro singulis ecclesiis: cui conformare se debent sacerdotes et clerici, qui illi ecclesiæ adscripti sint in sensu rubricarum. Hi sunt: *a*) Qui choro illius ecclesiæ pro munere intersunt: *b*) qui in ea beneficium quodcumque habent: *c*) illi, quibus ex mandato Ordinarii commissa est illius ecclesiæ cura quoad administrationem spiritualem; ut sunt parochi, vel quasi-parochi, œconomi, vicarii parochiales, coadjutores; minime vero ceteri sacerdotes, qui in ea ecclesia Missam celebrent aut fidelium confessiones excipiant: *d*) item superiores, magistri et clerici degentes in seminario propriam ecclesiam habente.

Qu. 2. Quale officium recitare debeant clerici et sacerdotes in aliena dioecesi morantes?

Resp. Si beneficiati sint, tenentur semper recitare officium ecclesiæ propriæ. Ceteri, qui alicubi morentur tempore non sufficienti ad quasi-domicilium acquirendum, possunt pro lubito recitare officium dioeceseos propriæ, aut dioeceseos, in qua morantur; congruentius illud.

Qu. 3. Utrum præscriptio recitandi taxative tale officium sit præceptiva; et, quatenus affirmetur, utrum *sub gravi*, an *sub levi*?

Resp. Ad 1.um *Affirmative*. Tamen, si quis ex inadvertentia recitavit officium diversum a præscripto, Ecclesia non censetur eumdem obligare ad recitandum etiam officium præscriptum: ille enim jam suo munere orandi juridice pro Ecclesia perfunctus est quoad substantiam [12]. Excipitur casus, quo officium recitatum nimis alienum sit a spiritu Ecclesiæ determinatum officium præscribentis, aut eo notabiliter brevius. In casu, quo officium recitatum notabiliter brevius sit officio recitando, theologi censent aliquid ex hoc esse supplendum usque ad approximativam paritatem [13].

Quod quis vero recitet scienter officium pro officio, id Ecclesia improbat diserte; adeo ut declaraverit generaliter non satisfacere obligationi clericum in sacris, qui sponte vel invitatus se jungat clero officium ab officio ipsius diversum canenti vel recitanti [14].

Ad 2.um Theologi censent hanc præscriptionem, excepto casu subrogati officii notabiliter brevioris, obligare tantum *sub levi*: hoc autem censent etiam post datam a S. Congregatione declarationem nuper allatam. Consequenter docent, peccatum esse veniale, si quis scienter offi-

12) In decursu recitationis « error corrigitur, ubi deprehenditur ».
13) S. Ligorius *Num. 161*, et alii. At de vera obligatione non constat.
14) S. C. R. die 27 jan. a. 1899. — Cf. Ojetti ad v. *Horæ canonicæ*.

cium pro officio recitet absque causa rationabili [15]: omnes consentiunt nullum esse peccatum, si id fiat ex causa vere rationabili; puta, si non habeas officium tibi præscriptum; si socius, habens officium diversum a tuo, auxilio tuo ad recitandum indigeat.

Die, quo recurret officium a te ex inadvertentia vel rationabili causa recitatum, juxta plures idem officium repetes, juxta alios officium recitabis eo die omissum [16].

Qu. 3. Quænam sit materia gravis in omissione divini officii?

Resp. Ex communi sententia habetur gravis ut materia quælibet ex horis minoribus, vel pars Matutini uni horæ minori æquivalens. At non videtur esse gravis omissio Vesperarum in Sabbato sancto [17].

Qu. 4. An teneatur recitare officium, vel aliquam ejus partem, qui dubitat, num recitaverit?

Resp. In casu dubii negativi, seu veræ ignorantiæ, *affirmative*. Secus vero in casu dubii positivi; nempe, quando quis probabiliter judicat se recitasse. Hæc sententia dicitur a S. Alphonso communissima [18]; ac certe talis hodie est penes theologos.

Qu. 5. Utrum adsit obligatio recitandi Litanias Sanctorum die festo S. Marci et triduo Rogationum?

Resp. Affirmative ex Pii X Constitutione *Divino afflatu;* et quidem *sub gravi,* cum sit gravis materia.

Qu. 6. Utrum qui hodie prævidet se cras non posse Matutinum cum Laudibus recitare, teneatur hodie anticipare?

Resp. Communiter theologi negant; eo quod anticipandi facultas habetur, quæ æquiparari potest privilegio: porro privilegio nemo uti tenetur [19]. At non desunt qui censeant obligationem officii nocturni adnexam esse horis nocturnis; ideoque in casu proposito obligationem recitandi officium nocturnum incipere post occasum solis; si id impossibile fiat, non haberi obligationem recitandi ante occasum solis. — At certe probabilis manet quoque sententia prior.

Hora, qua Matutinum pro insequenti die incipi possit in recitatione privata, est secunda post meridiem.

317. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Utrum attentio, seu applicatio mentis, necessaria sit ad recitationem divini officii?

Resp. 1.° Cum ea recitatio sit vera oratio et laudatio Dei, et quidem facta nomine Ecclesiæ, certe reverentia eidem debita exigit, ut, nedum lingua, sed et mens et cor recitantis eidem applicetur; ac proinde omnis distractio voluntaria non caret peccato, saltem veniali. Eadem ratione exigitur *devotio,* seu prompta in opus tam sanctum voluntas; adeo ut peccato non careat voluntaria mussitatio, oscitantia vel acedia.

15) Ballerini *Num. 219;* D'Ann. *148.*
16) S. Ligorius *Num. 160;* Ball. *218;* Lehmk. *625;* Gen. *51, sequ.*
17) S. Ligorius *Num. 147.* — Cf. Lehmk. *621, 627,* et *Casus 783.*
18) S. Ligorius *Num. 150;* at ab ea recedit in *Elencho Qu. reform.*
19) S. Ligorius *Num. 155;* Genicot *54;* Noldin *773, 3;* Ferr. *76*

2.° Certe requiritur ea attentio vel applicatio mentis, quæ necessaria est ad hoc, ut recitatio divini officii sit actus religiosus humanus: ad quod sufficit ea attentio, qua quis sciens Breviarium in manibus accipit, ut recitet officium.

3.° Requiritur talis attentio in recitando, qua quis aut conscientiâ directâ, aut argumento reflexo, sibi testificari possit se officium recitasse; quare, qui prorsus nesciat se recitasse, iterum recitare tenetur.

4.° Certe de essentia recitationis est attentio *externa;* qua quis, dum officium recitat, abstineat a quavis occupatione incompossibili cum actu humano recitandi: non satisfacit ille, qui officium recitet somnambulus.

5.° Utrum de essentia recitationis sit attentio proprie dicta, seu *interna,* h. e. applicatio mentis ad versus, lectiones et orationes, quæ recitantur; adeo ut, si recitentur mente ad eas nullatenus advertente, et hoc sive voluntarie, sive involuntarie, obligationis impositæ non satisfiat, disputant theologi; at forte magis verbis, quam re [20].

Censemus aliqualem mentis applicationem requiri, at sufficere materialem, levem et confusam, qualis compossibilis est cum penitiore et quasi totali mentis applicatione ad alia; et in hoc censemus convenire realiter omnes. Si quis cum socio nocturnum de feria recitaverit adeo mente distractus, ut, psalmis absolutis, expergefactus miretur psalmos jam esse absolutos, hic in omnium sententia obligationi satisfecit; etiamsi forte peccaverit propter distractionem voluntariam. Hic tamen non caruit ea attentione materiali et levi, quam diximus. Sane, dum ejus mens tota occupari videbatur in studio vel negotiatione aut venatione, ejus lingua psalmos pronuntiavit, ejus oculi versiculos pervidérunt, ejus manus folia verterunt; porro hæc omnia sine aliquo actu voluntatis, et proinde sine aliqua mentis advertentia, non fiunt. Item sufficienter, quamvis levissime, attendit, qui, dum memoriter voluit Nonam recitare, nunc scit se psalmum primum inchoasse et ultimum explevisse; licet de recitatione trium psalmorum nullam habeat conscientiam directam. Censemus hanc materialem et levem attentionem requiri et sufficere ad essentiam recitationis per legem Ecclesiæ præscriptæ; et hanc de facto esse sententiam satis communem theologorum.

Qu. 2. Utrum teneatur officium vel ejus partem repetere, qui recitavit cum pronuntatione imperfecta vel mutilata?

Resp. Si tanta fuit verborum aut phrasium corruptio, ut ipse earum sensus corruptus fuerit, et quidem in parte sat notabili, *affirmative*: secus, *negative*. Idem dicatur de eo, qui officium recitavit cum socio verba aut phrases corrumpente. Practice rarus erit casus, quo quis teneatur repetere: potius insistendum, ut divini officii recitatio fiat absque ulla celeritate et festinatione; ne quis videatur huic tantum negotio curam omnem impendere, ut ab onere officii recitandi sese quantocius expediat.

20) Cf. De Lugo *De Euch. XXII. Num. 25;* S. Lig. *177;* Ball. *254;* Gen. *59.*

Qu. 3. Qua ratione suæ obligationi satisfacere debeat surdus vel surdaster ?

Resp. Si agatur de recitatione privata, surdus non potest recitare cum socio. Si agatur de recitatione chorali, communius dicunt surdum teneri ad ea supplenda, quæ ab aliis canuntur aut leguntur 21 : at non desunt, qui eum ab hac obligatione eximant, eo quod « oportet chori obligationes et jura æqua lance metiri » 22. Facilius satisfacit surdaster, si saltem confuse audire possit, quæ ab altera parte vel a socio proferuntur.

318. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum in recitatione chorali ecclesiæ cathedralis aut collegiatæ liceat Matutinum et Laudes pridie recitare ?

Resp. Vi juris, *negative* : nec facultas anticipandi habitualiter datur a S. Sede, nisi ob rationes gravissimas. Verum pro casu particulari et ex causa rationabili facultas anticipandi concedi potest Capitulo ab Episcopo ; imo, sicubi consuetudo haud irrationalis jam inducta sit anticipandi quandoque, non videtur ullatenus requiri concessio Episcopi 23 ; ita alicubi pro festo Nativitatis Dominicæ ; vel etiam in prævisione impossibilitatis recitandi die sequenti ; etc.

Qu. 2. Utrum teneatur supplere ille, qui choraliter recitans, quædam non potuit recitare vel audire, aut casu aliquo, aut pro servitio ecclesiæ ?

Resp. Quantum spectat ad obligationem chori, *negative ;* quantumvis pars omissa aut non audita notabilis sit : ita non tenetur iterare, qui tempore officii choralis debuit pro servitio ecclesiæ cathedralis Missam celebrare. Quantum spectat ad obligationem recitationis privatæ, eo quod beneficiatus sit in sacris ; iterum *negative,* ne *sub levi* quidem, si agatur de omissione partis levissimæ, qualis contingere posset ex tussi, ex strepitu repentino, ex necessitate inquirendi psalmos ; *affirmative* vero, si agatur de parte notabili, cujusmodi a pluribus non habetur integer psalmus. — Hoc dicendum quoque, si agatur de privata plurium recitatione.

ART. II. — De obligatione quoad accessoria

319. Obligatio divini officii, præter recitationem quoad substantiam, quæ imponitur *sub gravi,* extenditur quoque ad quædam adjuncta accessoria, quæ generatim imponuntur *sub levi,* partim ex ipsa dignitate officii recitandi, partim ex præscriptionibus positivis Ecclesiæ. Præcipua sunt sequentia : *a*) Matutinum cum Laudibus absolvatur ante celebrationem Missæ. — *b*) Horæ recitentur una post aliam ordine sibi connaturali : Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. — *c*) Ex horis minoribus, duæ priores recitentur ante

21) S. Ligorius *Num. 163 ;* Ball. *230 ;* Genn. *Cons. canon. XLII. 6.*
22) Cf. D'Annibale *Num. 151, 38 ;* Gen. *57, 11.*
23) Cf. Bened. *XIV. Instit. eccl. CVII. § IV. Num. 22 ;* Bouix *De Capitulis P. III. Cap. II. § 5 ;* Genn. *Quest. canon. Num. 344.*

meridiem; duæ postremæ post meridiem; intermediæ indifferenter: at Vesperæ in Quadragesima (a Sabbato primo) ante meridiem, exceptis diebus Dominicis. — *d*) Singulæ horæ recitentur ab initio ad finem continue, absque ulla interruptione. — *e*) Locus et situs recitationis sint honesti et convenientes dignitati muneris, quod sacerdos pro Ecclesia gerit ante Deum.

De hisce adjunctis accessoriis certa sunt tria: *a*) Nullum ex his obligat *sub gravi*, sed ad summum *sub levi*. — *b*) Ab hac obligatione levi, et proinde a quovis peccato, excusat causa quævis rationabilis etiam levis. — *c*) Nulla horum adjunctorum violatio secum fert obligationem iterandi, ne levem quidem. — Ita: *a*) Certe non peccat graviter sacerdos, qui sine causa recitat Matutinum post Missam. — *b*) Qui Matutinum inter psalmum et psalmum, aut inter versiculum et versiculum, interrumpat ex quacumque causa, puta ad legendam epistolam nuper acceptam, ne leviter quidem peccat. — *c*) Qui Vesperas et Completorium, sive ex causa, sive sine causa, sive inadvertenter, sive scienter, recitaverit ante meridiem, ne *sub levi* quidem iterum recitare tenetur.

Quæstiones de accessoriis ad hoc reducuntur, utrum omnia et singula hæc adjuncta vere præscribantur præscriptione *præceptiva;* adeo ut eorum transgressio sit verum peccatum veniale; an vero quædam ex his proponantur mere *directive*, ad majorem convenientiam, absque ulla obligatione in conscientia. Quæstio proprie movetur de his, quæ præscribuntur positive per rubricas aut per decreta S. Rituum Congregationis: non de iis, quæ naturaliter exiguntur ab ipsa dignitate divini officii. Hoc enim, juxta S. Bonaventuram, « imitatio est cœlestis concentus »; et ideo, nedum internam postulat attentionem ac devotionem, sed et reverentiam externam.

320. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum habeatur vera obligatio recitandi Matutinum et Laudes ante celebrationem Missæ?

Resp. 1.° Hæc præscriptio, quæ habetur in rubricis Missalis, certe non obligat *sub gravi;* saltem, si agatur de recitatione privata. Id, præterquam rationibus intrinsecis, de quibus mox dicemus, constat ex consensu communi theologorum post S. Alphonsum.

2.° Communius theologi cum S. Alphonso admittunt eam obligare *sub levi;* simul concedentes excusari a peccato etiam veniali, qui contra agat ex qualibet causa rationabili; puta, si major studii aut cujuscumque negotii commoditas vel utilitas postulet [24].

3.° Verum ne ipsa quidem obligatio levis sufficienter probatur. Quæ enim argumenta afferuntur ad excludendam obligationem gravem, excludunt et levem. Primum est, quod inter Matutinum et Missam nulla est connexio, ac proinde recitatio illius non videtur esse dispositio ad celebrandum. Porro, si nulla est connexio, cur asseritur obligatio levis?

3) S. Ligorius *V. Num. 947;* Scav. II. *37;* De Herdt *Sacræ Lit. praxis* I. *104.*

— Alterum est, quod rubrica Missalis non videtur obligare *sub gravi*. Porro in rubrica ne verbum quidem habetur subindicans obligationem levem: quare ad hanc asserendam necesse esset affirmare omnes rubricas Missalis, etiam quæ respiciunt agenda aut dicenda extra Missam, præceptivas esse; quod hodie theologi communissime negant. Ergo neque constat de obligatione levi [25]. — Consulendum itaque sacerdotibus, ut hanc præscriptionem religiosissime servent; etiam ad vitandum periculum ne forte integrum officium ad postremas diei horas protrahatur: at nefas est de peccato arguere sacerdotem, qui secus agat; eo magis, quod iste causam rationabilem aut habebit aut saltem se habere facile sibi suadebit.

Qu. 2. Utrum leviter peccet, qui absque ulla causa ordinem horarum intervertat?

Resp. Per se affirmandum videtur; cum ordo exigatur ab ipsa divini officii natura, prout institutum est ab Ecclesia; insuper id tenet communis theologorum sententia. Ceterum causa quælibet, vel levissima, ab omni peccato excusat. — Probabiliter mere directiva est rubrica præscribens ordinem servandum inter commemorationes.

Si agatur de recitatione publica seu chorali, et inversio aut temporis mutatio notabilis sit, certe peccatum habetur, at probabiliter veniale. Quoad recitationem privatam, censent quidam præcipi ut Prima ac Tertia recitentur ante meridiem; simul tamen concedunt nullum esse peccatum, si contrarium fiat ex causa rationabili.

Qu. 3. Utrum qui prævidet se impeditum iri a Vesperis et Completorio recitandis post meridiem, teneatur anticipare?

Resp. Id affirmandum censemus cum S. Alphonso, eo quod obligatio recitandi totum officium extenditur ad integrum diem naturalem: nec videmus qua ratione secus teneatur recitare tempore postmeridiano, nedum Primam, sed et Matutinum, ille, qui recitare non potuit horis antemeridianis; quod hodie affirmant fere omnes [26].

Qu. 4. Quandonam peccatum habeatur in interruptione?

Resp. Certe nullum est peccatum, si una hora sejungatur ab alia, aut etiam si Laudes dicantur separatim a Matutino; ad sejungendum unum Nocturnum ab alio, etiam per integram noctem, certe sufficit causa quæcumque.

Interruptio inter partes unius ejusdemque horæ habetur ut peccatum veniale, si et notabilis sit et fiat absque ulla causa. Ceterum, etsi facta sit cum culpa veniali, nulla etiam levis habetur obligatio iterandi partem recitatam; iterabit bonus sacerdos si ea pars brevis sit.

Qu. 5. Quibus in locis prohibeatur divini officii recitatio?

Resp. In illis, quæ aut attentionem et devotionem impediant, aut dignitatem divini officii dedeceant. Ex capite primo, absque rationabili

25) Cf. Ballerini *Num. 238;* Noldin II. *773, 4;* Ferr. *72 Qu. 2;* Tanqu. *1090.*

26) Cf. Arendt *Se sia probabile....* apud *Monit. eccles.* XXVIII. 225, 270.

causa non licet officium recitare in mercatu, in platea populo frequentissima, in curru viatoribus colloquentibus stipato, etc. Ex altero capite, sacerdos bene valens non debet divinum officium recitare lecto decumbens; at haud facile de veniali damnandus, qui tempore hiemali sic recitet Completorium Dominicæ, quod jam decumbens advertit se nondum recitasse. Item parum conveniens videtur quod officium recitetur in loco indecenti.

Qu. 6. Utrum peccet ille, qui in horis recitandis non servet rubricas, ex quibus quædam dicenda sunt stando, quædam genibus flexis, aut capite discooperto, aut cum signo crucis ?

Resp. In recitatione privata, *Negative*: licet eas rubricas servare laudabile sit. Quoad recitationem choralem, plures affirmant ex communi rubricæ interpretatione; alii non improbabiliter negant [27].

Verum, si quis frui vult gratiis orationis *Sacrosanctæ*, eam recitare debet flexis genibus; excepto casu, quo infirmitatis causa impediatur [28].

ART. III. — De causis a recitatione excusantibus

321. Causæ proprie excusantes duæ sunt: *a*) ***Impotentia***, saltem moralis; *b*) ***caritas*** erga proximum. Insuper *c*) deobligari quis potest ab officio per ***dispensationem***.

1.° Ex ***impotentia*** excusantur: *a*) Qui laborat morbo gravi; qui ex recitatione periculum timet gravis incommodi, ut esset gravedo capitis, debilitatio mentis; vel qui e morbo convalescens cogatur per aliquod tempus ab opere gravoso abstinere [29]: item *b*) qui parare debeat concionem aut lectionem vel collationem, etc., quam omittere nequeat sine scandalo aut suæ famæ detrimento, nec simul possit et eam parare et officium recitare: demum *c*) qui careat Breviario, qui cæcus sit, etc.

2.° Ex ***caritate*** excusantur illi, quibus impossibile sit horas persolvere, quin cogantur prætermittere opus eximiæ caritatis, præsertim spiritualis, erga proximum [30]; ex gr. fidelium confessiones excipere, adsistere infirmis, etc.

3.° ***Dispensatio***, præterquam a R. Pontifice, dari potest ab Episcopo, sed non valide sine causa et ad modum actus.

322. **Qæustiones.** — *Qu. 1.* Utrum, qui non potest integrum officium persolvere, teneatur eam partem recitare, quam potest ?

Resp. Affirmative; si pars, quam recitare potest, quoad quantitem

27) Apud Gury *Num. 1021.* — Recitare Matutinum crastinum ante persolutum officium hodiernum, et quidem sine causa, juxta alios veniale est; Marc *231*: juxta alios ne veniale quidem.

28) S. Congr. Indulg. die 26 julii 1855. — Cf. Genn. *Quest. lit. 23.*

29) Hi excusantur, etsi forte ea die Sacrum faciant, aut cum aliis colloquantur, aut diarium legant. D'Ann. *Num. 132.*

30) Quidam putant non sufficere occupationem ad horas decem: at res est relativa.

respondeat uni horæ minori, quoad qualitatem servet formam officii 31: secus vero, si recitare possit partem una hora minorem, aut majorem, quæ non servet formam officii 32. Ita debet recitare Laudes et horas minores, qui carens Breviario, habeat Diurnum: qui neutrum habens memoriter teneat Completorium, ad hoc tenetur. Qui vero, neutrum librum habens, memoriter teneat cantica *Benedictus* et *Magnificat*, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum et *Gloria*, hæc recitare non tenetur, ne *sub levi* quidem.

Qu. 2. Quid agendum illi, qui dubitat num infirmitas sua aut convalescentia sit causa sufficienter excusans ab integro officio recitando, aut a parte ejusdem?

Resp. 1.° In primis dubium solvere debet, si potest, interrogando medicum vel confessarium vel aliam personam prudentem: si ex responsionibus istorum, aut alicujus ex istis, timere possit ne recitatio sibi possit esse nociva, certe non tenetur recitare. Idem stare quoque potest judicio suo, si ad hoc ferendum idoneus sit.

2.° Si, facta inquisitione, dubium perseveret, a recitando certe excusatur: Ecclesia enim censetur nolle quempiam angustiis premi pro impletione legis suæ. Eadem ratione, qui, certus se non posse integrum officium recitare, dubitat de parte, nec ad istam tenetur 33.

Qu. 3. Utrum teneatur socium in recitatione assumere ille, qui solus recitare non potest, posset autem cum socio?

Resp. Si talis est ipsius conditio et relatio cum socio, ut adhibitio socii dici debeat medium ordinarium, *affirmative*: qui enim tenetur ad finem, tenetur quoque ad usum medii ordinarii ad finem consequendum. Secus vero, si, omnibus perpensis, usus socii esset medium extraordinarium; puta, si eum habere non possit nisi pretio soluto, aut longo sumpto itinere, etc.

CAPUT VII.

DE VETITA CLERICIS NEGOTIATIONE

323. *Negotiari* heic est « aliquid emere ut immutatum vendatur carius » 1. Hæc est *negotiatio* proprie dicta, seu *mercatura;* cujus objectum sunt res objective exsistentes, sive sint merces, sive, præsertim hodie, census publici, obligationes, tituli, etc. Ad habendam negotiationem istam necesse est concurrere quatuor: *a*) Res vendendæ emantur; *b*) eædem emantur, ut vendantur; et quidem *c*) ut vendantur immutatæ; ac demum *d*) ut vendantur carius, seu ad lucrandum. Inde hæc

31) S. Ligorius *Num. 158,* ex *Prop. 54* damnata ab Innoc. XI, apud Denz. *1204.*

32) Cf. Ballerini *Num. 208-211.*

33) S. Ligorius *Num. 154;* Ball. *202;* Gen. *61.*

1) S. Thomas *2. 2. Qu. 77 art. 4 ad 2.* — Tractant S. Ligorius *Lib. III. Num. 831, seqq.* Ball. *Num. 298-317;* Verm. *21-24.*

negotiatio ex suo fine dicitur *quæstuosa* seu *lucrativa;* maneret autem vera negotiatio, etiamsi lucrum, non venditione quæreretur, sed permutatione; puta, si permutentur valores publici [2].

A prædicta negotiatione differt negotiatio improprie dicta; quæ triplex est: — *a*) Si quis emat res ad usum domesticum, dein easdem sibi forte superfluas vendat, habetur negotiatio *domestica.* — *b*) Si quis rem emat, ut eam suo artificio mutet, ac mutatam vendat, habetur negotiatio *industrialis.* — *c*) Si quis, sive solus, sive in societate, res aut pecunias coadunare studeat, et super his negotietur, non ad lucrum suum, sed ad bonum societatis, cujus membrum est, vel etiam ad bonum commune, habetur negotiatio *politica* [3]. Huc pertinent quamplurima opera nostris diebus, Deo favente, instituta *in temporale fidelium auxilium.* Hæc sunt duplicis generis. Quædam sunt *instituta crediti;* in quibus pecunia manibus agitatur, ut ea detur mutuo, titulis commercialibus commutetur, in loca dissita schedulis transmittatur, usui magnarum industriarum applicetur, etc.: hujusmodi sunt arcæ nummariæ; item mensæ argentariæ, rurales, parcimoniales. Alia sunt *instituta œconomica;* ut essent societates cooperativæ, associationes mutui subsidii aut assecurationis animalium; item assumpta a societate opera industrialia minoris momenti, et similia.

324. **Principia. I.** Jure positivo Ecclesiæ [4], fundato in ipso jure naturali et divino [5], « prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere, sive in propriam, sive in aliorum utilitatem » [6].

II. Iisdem clericis non prohibetur *per se* negotiatio œconomica, nec industrialis: verum utraque iisdem illicita esse potest ratione modi, quo exerceatur.

III. « Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium, aut officia sæcularia quæ secumferant onus reddendarum rationum ». Hinc et « a fidejubendo, etiam de bonis propriis, prohibentur, inconsulto loci Ordinario » [7].

325. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Iidem clerici prohibentur negotiationem exercere per alios: nam in his, qui per alium facit, per seipsum facit.

2) Ballerini III. *De just. et jure P. III. Num. 453;* Gen. *317.*
3) Appellativum est a S. Thoma *Qu. cit. art. 4.*
4) Benedictus XIV Const. *Apost. servitutis;* Clemens XIII. Const. *Cum primum.*
5) II. Tim. *II. 4.* — Conc. Trid. *Sess. XXII. De Reform. Cap. 1.*
6) Codex *Can. 142.* — Prohibitio afficit etiam religiosos utriusque sexus; *Can. 2380.*
7) Codex *Can. 139 § 137.*

2.ª Qui bis vel ter emat res, ut eas immutatas carius vendat, hic contra legem Ecclesiæ non peccat: negotiari enim est emere et vendere habitualiter. Canon loquitur de *exercentibus* negotiationem.

3.ª Prohibitione negotiandi certe continetur prohibitio emendi obligationes vel titulos eo animo, ut dein carius vendantur.

326. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui grana, olea, pannos, etc., emerat in usum proprium et familiæ, non peccat contra legem Ecclesiæ, si dein eas merces carius vendat; sive quia sibi superfluæ sunt, sive quia opportuna datur occasio vendendi eas carius, ut aliæ emantur vilius.

2.ª Nec peccat contra legem Ecclesiæ, qui vendat animalia, aut uvas, vel fruges a propriis animalibus vel prædiis productas: peccare posset ratione modi, si suas merces in nundinis ipse declamet, si in vendendo, fraudibus utatur, etc.

3.ª Neque peccat contra legem Ecclesiæ, qui emat telas et colores ut pictas a se imagines vendat; item, nec qui uvas emat venditurus vinum, aut sues vel boves venditurus eos saginatos. At peccarent isti, si aut artem dedecentem exercerent, aut decentem quidem, sed immodicis curis et cum detrimento suorum officiorum.

4.ª Peccat contra legem Ecclesiæ, qui res emat, ut eas conductis operariis mutet, ac sic mutatas carius vendat: item, qui prata aliena conducat (non qui fructus ex agris alienis emat), ut ex eis sues vel boves suos saginatos carius vendat 8.

327. *Ex Princ. III.* — 1.ª Clericis, nedum non prohibetur, sed et maxime commendatur, ut opera in temporale fidelium auxilium instituta et *probent* et *foveant;* eo magis, quod id indirecte in bonum spirituale eorumdem facile cedet: at ne quid nimis.

2.ª Quoad ipsa instituta crediti, illis condendis, tuendis augendisque clerici impendere possunt, et pro viribus debent, *operam* et *consilium;* hinc licite in illis fungi possunt officio consiliarii aut inspectoris, aliisve, quæ minime secumferant immodicas curas et obligationes et pericula.

3.ª Ut gestiones et officia prohibita ineantur, modo non requiritur licentia Sedis Apostolicæ, sed Ordinarii 9.

4.ª Si agatur de aliis institutionibus minoris momenti, non videntur clericis prohiberi officia præsidis aut moderatoris, etc., in quibus exercendis prædicta incommoda facile præcaveri possunt; dummodo clericus nolit, contra ipsa societatis statuta, ad suum arbitrium omnia negotia revocare et exsolvere: quoad has institutiones nulla habetur in recenti decreto prohibitio.

5.ª A fortiori peccat, et *per se* non leviter, sacerdos, qui fidejubeat de bonis beneficii, aut fabricæ vel operis pii, pro quo ipse sit heres vel legatarius fiduciarius.

8) S. Ligorius *Num. 835;* D'Ann. *155, 9,* et *157, 16;* Ball. *308, sequ.*
9) Pontif. Comm. ad Can. Cod. interpr. 2-3 junii 1918.

328. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum clericis liceat pretio acquirere obligationes et actiones societatum commercialium aut industrialium?

Resp. 1.° Certe clericis licet acquirere obligationes cujuscumque generis societatum, seu titulos repræsentantes jus possidentis contra ipsam societatem propter pecuniæ summam eidem mutuatam cum fenore fixo; puta 4 %, vel 5 %. Non licebit eas emere, ut postea tempore opportuno vendantur: sed, si emptæ fuerint ad percipiendum fenus, dein, data occasione aucti pretii, vendantur, hoc non est negotiari. — Idem dic de titulis census publici (*Rendita dello stato*).

2.° Relate ad *actiones*, controvertitur. *Actiones* enim sunt tituli repræsentantes jus ad partem capitalis socialis, cujus capitalis comproprietarius est quilibet *actionarius* 10. Hic proinde naturaliter adigitur de rebus societatis curare, illius prosperitatem promovere, illius rectæ gestioni invigilare, etc.: inde enim provenire potest quod ipse lucrum (*dividendum*) majus vel minus percipiat, aut e contra cogatur integram summam solutam, et forte ultra ipsam, amittere. — Itaque triplex de hac re habetur theologorum opinio:

Quidam censebant id prohibitum esse universim; sive agatur de societatibus commercialibus, sive de industrialibus; cum hæ societates vere negotientur: quare actionum emptio nihil aliud est quam negotiatio per alios.

Quidam censent clericis prohibitum esse ne emant actiones societatum commercialium; minime vero ne emant actiones industrialium; eo quod illæ vere et proprie negotiantur; istæ industriam exercent. Quidam liceitatem extendere videntur etiam ad actiones societatum commercialium; præsertim quæ sint institutæ, non vero instituendæ 11.

Demum plures e recentibus licitam esse dicunt emptionem actionum cujuscumque generis societatum, sive industrialium, sive commercialium; dummodo et societas nullum habeat finem illicitum vel quomodolibet suspectum, et clericus actionarius nullam in ea societate administrationis partem suscipiat. Ratio horum est, quia de facto actionarii vix sciunt quid in societate geratur; ac, licet jus habeant interveniendi cœtibus generalibus, intervenire non solent, hoc unice curantes ut pretium actionum eisque respondens annuale emolumentum percipiant. Confirmatur hæc sententia ex responso dato a S. Inquisitione, declarante « personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensæ nummulariæ; dummodo paratæ sint stare mandatis S. Sedis, et abstineant a qualibet negotiatione dictorum titulorum, et præsertim ab omni contractu, qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, *dei contratti di borsa* » 12. Prohibetur nempe clericis ne super

10) Notiones cum exemplis apud BALL. *Num. 313;* FERR. *116-118.*

11) D'ANNIBALE *Num. 157; 6, 118;* BERARDI *3599;*

12) S. INQU. die 15 aprilis a. 1885; a qua parum differt aliud datum die 17 nov. a. 1875, apud OJETTI ad v. *Actiones* in fine.

his titulis negotientur, sive negotiatione simplici, sive præsertim negotiatione *ad terminum*.

Hæc sententia quibusdam hodie certa est, pluribus certe probabilis aut etiam probabilior [13]. Hinc, quousque S. Sedes nova mandata non ediderit, ea est practice tuta.

Qu. 2. Utrum prohibitio negotiandi spectet etiam ad clericos in minoribus ?

Resp. Si sint beneficiati, ex sententia ferme communi, *affirmative*: secus, plures affirmant, eo quod leges canonicæ non distinguunt; alii negant, eo quod, cum clerici possint nuptias inire et proinde curam gerere familiæ, non videtur eis adeo indecens negotiatio [14].

Qu. 3. Utrum clericis umquam licita sit negotiatio ?

Resp. 1.° Iisdem licita esse potest, si habeatur vera necessitas providendi sustentationi suæ aut conjuctorum, quos clericus alere teneatur ex justitia [15]: minime vero ad providendum utilitati suorum aut etiam sui.

2.° Si clericus hereditate accipiat negotium jam constitutum, et simul cum fratribus succedat, juxta quosdam, et quadam consuetudine illud gerere potest per fratres aut per alios [16]. At, si hereditate vel aliter ipsum accipiat solus, ipsum dimittere tenetur quam primum; si brevi dimittere nequeat, licentiam petere debet: interim illud administrare potest per alium [17].

329. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum clericis prohibeatur conductio fundorum alienorum ?

Resp. Affirmative, si conductio fiat *pro sæculari quæstu*, vel *propter turpis lucri gratiam*, ut loquuntur textus Juris canonici. Minime vero prohibita videtur conductio, si ea necessaria sit clerico ad sustentationem sui et familiæ, vel si lucrum in opera pia convertatur [18]; item, saltem ad tempus, si clericus hereditate succedat conductori.

330. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Utrum clerici absolute prohibeantur administrationem bonorum alienorum assumere, etsi in casu nulla pericula habeantur ?

Resp. Ex sententia S. Alphonsi et aliorum, ea tunc tantummodo *sub gravi* prohibetur, cum clericum a sacris ministeriis obeundis abstraheret: « Non auderem damnare de mortali clericum, qui ob talem procurationem sua ministeria non negligeret; maxime, si id non faceret avaritiæ causa, sed ad decentius statum suum et familiæ conservandum ». Ratio erat, quia textus Juris supponunt eam procurationem fieri « officio

13) Ita SANGUINETTI *Juris eccles. Instit. Num. 320 seqq.*; BOUIX apud *Revue des sciens. eccles.* 1860 II.; GENN. *Cons. can. XVIII.*; PALM. ad BALL. *313-317*; FERR. *118*; GEN. *41. IX*; OJETTI ad v. *Actiones*; TANQU. *1041*; ZANIN. *1746, 20.*

14) S. LIGORIUS *Num. 831*; BALL. *298.*

15) S. LIGORIUS *Num. 837*; qui id extendi vellet ad necessaria *statui.*

16) SCAVINI I. *Num. 426 Nota 4*; D'ANN. *156, 12*; GEN. *39, VI.*

17) BENEDICTUS XIV Const. *Apost. servit.* § 2. — Cf. TANQU. *1035.*

18) Cf. GENN. *Consult. canon. XXIX.*

clericali neglecto » 19: quam restrictionem Jus novissimum non habet, at forte supponit. Hinc facilius peccare possunt graviter, qui procurationem gerant prædiorum aut villarum: difficilius, qui administrent substantiam bonis mobilibus, titulis aut syngraphis frugiferis constantem. Quinimo a quovis peccato immunes esse possunt clerici, qui administrent bona seminariorum, congregationum aliorumque institutorum religiosorum, etiamsi id faciant cum emolumento proprio: multo magis, qui id præstent caritatis causa; puta, propter curam pupillorum aut viduarum: excipe, nisi quid aliunde obstet ex jure naturali.

331. **Scholion**. — *Quæ clericis prohibentur accessorie.* — 1.° Ea officia, quæ clericos a suis muneribus nimis arcere possent, generatim clericis prohibentur ex lege naturali. Ejusmodi posset esse cura scholæ, aut laboratorii præsertim feminei, etc.; quæ sacerdotis, præsertim parochi, activitatem absorbeat et exhauriat.

2.° Ratione indecentiæ aut periculorum, tum lege naturali, tum jure positivo prohibentur, aut saltem improbantur quæ statum clericalem dedecent; ut sunt ars medica et chirurgica, ludi aleatorii; gestatio armorum, officia quædam publica, item spectacula, quorum adsistentia, licet clerico non periculosa, scandalo esse posset; sæcularis militia sponte assumpta, et similia. Plura ex his determinantur Jure novissimo 20.

CAPUT VIII.

DE PRIVILEGIIS COMMUNIBUS CLERICORUM

332. Privilegia clericis communia quatuor sunt: *Canonis, fori, exemptionis, insequestrabilitatis.* — Eo quod hæc privilegia competunt cœtui, non individuis, ideo eis clericus renuntiare nequit; eadem tamen amittit, si ad statum laicalem reducatur aut privatione perpetua juris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur; recuperat vero, si hæc pœna remittatur, aut ipse rursus inter clericos admittatur 1.

1.° Privilegium *canonis*, datum a Concilio Lateranensi IV, confirmatum habetur Jure novissimo, ac duplici parte constat: *a*) Omnes fideles... se sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem injuriam intulerint »: hinc præter peccatum contra justitiam committunt etiam peccatum contra religionem 2. — *b*) Hæc injuria realis (gravis esse supponitur ex voce « delicto ») est ea violenta manuum injectio in personas sacras, a R. Pontifice ad clericos prima tonsura munitos, quam qui patraverit, est ipso facto excommunicatus 3.

19) S. Ligorius *Num. 838;* D'Ann. *158, 25;* Genn *Cons. can. LXXIII.*
20) Codex *Can. 138, 139, 140, 141, 143.*

1) Codex *Can. 123.* — Cf. Genn. *Cons. can. IV. Num. 17.*
2) Codex *Can. 119.* — Contumeliæ, quas clericis inferant etiam verbis aut scriptis, præterquam justitiam, lædunt etiam religionem, saltem quæ clericum afficiant qua talem.
3) Codex *Can. 2343.*

2.° Privilegium *fori* constitutum per canonicas sanctiones, minime vero per concessiones jurium civilium [4], *a*) in hoc consistit, quod « clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud judicem ecclesiasticum (minime vero apud laicum) conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime (h. e. per auctoritatem Ecclesiæ) provisum fuerit. — *b*) Insuper, qui contra hoc præscriptum sine debita licentia ad judicem laicum ausi fuerint trahere personam sacram, a Cardinalibus ad aliquem e Superioribus majoribus religionum juris pontificii, est ipso facto excommunicatus: qui quemlibet clericum inferiorem, si trahens clericus est, incurrit ipso facto suspensionem; si laicus, puniendus est ab Ordinario [5].

3.° Privilegium *exemptionis* in hoc est, quod « clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt [6].

4.° Privilegium *insequestrabilitatis* in hoc est, quod clericis, qui creditoribus satisfacere cogantur, salva sint quæ ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici judicis arbitrio, sunt necessaria [7].

CAPUT IX.

DE MUNERE PAROCHIALI

333. *Parochus* definiri potest « sacerdos legitime deputatus ad procurandam animarum salutem certæ portioni diœceseos ex officio et nomine proprio » [1]. — Dicitur: *a*) *Sacerdos;* actus enim officii parochialis exigunt ordinem sacerdotalem; — *b*) *Legitime deputatus;* nempe ab iis, qui ex institutione divina habent jurisdictionem gubernativam in Ecclesia, scil., ab Episcopo vel a R. Pontifice, aut immediate aut mediate. — *c*) *Ad procurandam animarum salutem*: hic enim finis est officii parochialis, propter quem datur parocho beneficium, quod dici solet *curatum*. — *d*) *Certæ portioni diœceseos*: parochus enim instituitur ut cooperetur Episcopo in aliqua parte diœceseos, et quidem sub ejusdem auctoritate. — *e*) Demum dicitur animarum salutem in ea portione parocho procurandam esse *ex officio et nomine proprio;* nempe ex obligatione adnexa muneri parochiali, et propter beneficium, quod ratione muneris ei datur; ac insuper præcise quia parochus est, non quasi vicarius alterius: dum ceteri sacerdotes possunt, et quandoque tenentur, animarum salutem procurare ex

4) *Ex Propp. 30* ac *31* damnatis in Syllabo Pii IX, apud DENZIGER *Num. 1730, 1731.*

5) CODEX *Can. 120* § *1, 2,* et *Can. 2341.*

6) CODEX *Can. 121.* — Cf. OJETTI ad v. *Militia.*

7) CODEX *Can. 122.* — At manet obligatio satisfaciendi quam primum.

1) Quoad rei summam cohæret CODEX *Can. 451* § *1;* cujus definitio magis canonica est. — Quæ de parocho dicimus, ea, servatis servandis, applicari debent quasi-parochis et sacerdotibus quibus commissa sit cura alicujus parœciæ unitæ personæ morali.

caritate, aut etiam ex justitia nomine parochi, a quo assumpti fuerint ut coadjutores 2.

334. Quamvis ad hoc ut parochi alacriore animo ea suscipere possint quæ utilia aut necessaria animabus sibi commissis esse judicant, præscriptum generatim sit, ut a suo officio amoveri non possint, tamen inamovibilitas non est ad officium parochiale necessaria; hinc alicubi habentur parochi ad nutum Episcopi amovibiles, et recenter datæ sunt a S. Sede normæ, quibus Episcopi viâ administrativâ possint, datis quibusdam circumstantiis, parochum ab officio et beneficio amovere.

335. Quibusnam obligationibus summatim teneantur illi, quibus animarum cura commissa est (hinc et parochi), declarat Tridentinum Concilium. Tenentur nempe « oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt » 3.

Ex his patet obligationes parochorum præcipuas, in ipso jure naturali fundatas, et per decreta positiva determinatas ac sancitas, quatuor esse: *a) Residentiam; b) divini sacrificii celebrationem et applicationem* pro fidelibus sibi commissis; *c) prædicationem* verbi Dei; *d) administrationem sacramentorum*: hisce *e) accedunt* et aliæ particulares, at minus determinatæ. — Quoniam de secunda alibi dicemus, heic de ceteris agimus; pauca addentes quoque de juribus parochorum.

ART. I. De residentia

336. *Residentia* duplex distinguitur. *Materialis* in eo consistit, quod parochus habitualiter inter fideles suae curae commissos moretur: secus enim nec poterit sua munia pastoralia eisdem praebere; in quo est residentia *formalis*. — Præcipua Juris canonici statuta circa residentiam ad hæc reduci posse videntur.

337. **Principia. 1.** Parochus obligatione tenetur residendi in domo parœciali prope suam ecclesiam: loci tamen Ordinarius potest justa de causa permittere ut alibi commoretur; dummodo domus ab ecclesia parœciali non ita distet, ut parœcialium perfunctio munerum aliquid inde detrimendi capiat.

11. Ut parocho parœciâ abesse liceat, diverse requiruntur

2) Frassinetti *Manuale del Parroco novello*; Fanfani *De jure parochorum* (Ang. Taur. 1923); D'Angelo *Parroco e parrochia nel Codice* (Giarre 1924); Paglialunga *Il nuovo Codice nei riguardi del ministero parrochiale* (Torino 1925).

3) Concilium Trid. *sess. XXIII. De reform. Cap. 1.*

conditiones, prout absentia brevis est, aut diuturna, aut prolixior. — *a*) Pro absentia brevi, h. e., infra septem dies, necesse et satis est quod parochus fidelium necessitatibus provideat, ordinarie per alium sacerdotem; maxime, si id peculiaria rerum aduncta postulent. Quod si causa repentina et gravi ultra hebdomadam abesse cogatur, quaprimum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, ejusque stet mandatis. — *b*) Pro absentia diuturna, h. e., per duos menses sive continuos sive intermissos, imo quoties absentia ultra hebdomadam duratura prævidetur, requiritur causa justa ac licentia Ordinarii scripta et vicarius substitutus ab Ordinario probandus. — *c*) Pro absentia longiore, h. e., ultra bimestre, nihil Jus novissimum decernit; quod indicat, præter causam et vicarium ab Ordinario probatum, requiri Sedis Apostolicæ licentiam.

111. Parochus residere quoque debet formaliter, seu curam animarum in omnes suos parœcianos exercere, ac munera sui officii implere personaliter, saltem quæ principaliora sunt [4].

338. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I. II.* — *Qu. 1.* Quandonam parochus propter omissam residentiam materialem graviter peccet?

Resp. a) Si discedens nullum sibi sacerdotem subrogaverit, ac insuper alii non sint sacerdotes in parœcia, censetur peccare graviter per absentiam duorum vel trium dierum; et hoc, etsi nemo in parœcia ægrotus sit; si quis sit infirmus moribundus, poterit esse gravis absentia per unum diem, imo et brevior, juxta circumstantias. — *b*) Item graviter peccat, si absit per bimestre sine licentia Episcopi, etiamsi officia parochialia impleat per vicarium idoneum [5]; excepto casu, quo discesserit ex urgente imprævisa necessitate, vel cum animo redeundi intra breve tempus, ac deinde casu fortuito redire non potuerit. Generatim non censetur graviter peccare, si absque licentia Episcopi, at ex causa æqua et sine detrimento sui gregis, absit per breve tempus; cujusmodi æstimatur esse spatium dierum quindecim aut viginti [6]. — *c*) Si causa discedendi per bimestre, Episcopo proposita et ab eo probata, vera non sit, parochus graviter peccat contra officium suum: si qua alia habeatur occulta, adhuc peccat contra obedientiam. — *d*) Denique graviter peccat, si discedat ultra bimestre, sine licentia Apostolicæ Sedis.

Qu. 2. Utrum possit umquam Episcopus parocho absentiam a sua parœcia permittere ultra bimestre?

Resp. Jus novissimum non videretur derogare statutis Concilii Tri-

4) Codex *Can. 464, sequ.*, coll. *Can. 126.* — Cf. Verm. *Num. 94.*
5) Cf. S. Ligorium *Num. 123;* D'Ann. *173, 55.*
6) Apud S. Ligorium *Num. 123;* D'Ann. *173.*

dentini; juxta quæ, quatuor causæ ad hoc sufficientes habentur 7: *a) Christiana caritas;* puta ad componendas inimicitias, ad subveniendum necessitati alterius ecclesiæ, etc. — *b) Urgens necessitas;* puta, si repente fugere debeat mortem sibi intentatam ab inimicis, si morbus ei impendeat ob aëris inclementiam, si morbo laboret alibi curando, etc. — *c) Debita obedientia;* si Episcopus parochum ad breve tempus penes se habere velit, vel in aliquo opere bono adhibere. — *d) Evidens Ecclesiæ aut reipublicæ utilitas;* si necessarius sit ejus interventus ad synodum, vel ejus præsentia ad docendas scientias theologicas in seminario, vel adsistentia in causa vel lite gravis momenti, etc.

Verum, si prorsus necessaria sit parochi præsentia in sua parœcia, nec ei possit sufficienter per idoneos vicarios provideri, omnes hæ causæ cedere debent.

Qu. 3. Utrum causa sufficiens discedendi a parœcia sit pestis aut alius morbus epidemicus ibidem exsistens?

Resp. Negative; quod patet, tum ex natura contractus tacite initi inter sacerdotem et fideles, dum ille curam parœciæ cum adnexo beneficio suscipiebat, tum ex decreto Gregorii XIII: « Parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis ecclesiis; et, si non resederint, contra eos procedendum servatâ formâ Tridentini ». — Parochus eo tempore permittere poterit, imo opportunum erit, quod infectis peste sacramenta per alium sacerdotem ministrentur, ne ceteri bene valentes aut infirmi ab ejus ministerio abhorreant.

Qu. 4. Quænam sint pœnæ contra parochum illegitime a sua parœcia absentem?

Resp. 1.° Pœna *sententiæ latæ* hæc habetur, quod eo ipso privatur fructibus sui beneficii pro rata illegitimæ absentiæ, eosque ante quamcumque sententiam tradere debet Ordinario. Requiritur quod absit illegitime; h. e., sine justa causa, aut non substituto legitime vicario, aut sine debita licentia. Adverte quod non potest ipse eos fructus ecclesiæ aut pio loco aut pauperibus distribuere: hæc distributio spectat ad Ordinarium 8.

Quid, si fructus, bona aut mala fide, in ea opera erogaverit? — Certe peccavit contra obedientiam; at non contra justitiam; hinc non tenetur æquivalentes tradere Ordinario: facile tenebitur, si erogaverit in opera diversa, licet meliora 9.

Quid, si parochus, relicto in parœcia idoneo vicario, absit inculpabiliter, existimans se habere causam justam? — Juxta S. Alphonsum et alios, fructus non facit suos, deficiente titulo: hinc eos restituere debet, nisi consumpserit, quin ex eis factus sit ditior. Juxta alios, obliga-

7) Concilium Trid. *Sess. XXIII. Cap. 1. De reform* — Hæ causæ fuse exponuntur a S. Ligorio *Num. 125.*

8) Codex *Can. 2381.*

9) Cf. S. Ligorium *Num. 128.*

tio tradendi Ordinario est pœna, cui proinde non est locus, deficiente culpa [10].

2.° Habentur et plures pœnæ *sententiæ ferendæ;* de quibus agendum est Canonistis [11].

339. *Circa Princ. III. — Qu. un.* Utrum fructus suos faciat parochus, qui materialiter quidem resideat, at non formaliter ?

Resp. Si muneribus parochialibus, nec per se, nec per alium fungatur, fructus amittit ex ipso jure naturæ: si ea exerceat per alium, S. Alphonsus et alii censent eum adhuc fructus amittere ex jure positivo; at alii adhuc probabiliter negant [12]. Ceterum quæstio practice difficilis; quia parochus judex erit in causa propria.

ART. II. — De prædicatione verbi dei

340. Quoniam christiana vivendi ratio fide recta et bonis operibus constat, ideo parochus stricto officio tenetur instruere circa ea, quæ credenda quæque agenda sunt: « Plebes sibi commissas (parochi) pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, iisque annuntiando cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat » [13].

341. Præcipua parochorum officia de hac re determinata inveniuntur Jure novissimo; ex quo hæc decerpimus:

Generatim « proprium ac gravissimum officium, pastorum præsertim animarum, est catecheticam populi christiani institutionem curare » [14]. — Speciatim: *a*) Diebus dominicis aliisque festis de præcepto, ea hora quæ suo judicio magis apta sit ad populi frequentiam, debet parochus catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accomodato, explicare. — *b*) Diebus dominicis ceterisque per annum festis de præcepto proprium cujusque parochi officium est, consueta homilia, præsertim intra Missam in qua major soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare: cui obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob justam causam ab Ordinario probatam. Quod et in ceteris Missis brevis Evangelii aut alicujus partis doctrinæ christianæ explicatio fiat, optandum quidem, at non jure communi præceptum. — *c*) Statis temporibus, continenti per plures dies institutione, parochus debet pueros ad sacramenta Pœnitentiæ et Confirmationis rite suscipienda singulis annis præparare: insuper peculiari omnino studio pueros sic instituere, ut sancte Sancta primum de altari libent; nec omittat

10) S. Ligorius *Num. 127;* D'Ann. *174, 74, 75*: simul. Ball. *Num. 103.*
11) Codex *Can. 2168-2175.*
12) Cf. S. Ligorium *Num. 127*: simul D'Ann. *174, 72;* Frassin. *Nota 47;* Ojetti ad v. *Parochus.*
13) Concilium Trid. *Sess. V. Cap. 2. De Reform.* — Cf. Bened. XV. Encycl. *Humani generis* 15 junii 1917; S. C. Consist. *Regolamento,* 28 junii 1917.
14) Codex *Can. 1229.*

pueros, qui primam communionem recenter receperint, uberius catechismo excolere 15.

342. Obligatio prædicandi verbum Dei certe gravis est: id patet, tum ex ejus absoluta necessitate ad consequendum finem ministerii parochialis, tum ex severissimis verbis Concilii Tridentini ac Pontificis Pii X: maxime vero gravis est relate ad pueros. Hæc obligatio parocho incumbit personaliter; tamen, si legitimo detineatur impedimento, debet eam implere per idoneum sacerdotem; imo et cadjutores sibi assumere poterit laicos.

Contra hanc obligationem: *a*) Parochus peccare potest *per defectum*: tunc censendus est peccare graviter, cum prædicationem omittat per integrum mensem, aut per tres menses intermissos in anno. — *b*) Peccare quoque potest *per excessum;* at haud facile hoc peccatum grave erit, præsertim subjective. — *c*) Item peccare potest *ratione materiæ;* si prædicet quæ falsa sunt, aut non recta, aut non opportuna indigentiæ et capacitati suorum fidelium. — *d*) Peccare potest *ratione modi;* sive propter excessivam sermonum culturam et obscuritatem, sive propter omissam ex ignavia necessariam præparationem.

ART. III. — De sacramentorum administratione

343. Parochus tenetur, non solum se promptum præstare ad sacramenta suis parochianis ministranda, quoties hi eis indigent ex necessitate vel ex præcepto, aut ea rationabiliter petunt; sed positive debet omnem curam impendere, ut illi, tum ad necessitatem vel præceptum, tum ad utilitatem sacramenta suscipiant.

1.° Debet per se, aut saltem per alium, neonatis Baptismum conferre; et quidem statim, si infans vitâ periclitetur; secus, quamprimum, urgendo consiliis semper, tunc vero et præceptis, cum obligatio certa est.

2.° Curare debet, ut pueri sacramento Confirmationis adversus vitæ humanæ pericula suo tempore roborentur: hinc eos hoc sacramentum recipiendum instruet, et, quatenus opus sit, sacramentali absolutione disponet.

3.° Curare debet: *a*) ut pueri, cum ad usum rationis pervenerint, sufficienter de sacramento Eucharistiæ edoceantur, illudque quamprimum et frequenter devote suscipiant. Hæc obligatio, nuper parochis et confessariis et puerorum parentibus intimata, strictius parochos urget; cum et confessarii ad hoc teneantur tantum ex caritate, et vix quidquam hodie sperari queat a parentibus ad alia intentis. — *b*) Iisdem pueris vitâ periclitantibus sacramentum Eucharistiæ per viaticum ministrabit; dummodo « sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare » 16. — *c*) Vehementiori studio insistet, ut parochiani omnes,

15) Codex *Can. 1330-1335.*

16) Codex *Can. 854* 2. — Non requiritur quod fidei mysteria percipiant.

adulti et pueri, hoc sacramentum devote suscipiant, nedum in periculo vitæ et in Paschate, sed et sæpius per annum, et quatenus possint, quotidie; simul eos instruens quænam dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem requirantur, quænam non requirantur.

4.° Curare debet: *a*) ut pueri a pueritia addiscant sua peccata confiteri; hinc et de hoc sacramento ejusque efficacia et necessariis dispositionibus erudiet. Abusum autem non admittendi ad confessionem pueros habentes jam usum rationis, aut eos numquam absolvendi, penitus eliminabit. — *b*) Adolescentibus et adultis maxime inculcare debet hujus sacramenti necessitatem, eisque, præsertim feminis, omnem præbere commoditatem, qua libere valeant apud confessarium suæ fiduciæ confiteri. Huc in primis conducet praxis habendi quandoque in paroecia sacras missiones, et curandi ut, non raro extraordinarius in ecclesia habeatur confessarius.

5.° Relate ad Extremam Unctionem, tum in catechesibus, tum in privatis colloquiis, exponere debet ejusdem utilitatem et efficaciam, ac popularia præjudicia et medicorum aut familiarum inanes timores diluere. Erga infirmum prudentius se geret; ne, eum ab aliquali bona fide abducendo, in periculum conjiciat damnationis æternæ.

6.° Nec ab officio parochi aliena esse debet cura, ut sancti et docti sacerdotes provideantur Ecclesiæ. Id faciet, sive educando ad pietatem et ad studia eos pueros, quos muneri sacerdotali haud impares futuros esse sperat; sive inter fideles promovendo piam praxim operi tam sancto cooperandi et eleemosynis et precibus. Caveat etiam, ne penes Episcopum honestiori, quam par est, testificatione quempiam seminarii alumnum commendet.

7.° Maximâ utendum erit parocho prudentiâ circa sacramentum Matrimonii. Doctrinam catholicam suis parochianis exponet de veritate hujus sacramenti, ac de jure exclusivo Ecclesiæ circa ipsius validitatem intrinsecam. Generatim matrimoniis conciliandis sese non ingeret: cum nupturientibus eorumque parentibus, insistet, ut, quod facere volunt, cito faciant: curabit Matrimonium, jam in facie Ecclesiæ contractum, a civili auctoritate ratum haberi quamprimum. — Reliqua non prosequimur; quippe nimis plura essent.

ART. IV. — De obligationibus accessoriis

344. Obligationes hæ dicuntur accessoriæ, non eo quod sint minoris momenti, sed eo quod aut sunt indeterminatæ, aut pertinent ad casus particulares. — Potiores autem sunt sequentes:

1.ª Parochus suis parochianis prælucere debet morum sanctitate, juxta illud: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum* 17. Sit itaque domi morigerus, in ecclesia devotus, in via modestus, liberalis in pauperes; sit in conversando parciloquus, ab omni cum feminis

17) Tit. *II. 7.* — Cf. et. I. Tim. *IV. 12; I.* Petr. *V. 2.*

familiaritate alienus, erga omnes comis. Insuper quotidie meditationi rerum supernarum incumbat; devote et Breviarium recitet et Missam celebret; persæpe coram SS. Sacramento pro se et pro ovibus fervidas fundat preces; sedulo studeat in seipso S. Joannis Baptistæ Vianney mores referre. Præter hæc Episcopo suo et Romano Pontifici omnimodam præstet obedientiam. — Hisce mediis sanctus ipse fiet, ac ita ad sanctitatem fideles sibi commissos facile informabit. Hæc enim prædicandi ratio numquam eloquens non erit et efficax.

2.ª Ab ovibus suis omnia vitæ christianæ pericula arcere debet; tum quæ moribus impendeant, tum præsertim quæ fidei. Hinc, omni depulso timore, adversus lupos clamare debet; sive sint perversi concionatores hæretici, socialistæ, liberales; sive sint magistri athei vel, ut se dicunt, neutrales; sive sint optimates scandalosi: sive sint ephemerides vel periodica aut libri. Hæc obligatio adeo gravis est, ut juxta doctrinam theologorum urgeat etiam cum periculo vitæ.

3.ª Debet suas oves cognoscere: hinc passim et prudenter suos parochianos visitare debet; tum ut bonos in sua bonitate confirmet; tum præsertim, ut devios ad instar boni pastoris reperiat et ad ovile reducat. Hæc altera obligatio, quoad eos qui censentur esse in mala fide, urget ex caritate; quoad eos, qui possent esse in bona fide, urget ex justitia: at nullimode, aut saltem non graviter, urget, quando et ejus impletio durissima sit et simul nullus inde fructus speretur.

4.ª Parochus maxime curare debet, et quidem cum incommodo gravissimo, ut sui parochiani ab hac vita in statu gratiæ decedant. Hinc de infirmis inquirere debet, eosdem visitare, ac de periculo, quando opus sit, admonere. Hæc quoque obligatio relate ad eos, qui censentur velle mori christiane, est ex justitia; relate ad alios, est ex caritate; at undecumque sit, certe gravis est, quando *diabolus ad nos descendit habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet* 18. Quoad potest, ipse per se curet eisdem sacramenta et cetera Ecclesiæ subsidia ministrare; eisdemque aut per se aut per coadjutores curabit adesse usque ad mortem.

5.ª Demum, tum ex officio cognoscendi oves proprias, tum ad consulendum tranquillitati conscientiæ parochianorum, conscribere tenetur registra statûs paroeciæ, eaque simul cum jam exstantibus cautissime in archivio custodire. Potissima ex his sunt: Status animarum; libri baptizatorum, confirmatorum et defunctorum; liber matrimoniorum juxta recentes dispositiones exaratus. Insuper et accuratam notationem habere debet legatorum, præsertim quæ onera Missarum respiciunt; item et omnium onerum, quæ ecclesiæ aut beneficio adnexa sint; ac jurium, quæ eisdem competant.

345. **Scholion.** — *De juribus parochi.* — Hæc respiciunt tria: Administrationem sacramentorum; sacras functiones; emolumenta 19.

18) Apoc. *XII. 12.* — Cf. Alberti *Theol. pastor. P. I. Num. 104, 108, 121.*

19) Codex *Can. 426, 463.* — Cf. et D'Annibale *I. 98, III 175, seqq.*

1.° *Quoad sacramentorum administrationem.* — Parochus jus habet, et quidem exclusive quoad alios sacerdotes, conficiendi et ministrandi sacramenta et peragendi quascumque functiones sacerdotales, sive in ecclesia parochiali, sive in ecclesiis aut oratoriis sibi subjectis; ibi ipse solus jus habet celebrandi solemniter Missam, baptizandi, audiendi christifidelium confessiones, ministrandi Eucharistiam, adsistendi Matrimoniis. Extra ecclesias sibi subjectas, in territorio suæ parœciæ jus exclusivum habet ministrandi infirmis Eucharistiam per viaticum, aut eam publice deferendi ad infirmos in sua parœcia non periclitantes; item jus ministrandi Extremam Unctionem. Quoad hæc omnia, ceteri sacerdotes, ut licite agant, indigent licentia, saltem tacita, aut præsumpta parochi ipsius 20.

2.° *Quoad functiones* — Illæ sunt functiones parochiales, quibus aliquid jurisdictionis inest. Hæ sunt: Benedictiones nuptiales: benedictio domorum in Sabbato sancto; item publicæ processiones extra ecclesiam; justa funebria defunctorum suæ parœciæ 21. Ceterum omnes functiones in ecclesia parochiali aut parocho subjecta sunt juris parochialis.

3.° *Quoad emolumenta.* — Præter reditus beneficii parochialis et decimas, ad parochum (alicubi ad coadiutores, aut ex toto, aut ex parte) pertinent ea, quæ dicuntur *jura stolæ;* nempe oblationes, quæ dantur a parochianis occasione Baptismi aut Matrimonii: item et proventus ex funeribus, generatim ex integro, quandoque pro portione canonica. Verum de his consulantur Canonistæ.

DE OFFICIIS RELIGIOSORUM

346. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret..., ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam..., ut sit sancta et immaculata* 1. Quibus Apostoli verbis docemur Christum voluisse, ut Ecclesia sua sancta esset, nedum reali, sed et personali sanctitate; quatenus propter vivificum Ecclesiæ influxum plures in Ecclesia sint fideles, qui præter observantiam mandatorum sequenda sibi statuerent ipsa Christi consilia, eaque religiose sectando ad excellentiorem sanctitatis gradum anhelarent. Hi fideles, meliora charismata æmulantes, usu satis communi appellantur *Religiosi;* de quorum particularibus officiis modo agendum suscipimus 2. — Agimus vero de officiis indi-

20) Quoad Matrimonia moribundorum. CODEX *Can. 1043, 1098.*
21) Tamen attendatur CODEX *Can. 1216.*

1) EPH. *V. 25 sequ.* — Cf. dogmaticos *De Ecclesia,* ubi de nota *sanctitatis.*

2) Tractant S. THOMAS *2. 2. Qu. 183, 184-189;* LESSIUS *Lib. II. Cap. XLI;* S. LIGORIUS *IV. Num. 1-81;* BOUIX *De jure regularium;* VERMERSCH; COCCHI *Comment. in C. J C. Lib. II. De religiosis;* FANFANI *De jure religiosorum.*

viduorum; remittentes ad Canonistas, vel obiter tantum ea attingentes, quæ spectant ad regimen institutorum, vel ad eorum Superiores qua tales 3.

347. *Status religiosus* a S. Thoma dicitur esse « quædam disciplina perveniendi ad perfectionem » 4: a recentibus definitur « stabilis vitæ ratio ab Ecclesia approbata, per quam fideles quidam sub certa regula et vita communi per observantiam consiliorum evangelicorum ex voto tendunt ad perfectionem ». Hinc elementa essentialia ad statum religiosorum sunt: *a) Observantia consiliorum evangelicorum*, nominatim paupertatis, castitatis, obedientiæ; *b)* horum consiliorum *votum*, et quidem *perpetuum; c) vita communis* sub regula et unius præsidis auctoritate; *d) approbatio Ecclesiæ*, h. e., quæ detur a Romano Pontifice, aut ab Ordinario, non inconsulta Sede Apostolica 5.

Pro novis Congregationibus instituendis ac approbandis datæ fuerant a S. Congr. de Religiosis *Normæ* anno 1901; quæ recenter ad normas Codicis ab eadem S. Congregatione redactæ fuerunt die 6 martii anno 1921.

Quoniam quamplurimæ sunt institutorum varietates, tractabimus ea tantum, quæ omnibus satis communia sunt; et quidem potius quæ usui esse possunt confessariis, quam quæ intitutorum Superioribus.

Dicemus 1.° De ingressu in religionem; 2.° de professione religiosa; 3.° de obligatione votorum; 4.° quædam addemus quoque de privilegiis religiosorum.

CAPUT I.

DE INGRESSU IN RELIGIONEM

348. *Religio* heic intelligitur « status religiosus, seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, præter communia præcepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiæ, castitatis et paupertatis suscipiunt » 1. Hujus status religiosi, præter innumeras varietates particulares, duæ sunt formæ radicaliter distinctæ et diversæ. Habentur nempe *Ordines* religiosi (generatim fundationes antiquiores), quorum professores dicuntur proprie *Regulares*, si viri, *Moniales*, si feminæ; et *Congregationes* seu *Instituta* religiosa (recentiora), quorum professores passim *Religiosi* dici solent aut *Sorores*. Alia quoque habetur distinctio spectata auctoritate approbante, ut quædam Religiones dicantur *juris pontificii*, aliæ *juris diœcesani* 2.

3) Codex *Lib. II. P. II. Can. 487* — 681.

4) S. Thomas *Qu. 168 art. 2.* — Cf. Codex *Can. 487*; item Cocchi *Op. cit. Num. 1, 2.*

5) Cf. Bouix *P. I. Sect. I. VII-X.*, et *P. II. Sect. II.*; Gen. *Num. 73*; Zanin. *1814*; Fanfani *Op. cit. Num. 1.*

1) Codex *Can. 487.* — Cf. Lessium *Op. cit. Num.* 1, *seqq.*; Verm. *11-20.*

2) Codex *Can. 488.* — Distinctiones maxime spectant ad jus canonicum.

Ingressus in religionem non intelligitur ingressus in domum instituti, sed ipsius status religiosi amplexatio, saltem imperfecta, quæ fit assumendo habitum religiosum et sic ineundo novitiatum.

349. Ad conciliandam claritatem cum brevitate hæc advertimus:

1.° Status vitæ religiosæ substantialiter differt a statu vitæ sæcularis, etiam quæ sit (pro humana conditione) in observandis divinis mandatis perfecta: perfectio in observandis mandatis est de præcepto; vita religiosa est de consilio.

2.° Singula instituta, præter finem omnibus communem promovendi in suis membris sanctitatis perfectionem individualem, habent et finem proprium ac singularem; ad quem proinde tenentur quotquot determinatum institutum amplectuntur.

3.° Christus omnes quidem homines invitavit ad sua consilia sequenda; at hoc non impedit, quominus Deus quosdam singulari veluti incitamento ad eadem sequenda provocet. Hinc vocatio ad vitam religiosam, alia *generalis* dicitur, alia *specialis*. Hæc autem specialis habere potest pro objecto, sive statum religiosum in genere, sive determinatum institutum.

4.° In plerisque institutis virorum plures eorum professores sunt simul et clerici. Hic eos spectamus tantum ut religiosos; prout clerici sunt, subsunt et iis, quæ diximus de officiis clericorum.

350. **Principium.** Ut quis licite religionem ingrediatur, non requiritur vocatio specialis proprie dicta; requiritur et sufficit vocatio improprie dicta, h. e., recta ingredientis intentio et absentia cujuscumque obstaculi observantiam vitæ religiosæ impedientis. Ratio prioris est, quia status religionis non est ministerium nomine Dei aut Ecclesiæ fungendum. Ratio alterius est, quia absentia cujuscumque obstaculi una cum recta intentione præbet motivum sufficiens sperandi a Deo specialia auxilia, quæ ad observantiam vitæ religiosæ necessaria sunt.

351. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* In quo proprie consistat intentio recta?

Resp. In eo est, quod ingrediens religionem non moveatur fine aliquo humano: puta vitandi egestatem aut discordias aut labores sibi in domo paterna subeundos; sed moveatur fine supernaturali, perveniendi securius et facilius ad exercitium consiliorum evangelicorum, ad sanctificationem animæ propriæ, et insuper ad finem proprium instituti, quod profiteri intendit.

Huic intentioni rectæ non obstat, quod vocatio initium sumpserit ex eventu humano; ex. gr., ex clade, ex terræmotu, ex infortunio familari, ex impeditis quovis casu nuptiis, et similibus.

Qu. 2. Utrum peccet ille, qui, sciens se a Deo ad religionem speciali vocatione invitari, Deo obsequi detrectat?

Resp. Id certe periculosum est. Dato enim quod Deus ipsum speciali vocatione ad statum religiosum vocaverit, certe gratias efficaciores et uberiores in hoc statu eidem prædisposuit; hisce ille se privat in statu sæculari, forte habiturus tantum gratias sufficientes, cum periculo non consequendi salutem æternam. Quapropter, si quis cum gravi fundamento timet, ne, manens in sæculo, propter suam fragilitatem et carentiam uberiorum mediorum, damnationem æternam incurrat, hic certe peccaret; et quidem plus vel minus graviter, prout magis vel minus grave novit esse damnationis periculum 3.

Nonnulli censent graviter peccare et eum, qui existimet se facilius vitam æternam consecuturum in religione, quam in sæculo: dura sententia, de qua S. Alphonsus fatetur se nolle absolutum judicium proferre.

Ceterum nullum habetur peccatum *per se;* eo ipso quod ea vocatio divina non est intimatio voluntatis divinæ præcipientis, sed propositio divini beneplaciti invitantis ad altiora. At peccare quis posset vi alterius obligationis; puta, si aut vi voti, aut vi contractus iniri cum instituto, sese ad ingrediendum obligaverat.

Qu. 3. Utrum peccent parentes sine justa causa impedientes filios ab ingressu in religionem?

Resp. Si obsistant mediis injustis, certe peccant contra justitiam; si precibus, lacrimis aliisve mediis non injustis, adhuc peccare videntur contra caritatem; eo quod detrimentum grave spirituale filiis afferunt, aut saltem eos privant magno bono spirituali. — Tamen licite obsistere possunt ad tempus, ut sic veritas divinæ vocationis melius patescat.

Qu. 4. Utrum (et quatenus) peccet ille, qui ingredi audet religionem dissimulando impedimentum illi statui repugnans?

Resp. a) Si impedimentum sit defectus intentionis rectæ, certe peccat, et *per se* non leviter: in dubio, qui ad religionem adspirat, stare debet judicio prudentis confessarii, cui sincere statum conscientiæ suæ aperuerit. — *b)* Si impedimentum sit quodcumque aliud, peccare videtur; et quidem graviter, si hoc obstet statui religioso substantialiter et haud facile amoveri posse speretur, si obstet in re minoris momenti, aut mediis propriis vitæ religiosæ amoveri posse speretur, non videtur peccare graviter: leviter peccare poterit, tum ratione temeritatis, tum ratione læsæ quodammodo justitiæ erga institutum quod ingreditur.

Inter hæc impedimenta olim frequens, nunc rarior, est casus defectûs libertatis. Huic quoad feminas amovendo Ecclesia consuluit decernendo, ut ante susceptionem habitus, et deinde ante professionem, tum temporariam, tum perpetuam, puellæ voluntas ab Episcopo aut ab ejus Vicario aut ab aliquo ab eis deputato exploretur « an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat » 4.

Qu. 5. Utrum licite religionem ingrediatur, qui motus carnales adeo vehementes experitur, ut prævideat se aliter eos compescere non posse quam per Matrimonium?

3) S. Ligorius *Num. 78;* Gen. *77;* Marc. *2141;* Lehmk. *506.*
4) Concilium Trid. *Sess. XXV. Cap. 17;* Codex *Can. 552 2.*

Resp. Data hypothesi, *negative*. Etenim, quod quis non peccet, præceptum est: quod quis religionem ingrediatur, est consilium. Insuper continentia perfecta donum Dei est; quod, licet a Deo omnibus detur *in actu primo*, ipsum habere et servare quibusdam valde arduum est; et aliunde « melius est nubere quam uri ».

Quid in dubio? — Censemus sequendam esse viam tutiorem; h. e., contrahendum Matrimonium, aut saltem differendum esse ingressum, aut saltem professionem præsertim perpetuam, donec experientia simul cum gratia Dei spem fundatam attulerit servandæ in posterum castitatis perfectæ; quam spem non excludunt nonnulli lapsus in ipso postulandatu aut novitiatu. Si quis vero nonnisi cum gravi incommodo contrahere possit Matrimonium, hic, juxta plures, ingredi posset religionem et profiteri; cum sperare ei liceat motus illos facilius sedatum iri, tum propter remotionem occasionum, tum propter media efficaciora ab ipso statu religioso suppeditanda.

Ceterum putamus consilium non ingrediendi, aut saltem differendi, hodie opportunum esse frequentius quam olim; tum ad salutem æternam individuorum, tum ad tutandum decorem status religiosi: hodierna enim juventus nimis frequenter vitio levitatis laborat.

Qu. 6. Quos postulantes aut novitios Prælati institutorum admittere debeant ex jure naturali; quos debeant repellere?

Resp. Illos omnes et solos admittere debent, quos diligenti habito examine judicaverint divinæ vocationis argumenta præbere, tum quoad statum religiosum in genere, tum quoad proprium institutum. Hinc, qui admittant eos, quos haud vocatos esse judicant, peccant et *per se* graviter, tum contra religionem, tum contra justitiam quam debent instituto. Nec a peccato illati instituto detrimenti immunes sunt, qui repellant quos judicant esse vocatos; hi peccant etiam contra caritatem erga ipsum postulantem.

Qu. 7. Quinam admittendi non sint ad novitiatum ex jure canonico?

Resp. 1.° Invalide ad novitiatum admittuntur: — *a*) Qui sectæ acatholicæ adhæserunt; *b*) qui ætatem ad novitiatum requisitam non habent; *c*) qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit; *d*) conjux durante Matrimonio; *e*) qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosæ; *f*) illi, quibus imminet pœna ob grave delictum commissum, de quo accusati sunt aut accusari possunt; *g*) Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a R. Pontifice sit tantum designatus; *h*) Clerici, qui ex instituto Sanctæ Sedis jurejurando tenentur operam suam navare in bonum suæ diœcesis vel missionum, pro eo tempore quo jurisjurandi obligatio perdurat.

2.° Illicite, licet valide, admittuntur: — *a*) Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum

5) At « qui professus est, reputatu quasi mortuus sæculo » S. THOMAS *Qu. 101 art. 4.*

discessus in grave animarum detrimentum cedit, quod aliter vitari minime possit; *b*) ære alieno gravati, qui solvendo pares non sint; *c*) reddendæ rationi obnoxii, aut aliis sæcularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit; *d*) filii, qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviæ, in gravi necessitate constitutis opitulari debent; et parentes, quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria; *e*) ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento; *f*) Orientales in latinis regionibus sine venia scripto data Sacræ Congregationis pro Ecclesia Orientali. — Insuper « omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti Baptismatis et Confirmationis » 6.

CAPUT II.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

352. *Professio* sensu maxime proprio intelligitur « actus ille, quo quis statum religiosum definitive amplectitur, hujus status obligationes suscipiens, ac de ejusdem bonis participans ». Ea fit per emissionem trium votorum substantialium, paupertatis, castitatis, obedientiæ; sive hæc solemnia sint, sive simplicia: non enim est de essentia status religiosi, ut ejus vota sint solemnia 1.

Jure novissimo, tum in ordinibus, tum in congregationibus religiosis habentibus vota perpetua, duplex emittenda est professio, prior temporaria, alia perpetua: at simul attendantur constitutiones propriæ. — « Vota ante professionem religiosam (licet temporariam) emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit » 2.

353. **Principia. 1.** Ad validitatem professionis religiosæ: *a*) Ex jure naturali requiritur in professe vera ac deliberata intentio assumendi sibi obligationes status religiosi proprias; ac proinde ut « professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur »; item requiritur ut « eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones ». — *b*) Ex jure positivo requiritur expletus annus ætatis decimus sextus pro professione temporaria, vigesimus primus pro perpetua, et saltem integer annus in novitiatu transactus: insuper ad professionem perpetuam prærequiritur professio votorum simplicium ad triennium valitura 3.

6) Codex *Can. 542, 544* § e. — Cf. Fanfani *Num. 150-163.*

1) Id potissimum constat ex Gregorii XIII Bulla *Ascendente Domino* 25 maji 1583. Cf. Bouix *P. I. Sect. III. Cap. VI. 1.* — Tamen cf. et Palm. apud. Gury *1088.*

2) Codex *Can. 1315.*

3) Codex *Can. 572-574.* — Cf. Fanfani *Num. 185, seqq.*

II. Religiosus vi professionis obligationem in conscientia assumit tendendi habitualiter ad perfectionem; primario quidem per observantiam mandatorum et votorum, secundario per observantiam regularum suæ religionis: insuper tenetur tendere ad consequendum finem proprium religionis, in qua professus est.

354. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Professio, quæ fiat ex errore circa substantiam vitæ religiosæ in genere, aut vitæ in determinato instituto peragendæ, invalida est. E contra valida est professio, quæ fiat ex errore circa circumstantias accidentales, etiam quæ cognitæ professionem fieri impedivissent: id enim postulat firmitas statui religioso necessaria ex quasi-contractu inito a professente cum instituto.

2.ª Invalida est professio, quæ fiat ex metu gravi, aut etiam ex metu reverentiali conjuncto cum precibus importunis sæpe repetitis, aut cum gravi offensione, vel diu continuata indignatione parentum vel consanguineorum, etc. Ad hoc periculum pro puellis præcavendum præscribitur faciendum examen canonicum ab Episcopo per se vel per alium.

3.ª Annus novitiatûs integer esse debet et continuus in ipsa domo novitiatus; hoc autem ad ipsam validitatem professionis emittendæ, sive in ordinibus, sive in congregationibus.

4.ª Si in admittendo novitio ad professionem Prælatus, aut consilium vel capitulum, decipiatur errore substantiali, professio est invalida.

355. *Ex Princ. II.* — 1.ª Religiosus vi professionis, tamquam novo titulo, tenetur divina præcepta servare; sic enim Deum perfecta caritate diliget, in qua essentialiter consistit perfectio.

2.ª Religiosus tenetur tendere ad perfectionem per observantiam votorum; adeo ut, si hæc violet, eo ipso plus vel minus peccet, nedum contra vota, sed et contra obligationem vi professionis assumptam: hinc votorum violatio novam in religioso speciem induit, quæ, si gravis sit, in confessione sacramentali erit aperienda 4.

3.ª Religiosus vi professionis generatim tenetur servare constitutiones et regulas instituti, in quo professus est: hoc autem, tum, quia earum observantia est medium perfectionis consequendæ a R. Pontifice vel ab Episcopo impositum illis, qui ad perfectionem tendere statuerunt in determinato instituto; tum, quia ipsemet ad eas observandas sese erga institutum obligavit 5.

356. **Quæstiones.**— *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quandonam religiosus peccet graviter contra obligationem tendendi ad perfectionem?

Resp. Contra hanc obligationem *per se* graviter peccat, quando habitualiter omittat tendere ad perfectionem. Porro id fit: *a*) si ipsam perfectionem contemnat; *b*) si habitu, seu frequenter, præcepta gravia, aut sua vota, in materia gravi transgrediatur; *c*) si contemnat ipsam re-

4) Cf. VERMEERSCH *Num. 225.*
5) D'ANNIBALE III. *Num. 217;* VERM. *228, sequ.*

gulam aut potestatem Superioris, adeo ut se ab illa aut ab isto exemptum esse velit. In hisce casibus, præter peccata singulis actibus commissa, habetur peccatum speciei propriæ, violatæ, scil., obligationis tendendi ad perfectionem. — Utrum graviter contra hanc obligationem peccet qui absque contemptu in levibus frequenter peccat aut regulas instituti ex animi demissione sæpe et voluntarie infringit, disputatur 6. Si res spectetur *per se*, videtur esse negandum: at peccatum grave haberi posset *per accidens;* præsertim, si, ut non raro contingit, ea habitualis leviorum incuria periculum proximum afferat transgrediendi frequentius graviora, aut merendi dimissionem ab instituto, aut scandalizandi confratres.

Qu. 2. Qualis et quanta sit obligatio servandi regulas ?

Resp. 1.° Si in constitutionibus instituti declaretur regulas esse obligatorias in conscientia, earum violatio peccatum est grave, vel leve, prout in regula obligatoria *sub gravi* gravis vel levis fuit ejusdem violatio.

2.° Si juxta constitutiones nulla imponatur obligatio in conscientia servandi regulas, adhuc habetur obligatio gravis non violandi regulas ex contemptu ipsius instituti et Ecclesiæ institutum approbantis; item non violandi cum tali frequentia et publicitate, ut periculum afferatur relaxandi disciplinam in ipsa communitate. Ceterum singulæ transgressiones in se peccatum non sunt: possent esse peccata venialia, si fiant ex desidia aut ex negligentia 7: possent esse et actus boni, si religiosus regulam non servet usus epikeiâ, et ad finem bonum; puta, si tempore silentii fratrem mœstum soletur.

Qu. 3. Utrum religiosi et moniales, in ordine ad chorum destinato professi, teneantur horas canonicas recitare ?

Resp. Certe tenetur communitas in singulis domibus, ubi quatuor saltem sint religiosi (vel moniales) obligati et actu legitime non impediti. In iisdem religionibus, solemniter professi, qui a choro abfuerunt, debent horas canonicas privatim recitare: non tenentur professi a votis simplicibus, nisi aliud constitutiones expresse præscribant 8.

357. **Scholion.** — **I.** *De ritu professionis.* — Ex norma generali « in emittenda professione religiosa servetur præscriptus in constitutionibus ritus ». Tamen « professioni solemni (et cuicumque perpetuæ) reserventur ritus illi omnes et cæremoniæ, quæ ad perpetuitatem status referuntur » 9: ejusmodi essent in professione religiosarum benedictio et immissio anuli, etc. Ad professionem temporariam sufficit, ut ea a legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur.

II. *De professione in periculo mortis.* — De hac professione, novitiis et probandis vita periclitantibus permissa decreto *Spirituali con-*

6) Cffl S. Ligorium *Num. 10;* Lehmk. I. *517;* Gury *1093.*
7) Cf. S. Ligorium *Num. 10;* Gury *1695;* Verm. *232, sequ.*
8) Codex *Can. 610 1, 3; Can. 578 n. 2.* — Cf. Fanfani *Num. 264.*
9) Codex *Can. 576 § 1;* S. Congr. de Relig. 10 julii a. 1919.

solationi 10, Jus novissimum tacet: perdurat tamen permissio olim data; ex qua fit ut novitius vel probandus, ceu *vere professus* ex hac ad alteram vitam transeat: at, si non transeat, in pristinum statum redibit. Jus novissimum statuit ut spiritualibus gratiis religioni concessis gaudeat, licet non professus 11.

III. *De reelectione Moderatorum.* — Post secundam reelectionem, Moderatrix in congregationibus religiosis, Antistita in monasteriis monialium, ne eligatur tertio: ad summum, propositis Sanctæ Sedi suffragiis cum voto Ordinarii, canonice postuletur 12.

IV. *De relatione quinquennali.* — Quilibet supremus Moderator, sive monasticæ Congregationis, sive cujusvis Religionis juris pontificii, quolibet quinquennio mittere debet ad Sanctam Sedem relationem de statu Religionis. Hoc ex Jure novissimo; quod magis determinatum fuit posterius ab Apostolica Sede 13.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS VOTORUM

358. Ut institutum quodpiam sit vere et proprie religiosum, necesse est emitti in eo tria vota, paupertatis, castitatis, obedientiæ; quibus totalis sui ipsius Deo traditio consistit 1. Id non impedit quominus singula instituta aliquod aliud votum emitti jubeant proprio fini respondens. — Agimus tantum de votis communibus.

Quælibet votorum religiosorum violatio obstat virtuti religionis, et saltem hoc sensu est peccatum sacrilegii.

ART. I. — DE VOTO PAUPERTATIS

358. Licet vota simplicia haud essentialiter differant a solemnibus, tamen relate ad votum paupertatis alia est positio juridica religiosorum habentium vota solemnia; alia habentium vota simplicia: illi habent nihil; isti quædam et plura habere possunt. Quia vero votorum solemnizatio est ex jure ecclesiastico, ideo Ecclesia permittere potest et quandoque permittit, ut et illi, salva voti solemnitate, quædam possidere queant. — Præcipua Juris statuta in re præsenti reduci possunt ad sequentia:

359. **Principia. 1.** Religiosus habens votum solemne paupertatis, incapax prorsus est habendi quodcumque dominium rei

10) S. Congr. de Relig. 10 sept a 1912. — Cf. FANFANI *Num. 191.*
11) CODEX *Can. 576 § 1.*
12) S. Congr. de Relig. 9 mart. 1920, apud *Acta Ap. Sedis* XII. 365.
13) CODEX *Can. 510;* S. Congr. de Relig. 8 et 25 mart. 1922, apud *Acta Ap. Sedis.* XIV - 169 et 278.

1) S. THOMAS *Qu. 186 art. 1.* — Cf. VERMEERSCH *Num. 20.*

pretio æstimabilis; ac proinde omnes cujuscumque dominii actus ab eo exerciti invalidi sunt. Hac de re præscribitur, ut professus a votis simplicibus intra sexaginta dies ante professionem solemnem debeat omnibus bonis, quæ actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturæ professionis, renuntiare.

II. Religiosus habens votum simplex paupertatis conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi. Tamen omnes actus dominii, ab eo sine Superioris licentia exerciti, illiciti sunt. Hinc ante professionem novitius debet ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit, et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorumdem usu et usufructu libere disponere. Ea cessio ac dispositio, si prætermissa fuerit, aut si facta fuerit et postea alia bona obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas præcedentes [2].

360. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Quæcumque bona adveniant regulari (utriuslibet sexus) titulo hereditatis, legati, remunerationis, stipendii, pensionis, donationis, etc., ea non personæ sunt, sed monasterii; juxta illud « quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit ». In ordine incapaci possidendi, ea bona acquiruntur Sanctæ Sedi in proprietatem.

2.ª Cum Sedes Apostolica permittere possit et permittat, ut regularis bona quædam etiam immobilia acceptet et acquirat, puta emptione aut hereditate, eorumque acceptationem et possessionem scripto legali recognoscat, eamque per actus attestativos proprietatis demonstret [3], si contingat regularem illum decedere intestatum, illicite et invalide bona eidem inscripta sibi usurparent consanguinei; quippe quæ non personæ erant, sed monasterii.

3.ª De bonis, quæ regulari obvenerint, ipse disponere potest ex licentia Superioris, sicut de quibuslibet bonis monasterii: cum enim eorum proprietas sit monasterii, eorum administratio spectat ad Superiorem.

4.ª Regularis de nulla re pretio æstimabili affirmare potest eam esse suam: id affirmare potest de rebus, quæ non sint æstimabiles pretio; ex. gr., de sua fama, formaliter etiam de scripto a se opere aut musicali concentu; saltem ratione consuetudinis sibi asserere poterit proprietatem sui manuscripti ad usum personalem, ad docendum, ad concionandum.

5.ª Ex Jure novissimo, « qui impetrato sæcularizationis indulto religionem relinquit,... a votis liberatus manet » [4]: ergo etiam a voto pau-

2) Codex *Can. 569* § *1* et *2*, *580* § *1*, *581* § *1*. Cf. Cocchi *Op. cit. Num. 74.*

3) Documenta penes Ojetti ad. v. *Paupertas;* Genn. *Cons. can. III.*

4) Codex *Can. 640* *1 n. 2.*

pertatis et obligationibus et prohibitionibus voto adnexis. Ceterum attendendum est ad tenorem rescripti.

361. *Ex Princ. II.* — 1.ª Religiosus, qui professionem emiserit in congregatione votorum simplicium, si de suis bonis patrimonialibus absque debita licentia disponat, sive per actum inter vivos, sive per testamentum, peccat peccato *per se* gravi contra votum.

2.ª Si iste absque licentia circa bona sua contrahat vendendo, donando, mutuando, etc.; aut de illis testetur, contractus vel dispositio testamentaria valet, nedum civiliter, sed et in ipsa conscientia. Hinc, qui bona accipiant contractu, peccare quidem possunt peccato cooperationis, at ea bona sua faciunt; qui accipiant testamento, nedum valide, sed et licite accipiunt, nisi actui testandi cooperati fuerint.

3.ª Professo a votis simplicibus in congregatione religiosa non licet; *a*) Per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare: *b*) nec testamentum, quod in novitiatu condere debuit, mutare sine licentia Sanctæ Sedis; vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris majoris, aut, si nec ille adiri possit, localis 5.

4.ª In quocumque instituto vitæ communis, etiam votorum simplicium, ea quæ professo dantur a Superiore ad usum personalem, vestes, cibi, libri, cubile, etc., ea non ipsius religiosi sunt, sed instituti: hinc professus circa hæc peccare potest, nedum contra votum paupertatis, sed etiam contra justitiam 6.

5.ª Religiosus peccat contra votum paupertatis, si res aut pecunias sibi datas ad usum determinatum impendat in usum diversum: si eas aliis donet, commodet, det mutuo, etc., peccat etiam, graviter aut leviter, contra justitiam. Superioris licentiam facile præsumere potest circa donanda objecta religiosa minoris momenti: ut sunt imagines sacræ, numismata, rosaria, etc.

6.ª Religiosus, qui, nihil re habens, quædam bona inordinato prosequatur affectu, hic peccat contra virtutem paupertatis; qui de rebus sibi datis, ceu vilibus aut tritis aut insufficientibus, interne vel et externe conqueraur, aut aveat superflua, hic spiritu paupertatis caret: utrique melius erat suis commodis vacare in sæculo.

362. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum peccet religiosus accipiens ab extraneo pecunias in pia opera expendendas?

Resp. a) Si extraneus opus beneficandum determinavit, *negative*. — *b*) Si extraneus dedit religioso pecunias, ut hic potens fiat ad eleemosynas pauperibus erogandas pro lubito, quasi suæ essent, affirmandum videtur 7. — *c*) Si ille pecunias dedit religioso, ut hic nomine offerentis eas distribuat in opera a se pro lubito eligenda, adhuc quidam

5) Codex *Can. 583, 569 3.* — Plura Sabetti *Num. 615.*
6) Circa *peculium*, S. Ligorius *Num. 15;* Gen. 97; Verm. *273 — 281.*
7) De Lugo *De just. Disp. II. 54;* S. Lig. *24;* Ball. *132;* Gen. *93.*

putant id obstare voto paupertatis; cum duplex habeatur actus proprietatis, unus accipiendo, alius erogando. Verum certe probabilis quoque est contraria opinio, quæ in hoc casu religiosum habet ceu intermediarium inter offerentem et opera pro lubito religiosi beneficanda. Ceterum valde opportunum est, quod religiosus licentiam sui Superioris habeat.

Qu. 2. Utrum religiosi largiri possint munera alicujus momenti personis extraneis, ac utrum istæ eadem possint accipere?

Resp. Exceptis munusculis, de quibus modo diximus, largitio munerum regularibus prohibita est; et quidem ipsis quoque Superioribus et conventibus, nisi causa largiendi habeatur rationalis; ut esset gratitudo, conservatio benevolentiæ alicujus personæ erga religionem vel domum, etc.; tunc enim hæc largitio permittitur, dummodo modeste et discrete fiat, ac de licentia Superioris vel etiam majoris partis communitatis.

Qu. 3. Utrum peccet contra paupertatem religiosus recusans ea, quæ sibi ab extraneo offeruntur?

Resp. Si recusat ea quorum nec dominium neque jus ad proprietatem habet, sive ipse, sive institutum, *negative;* ejusmodi essent eleemosinæ, oblationes, etc.: peccare posset contra caritatem, quam debet suo instituto. *Affirmative* vero, si recuset ea, quorum dominium aut saltem jus ipse aut institutum acquisivit; ut essent legata, donationes jam acceptatæ, remunerationes debitæ pro concionibus, stipendia pro Missis celebratis.

Qu. 4. Quænam materia habenda sit ut gravis in peccatis contra paupertatem?

Resp. Quæstio difficilis et implexa propter complicatum simul votum paupertatis cum virtute justitiæ 8.

1.° Si peccatum obstet tantummodo paupertati, quatenus religiosus sibi acquirit proprietatem, juxta sententiam communiorem habenda est ut gravis ea materia, quæ gravis esset in furto secundum normam communem. Juxta alios, res consideranda est relative; nempe in comparatione illius conditionis, in qua religiosus versatur vi suæ professionis: unde ea materia, quæ gravis non est pro sacerdote Societatis Jesu, posset esse gravis pro fratre Cappuccino.

2.° Si peccatum obstet paupertati, quatenus religiosus votorum simplicium sine licentia disponit de bonis, quorum habet dominium radicale, ea alienando per venditionem, donationem aut testamentum, vel e suis juribus condonando, etc., certe ad peccatum mortale requiritur materia longe notabilior: forte numquam peccabit mortaliter, si ea bona det mutuo aut commodato, cum spe fundata recuperandi: imo, nec si agatur de re monasterii sibi data ad usum.

3.° Si peccatum obstet etiam justitiæ, quatenus religiosus de bonis monasterii disponit, quin ea faciat sua, puta ea vendendo, commodan-

8) Tractant S. Ligorius *Num. 24;* Palm. *121; 124;* Gen. *93, 98;* Verm. *265-268;* Ferr. *142;* D'Ann. *221, 222;* Sabetti *614 Qu. 8.* Aliæ quæstiones apud *Monit. eccl.* VIII. P. I. 201.

do, permutandô, etc., gravitas peccati dimetienda est ex damno quod affert monasterio, ac proinde relative ad conditionem œconomicam ejusdem. Juxta quosdam, non videtur contra votum paupertatis peccare, qui res monasterii destruat solo animo damnificandi; ergo nec qui eas negligentiâ suâ perdat aut corrumpat: hi peccarent contra justitiam.

4.° Si peccatum obstet etiam justitiæ, quatenus religiosus verum furtum in damnum monasterii committit, gravitas peccati « æstimari debet, tum ex opulentia monasterii, tum ex persona religiosi: (hoc autem) non quasi filiifamilias, nec quasi famuli, sed quasi inter utrumque; quippe utriusque habet aliquid ». Hinc res alia erit, si agatur de unico furto in materia notabili; alia, si de pluribus minutis coalescentibus; alia, si de sublata pecunia; alia si de consumptis intra muros monasterii esculentis aut poculentis; alia, si res data fuerit extraneo; alia, si sodali.

5.° Demum, si agatur de furto a religioso patrato in damnum personæ externæ, peccatum, tum voti violati, tum læsæ justitiæ, aestimandum erit juxta normas communes de materia gravi in furto.

ART. II. — De voto castitatis

363. Voto paupertatis, per quod religiosus se privat proprietate aut usu bonorum externorum, dignitate præminet votum castitatis, per quod a se abdicat bona sibi magis sua et connaturalia; nempe jus fruendi voluptatibus carnis, iis etiam, quæ in se licitæ sunt. Hoc votum personam religiosi facit esse sensu proprio *sacram;* ac in primitiva Ecclesia hoc votum proprie constituebat vitæ perfectioris professionem, et voventi speciales prærogativas et honores conciliabat.

364. **Principia. I.** Vi voti castitatis religioso ex virtute religionis prohibentur omnes illæ voluptates venereæ, quae ipsi et cunctis hominibus prohibentur ex virtute castitatis.

II. Vi voti castitatis religioso prohibetur matrimonium; consequenter prohibentur et illæ delectationes carnales, quæ in matrimonio licitæ essent. Imo, si religiosus votum solemne emiserit, hoc, nedum illicitum, sed et invalidum reddit subsequens matrimonium.

365. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Vi voti perpetui castitatis regulares et moniales, fiunt personæ sacræ in ordine ad castitatem servandam. Quapropter omnia eorumdem peccata contra castitatem sunt proprio sensu *sacrilegia*: item sunt vera sacrilegia, quæ ab aliis personis cum iisdem patrentur.

2.ª Peccata quælibet luxuriæ commissa a religioso, qui ligatus sit voto etiam simplici ac temporaneo, si commissa fuerit voto durante, præter reatum contra castitatem, habent et alteram malitiam contra religionem; hæc autem gravis est vel levis, prout gravis vel levis est reatus contra castitatem.

381. *Ex Princ. II.* — 1.ª Licet gravissime illicitum, tamen validum est Matrimonium, quod absque dispensatione Apostolicæ Sedis contrahatur a religioso professo vota simplicia. Hinc actus conjugales, qui deinceps ab eo habeantur cum uxore, non sunt peccata contra castitatem; at ipse religiosus peccat contra votum, quoties petit; item quoties reddit comparti sine jure petenti.

2.ª E contra, invalidum est matrimonium attentatum a regulari vel moniali habente vota solemnia. Hinc et subsequentes actus conjugales præ utraque parte sunt totidem sacrilegia, et simul totidem peccata luxuriæ.

366. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum religiosus votum violet per peccata luxuriæ interna?

Resp. 1.° Certissime votum violaret per desiderium deliberatum committendi actus externos luxuriæ, ut per se patet.

2.° Idem communissime theologi docent etiam de peccatis delectationis morosæ, quæ mere interna sunt. Ratio intrinseca est, quia vovens Deo simpliciter promisit abstinentiam a quibuscumque voluptatibus venereis, absque ulla distinctione. Accedit et ratio extrinseca; quod, cum id doceant communissime theologi, huic doctrinæ censendi sunt sese conformare religiosi in hoc voto emittendo 9.

Qu. 2. Utrum sint proprio sensu sacrilegia peccata luxuriæ commissa a religioso professo vota simplicia?

Resp. Si religiosus emisit vota perpetua, doctores communiter eum habent ut personam sacram in ordine ad castitatem. Ratio est, quia ipsius votum juridice et nomine Dei recognitum et acceptatum fuit ad Ecclesia, ut ligans hominem Deo in perpetuum; quod satis est ad constituendam personam sacram. Imo sententia est hodie satis recepta quod religiosus fiat persona sacra etiam per professionem voti castitatis temporariæ.

367. **Scholion.** — *De clausura* — Ad tutandam regularium et monialium castitatem Ecclesia præscripsit sejunctionem quamdam illorum et istarum a personis extraneis: hæc sejunctio dici solet *clausura* 10. Spectata materialiter, *clausura* est « spatium monasterii septis custoditum »: spectata formaliter, est « obligatio tum reguralibus et monialibus, tum extraneis imposita non transiliendi septa monasterii præter casus in Jure determinatos », Hæc autem obligatio, ratione auctoritatis eam imponentis, alia est *papalis*, alia *episcopalis*: item alia est pro monasteriis regularium, alia pro monasteriis monialium; quin et præscripta analoga habentur pro institutis congregationum votorum simplicium.

1.° *Pro monasteriis regularium, clausura* importat duo: *a*) Nemo regularis monasterio exeat absque licentia, saltem tacita aut rationabiliter

9) S. Ligorius *Num. 37;* Gury *1112;* Verm. *283;* Gen. *99 I.;* Sabetti *617.* - De vi rationis extrinsecæ quidam dubitant.

10) Codex *Can. 597 — 607.* — Fanfani *Num. 231 - 248.*

præsumpta, Superioris. — *b*) Nulla mulier cujusvis ætatis, generis aut conditionis monasterium ingrediatur; nec quisquam ad ingrediendum eam admittat. — Obligatio prior vera quidem est et gravis; at materiæ parvitatem admittit: adeo ut probabile sit regularem tunc solum peccare graviter, cum exit noctu et simul furtive, aut cum animo manendi diu et quasi stabiliter extra monasterium. Altera præ utraque parte semper gravis est; imo violationi ejusdem adnexa est excommunicatio sententiæ latæ Apostolicæ Sedi reservata.

2.° *Pro monasteriis monialium, claurusa* tria importat: *a*) Nulla monialis aut novitia vel adspirans septis monasterii egredi potest, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. — *b*) Nemo monasterium ingredi potest, cujuscumque sit generis, conditionis, sexus, ætatis; præterquam causâ necessitatis spiritualis monialium, aut earumdem necessitatis corporalis, aut necessitatis materialis monasterii vel servitii: verum quoad has exceptiones, extra casus necessitatis repentinæ, requiritur licentia aut habitualis aut pro singulis vicibus danda ab Ordinario. — *c*) Nemo personam extraneam, præter casus indicatos vel absque licentia, ingredientem intra septa introducere vel admittere potest 11. — Obligationes hæ gravissimæ sunt: imo, nedum graviter peccant, sed et incurrunt ipso facto excommunicationem Apostolicæ Sedi reservatam, tum moniales sine licentia R. Pontificis egredientes, tum personæ extraneæ extra casus indicatos et absque licentia ingredientes, tum quotquot has personas illegitime ingredientes introducant vel admittant.

3.° *Relate ad instituta votorum simplicium,* habentur cautelæ in singulis institutorum constitutionibus præscriptæ; quæ communiter *per se* obligant eadem obligatione, qua generatim regulæ. Quoad congregationes femineas, haberi potest clausura episcopalis; imo quibusdam ex privilegio conceditur quoque papalis.

Ad eumdem finem tutandi monialium castitatem data fuit generica prohibitio accedendi ad crates monialium; item et huc tendit recens Sedis Apostolicæ decretum, quo præscribitur norma, qua sorores circumire valeant ad colligendas eleemosynas.

ART. III. — De voto obedientiæ

368. Votis paupertatis et castitatis longe præstat votum obedientiæ, per quod Deo « propria voluntas mactatur » 12: præ ceteris enim virtutibus moralibus « laudabilior est obedientia, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem » 13. Constitutionibus et regulis instituti religiosus parere tenetur ratione cujusdam pactionis ab eo initæ in professione: at insuper obligatio specialis ab eodem assumitur ex voto, per

11) Recenter data *Instructio* a S. Congr. De Relig. die 6 febr. a. 1924, apud *Acta Apost. Sedis* XVI. pag. *95, Monit. eccl.* XXXVI. 67.

12) S. Gregorius M. *Moral Lib. ult. Cap. 12.* — Cf. Marc. *Num. 2165.*

13) *S.* Thomas *2. 2. Qu. 104 art. 2.* — Cf. Lessium *XLVI. Num. 37-39.*

quod vovens in Superiorem transfert potestatem dominativam suæ voluntatis.

369. **Principium.** Vi voti obedientiæ religiosus tenetur ea omnia exsequi, quæ ipsi a legitimo Superiore præcipiuntur juxta regulas; h. e., quæ in regulis aut *explicite*, aut *implicite* et *reductive* continentur [14].

370. **Resolutiones.** — 1.ª Religiosus vi voti obedientiæ tenetur præcepta exsequi, exsecutione externa et materiali: eadem alacri animo implere, et quidem formaliter propter auctoritatem præceptivam Superioris, hoc pertinet ad perfectionem virtutis obedientiæ et ad ejusdem meritum lucrandum.

2.ª Nec ad votum, nec ad virtutem obedientiæ aut ad ejus perfectionem pertinet, quod religiosus subjiciat intellectum; sibi, nempe, persuadendo rem illam rite et opportune præcipi: virtutis obedientiæ erit rationes præcepti neque scrutari neque discutere; voti erit eadem ad apicem implere.

3.ª Religiosus vi voti tenetur ea exsequi, quæ precipiuntur; non quæ consuluntur, aut optantur, aut proponuntur; nec tenetur præceptum Superioris prævenire; licet et ad hæc virtus obedientiæ extendi possit, ac in his majus obedientiæ meritum acquiri.

4.ª Religiosus ea exsequi tenetur, quæ præcipiuntur juxta regulas sui instituti, quæ ad ejus finem consequendum ordinata sunt. Si finis sit, ut sodales inserviant infirmis quocumque morbo etiam contagioso laborantibus, aut seipsos tyrannis tradant in redemptionem captivorum, ad hæc in casu particulari tenetur religiosus jussus a Superiore. Sub hac limitatione religiosi obligari possunt ad actus heroicos, ad quos potius seipsos obligarunt vovendo [15]: at in genere ad res moraliter impossibiles non tenentur.

5.ª Religiosus tenetur obedire in iis, quæ in regula continentur implicite; quæ, nempe, necessaria sunt ad bonum ordinis vel familiæ; hac ratione tenentur inservire sodalibus peste laborantibus.

6.ª Religiosus exsequi non tenetur quæ præcipiantur inhonesta, ut *per se* patet; neque quæ sint a fine instituti aliena, ut militia in ordine contemplativo; neque quæ sint supra regulam, ut pro fratre ordinis Prædicatorum abstinentia Minimorum; neque quæ sint infra regulam, ut aquam, haurire canistro, arborem aridam irrigare, et similia [16].

371. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* In quo votum solemne obedientiæ differat a voto simplici?

14) Expositio apud VERMEERSCH *Num. 291;* GEN. *100 - 104.*

15) Forte hoc titulo in Societate Jesu, cujus est voluntatem mactare Deo, obedientia præstanda erit in omnibus, quæ non sint illicita: ceterum theologi ex eadem Societate docent in his consilium dari obtemperandi, non verum præceptum. Cf. LEHMK. *Num. 537;* PALM. *176.*

16) Quæ in contrarium afferri solent exempla, forte fini proprio instituti respondent, nisi spectent ad obedientiam voluntariam. PALM. *Num. 175.*

Resp. 1.° Nulla habetur differentia relate ad efficaciam et extensionem obligationis: hæc in eadem materia est æque gravis vel levis in utrolibet.

2.° Inter utrumque habetur differentia accidentalis; quod in voto simplici facilius a Sancta Sede dispensatur, quam in solemni.

3.° Utrum differentia habeatur circa efficaciam validitatis actuum, inter theologos non convenit [17]. Censemus differentiam haberi analogam ad eam, quæ habetur in votis paupertatis et castitatis. Sicut vi istorum regularis nihil habet suum in bonis fortunæ, ac in ipsum suum corpus nihil juris habet in ordine ad actus venereos, ita regularis vi voti obedientiæ non habet amplius « *nec velle nec nolle* »; ideoque omne jus amittit disponendi valide de ipsa sua voluntate in iis materiis, ad quæ sese extendit potestas Superioris super ipsum: hoc votum solemne in his materiis est perfecta sui ipsius abnegatio ac totalis traditio sui in beneplacitum Dei. Juxta hanc expositionem censemus omnes obligationes, quæ a regulari vel a moniali assumantur voluntate propria in materia potestati Superioris obnoxia irritas esse et nullas.

Inde est quod, dum actus contrarii voto simplici obedientiæ post ipsum positi essent illiciti, contrarii voto solemni, si sint irritabiles, sunt etiam invalidi. Ceterum theologi asserunt Superiori, etiam in religione votorum simplicium, jus irritandi quascumque obligationes et ipsa vota personalia, et quidem in antecessum.

Qu. 2. Quibusnam Superioribus obedire teneatur religiosus vi voti obedientiæ?

Resp. 1.° Obedire debet, nedum Superioribus majoribus, ut sunt minister generalis aut provincialis, sed et subalternis, quibus a majoribus communicata fuit auctoritas præcipiendi. Hi autem sunt Superiores cujuscumque domus; non autem qui eorumdem sint quodammodo officiales, ut essent vicarii, vicepriores, supplentes. Verum, si agatur de superioribus domus exiguæ, vix aut nec vix quidem opportunum est quod ab his præcepta formalia subditis imponantur.

Eadem ratione moniales suis Antistitis obedire debent, quippe quæ in subditas habent potestatem dominativam: item tum religiosæ, tum religiosi ab Ordinarii loci auctoritate non exempti, Episcopo obedire tenentur vi voti.

2.° « Religiosi omnes, tamquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici, cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiæ » [18].

Qu. 3. Utrum religiosus teneatur obedire in dubio num res præcepta licita sit, vel num in materia voti contineatur?

Resp. In dubio negativo, *affirmative* ad utrumque: ratio est quia præsumptio favet Superiori. — In dubio positivo, iterum *affirmative* ad primam partem: Superior enim jus habet præcipiendi id, quod probabiliter licitum est; ergo et jus habet ut in tali præcepto obedientia sibi

17) Cf. Ferreres *Num. 226 Qu.* ; Verm. *289.*
18) Codex *Can. 499 § 1.*

præstetur 19. Quoad alteram partem, plures censent subditum non teneri; cum ipse sit in possessione suæ libertatis, dum Superioris possessio est aliquo modo incerta. Hinc dicunt non teneri, si dubitet num Superior legitimus sit, vel num res præcepta potestatem Superioris excedat, præsertim si hæc dura sibi sit aut molesta.

Qu. 4. Utrum actus mere interni possint esse materia obligatoria voti obedientiæ ?

Resp. Communius theologi negant, innixi auctoritati S. Thomæ docentis quod « religiosi profitentur obedientiam quantum ad regularem conversationem;.... et ideo quantum ad illa solum obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere » 20. Plures vero affirmant, eo quod potestas Prælati spiritualis est, et ad animarum bonum ordinata; ad quem finem conducunt in primis actus interni. Practice hi actus erunt materia positive dubia; quare argui de peccato non poterit religiosus, qui in his non obediat; certe poterunt esse materia obedientiæ efficacius conducentis ad finem status religiosi, ac proinde valde meritoriæ.

Huc pertinet opera quædam pia valde utilia ac meritoria, ut essent actus heroicus caritatis erga animas defunctorum, examina conscientiæ, passionis Christi meditatio, et similia. Huc in plerisque institutis pertinebat etiam intima cordis et conscientiæ manifestatio Superiori facienda. Verum res recenter mutata : « Omnes religiosi Superiores (et Antistitæ) districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiæ manifestationem sibi peragendam; non tamen prohibentur subditi 20, quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant ».

Qu. 5. Quandonam religiosus censendus sit graviter peccare in violatione voti obedientiæ ?

Resp. Ad habendum peccatum mortale, præter plenam mentis advertentiam et deliberatum consensum, duo requiruntur : primum, quod Superior præcipere voluerit *sub gravi,* suamque voluntatem aperte intimaverit, puta, per verba « in virtute sanctæ obedientiæ », aut « in nomine Jesu Christi » : alterum, quod res præcepta vere gravis sit, aut ex seipsa, aut ex fine intento a Superiore. Quæ duo cum rarissime verificentur, rarissime religiosus peccabit contra obedientiam mortaliter.

Ceterum peccare posset graviter aliunde; nempe, si Superiori arroganter respondeat « non obedio », si ejus auctoritatem formaliter contemnat, si grave aliis scandalum præbeat, etc. 22.

19) Palmieri *Num. 88;* Verm. *295* Lehmk. *Casus 333-33c.* Contra putat Lessius *Cap. XLI.*

20) S. Thomas *2. 2. Qu. 104 art. 5.* — Cf. Vermeersch *Num. 293.*

21) Codex *Can. 530.*

22) Circa malitiam specificam peccatorum contra obedientiam vide Genicot *Num. 104;* Palm. *165, sequ.;* Verm. *299.*

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM

372. Status religiosus cum sit « flos ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis », eumque sancte profitentes sint « illustrior portio gregis Christi » [1], jam a suis exordiis Ecclesia eum specialibus honoribus augere consuevit; ut inter ceteros fideles præcellant, qui singularibus aureolis exornandi sunt in cœlis.

Hæc religiosorum privilegia juxta actualem disciplinam paucis innuemus; cum hæc materia potissimum ad Jus canonicum et ad particularia institutorum jura pertineat.

1.° Non modo regulares et moniales, sed religiosi et sorores votorum simplicium, ac utrorumque novitii et laici intra claustra commorantes, gaudent privilegio canonis et fori, eadem ratione ac clerici.

2.° Ordines regulares virorum subsunt immediate jurisdictioni Romani Pontificis; ideoque ipsi regulares, novitiis non exclusis, exempti sunt a jurisdictione Ordinarii loci; Prælati autem regulares in suis monasteriis et ecclesiis habent jurisdictionem quasi episcopalem. Dicimus: *Ordines;* etenim domus non formata manet sub peculiari vigilantia Ordinarii loci [2].

Insuper quamplures sunt casus, in quibus regulares, a jurisdictione Episcopi exempti, Episcopo subduntur, aut tamquam delegato Sedis Apostolicæ, aut ratione materiæ: de quibus Canonistæ.

3.° Moniales (in ordinibus votorum solemnium) generatim subsunt Ordinario loci; quæ vero subsint Superioribus regularibus, adhuc sunt sub vigilantia Ordinarii loci relate ad clausuram. Item Episcopo loci communiter subsunt religiones votorum simplicium, etiam quæ sint juris pontificii; at cum quibusdam limitationibus [3].

4.° Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in diœcesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quærere valent de sola Superiorum suorum licentia: extra diœcesim vero indigent præterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt. Hanc licentiam Ordinarii locorum, præcipue diœcesium finitimarum, nisi gravibus et urgentibus de causis, ne denegent neve revocent, si religiosa domus ex mendicatione in sola diœcesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit [4].

Hæc intelligenda sunt tantum de religiosis mendicantibus stricto sensu dictis; non de illis, qui latiori sensu tales appellantur, uti sunt Fratres ordinis Prædicatorum [5].

5.° Ad instar privilegii communitatibus religiosis largiti habendæ sunt restrictiones administratoribus intimatæ circa debita contrahenda [6].

1) S. CYPRIANUS *De disciplina et habitu virginum Cap. II.*
2) CODEX *Can. 615-617.*
3) CODEX *Can. 603, 118, 119.*
5) CODEX *Can. 621.*
5) Comm. Pont. ad C. C. interpr. die 16 octobris anno 1919, apud *Acta Apost. Sedis* XI. pag. 478.
6) CODEX *Can. 536;* S. Congr. *De relig.* 30 julii anno 1909.

TRACTATUS TERTIUS

DE CENSURIS

373. Quod Ecclesiæ competat potestas coactiva, qua valeat violatores suarum legum pœnis coërcére, theologi demonstrant, tum ex ipsa natura societatis perfectæ, tum ex collata Ecclesiæ plena potestate legifera, tum ex ipsa praxi universali et constanti Ecclesiæ. Hanc potestatem Christus ei contulit expresse per ea verba: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cælo* [1]. Eâ usi sunt S. Petrus contra Ananiam et Saphiram, ac S. Paulus contra Corinthium incestuosum, Elymam magum et Hymeneum ac Alexandrum blasphemos; eâque usos esse Pontifices et Episcopos in ipsa Ecclesia primitiva novimus ex historia. Hanc potestatem collatam fuisse Ecclesiæ divinitus, adeo constat, ut « si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur », hæc punitio data ab Ecclesia dicatur esse « *censura divina.... summumque futuri judicii præjudicium* [2].

Iidem theologi docent jus coactivum Ecclesiæ non coarctari ad pœnas spirituales, sed et ad corporales extendi; quod demonstrant ex eo, quod Ecclesia potestatem puniendi habet in suo genere plenam, punitio autem corporalis per se indoli Ecclesiæ non obstat, et aliunde naturæ corporæ subditorum respondet et ad finem ipsius. Ecclesiæ consequendum conducere potest [3]. Accedit factum historicum, quod Ecclesia hujusmodi pœnas corporales jamdiu infligere consuevit.

Præter antiquiores, potestatem coactivam Ecclesiæ impugnarunt Novatores, Janseniani, Pistorienses, ac recentes liberales et modernistæ; quorum omnium doctrinas damnarunt Romani Pontifices. Nunc « de fide est, quod Ecclesia potestatem habet ferendi censuras » [4].

374. Cum olim quamplures censuræ indeterminatæ et incertæ ex variis Juris fontibus a theologis recenseri solerent, opportune Pius IX eas in catalogum redegit in celebri Constitutione *Apostolicæ Sedis* data die 12 octobris anno 1869.

Recentius accessit Jus novissimum, promulgatum die festo Pentecostes (27 maji) anno 1917, per Codicem vim legis habentem a die festo Pentecostes (19 maji) anno 1918. In eo nonnullæ inductæ sunt mu-

1) MATTH. *XVIII. 17, 18.* — Cf. KNABENBAUER *Cursus. . . In Mt. h. l.*
2) TERTULLIANUS *Apologeticum Cap. 39.*
3) PALMIERI *De Rom. Pont. - Proleg. De Ecclesia XIX.*; BIANCHI *Della potestà della Chiesa;* TARQUINI *Instit. Juris eccles. publici Sect. II. Cap. I* — Cf. et CODEX *Can. 2214 § 1.*
4) S. LIGORIUS *Lib. VII. Num. 9.*

tationes circa theorias ac normas generales de censuris: at insuper novus novo ordine catalogus redactus fuit, in quo quædam censuræ antea exsistentes omittuntur vel mutantur, quædam novæ statuuntur. Simul vero in eo decernitur: « Quod ad pœnas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio,.... eæ tamquam abrogatæ habeantur » 5.

Inde naturalis ordo tractationis. Primum sub titulo « De censuris ex Codice » trademus normas generales; dein sub titulo « censuræ hodie vigentes » dabimus catalogum omnium censurarum, sequentes ordinem illum, quem censuræ habebant in Constitutione *Apostolicæ Sedis* 6.

SECTIO PRIMA
DE CENSURIS EX CODICE

CAPUT I.

QUÆ SUNT OMNIBUS CENSURIS COMMUNIA

375. *Censura,* in re nostra, est « pœna, qua homo baptizatus, delinquens et contumax quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur donec, a contumacia recedens absolvatur ». *Can 2241 § 1.*

Hinc: *a*) Censura est *pœna,* qua ab auctoritate ecclesiastica punitur homo baptizatus; qui commiserit *delictum,* h. e., gravem et externam et moraliter imputabilem legis violationem; in quo delicto delinquens contumax sit contra legem, et virtualiter contra legis auctorem. — *b*) Pœna consistit in *privatione quorumdam bonorum spiritualium,* quæ fideles habent ab Ecclesia (sacramenta, sacramentalia, suffragia, indulgentiæ, etc.), vel etiam *temporalium* quæ sint spiritualibus adnexa (beneficia ecclesiastica, pensiones, etc.) — *c*) Ea pœna est *medicinalis,* h. e., principaliter ad hoc ordinata ut delinquens resipiscat ac ita a contumacia recedat; sub qua tantummodo conditione, censura cessabit per absolutionem a legitimo Superiore concessam.

376. Tres censurarum species distinguuntur: *a*) Excommunicatio, *b*) interdictum, *c*) suspensio. — De singulis breviter; ea in primis spectantes, quæ ad rem moralem, magis quam ad canonicam pertinent.

5) Codex *Can. 6 n. 5.*

6) Utemur, tum auctoribus Theologiæ moralis, tum commentariis editis in *Const.* « *Apost Sedis* » a Pennacchi, Avanzini, Bucceroni, D'Annibale; tum recentissimis Cerato *Censuræ vigentes ipso facto a Codice J. C.;* Cappello *De censuris juxta Codicem I. C.; Jac.* Sole *De delictis et pœnis. Prælectiones in Lib. IV. Cod. I. C.;* Noldin *De pœnis ecclesiasticis.*

Spectato auctore immediato, censuræ: *a*) Aliæ sunt *a jure*, h. e., in ipsa lege statutæ et sancitæ. — *b*) Aliæ sunt *ab homine*, h. e., a Superiore in singulis casibus impositæ per modum statuti vel præcepti.

Spectato autem modo, quo infliguntur, censuræ: *a*) Aliæ sunt *sententiæ latæ;* quæ, scil., objective jam exsistunt in lege vel præcepto, adeo ut per ipsam delicti perpetrationem incurrantur ipso facto, absque ullo actu ex parte Superioris. — *b*) Aliæ sunt *sententiæ ferendæ;* quæ, post patratum delictum, a Superiore per sententiam condemnatoriam infliguntur: ceterum etiam quoad priores ferri potest sententia judicialis declaratoria. Utraque sententia ferri potest ab auctoritate suprema Apostolicæ Sedis, vel ab auctoritate inferiori Ordinarii, aut Superioris in religione clericali exempta, sive per se sive per delegatum.

Spectato effectu, censuræ aliæ sunt sacramentorum susceptionem *impedientes;* aliæ *non impedientes*. — Clericus suspensus, a contumacia recedens et rite dispositus, absolvi potest a peccatis et sacram Communionem accipere, quin absolvatur a suspensione.

377. Subjectum capax censuræ est quilibet homo baptizatus, exceptis quoad censuras *sententiæ latæ* impuberibus. Ut hic de facto censuram contrahat, necesse est quod deliquerit: si deliquit contra legem (vel statutum) sancitam censurâ *sententiæ latæ*, censuram ipso facto incurrit: si contra aliam (vel aliud), necesse est quod censura ei a legitimo Superiore per sententiam infligatur. In utroque casu necesse est quod ejus delictum fuerit grave, et quidem prout fuit externum, nedum objective, sed et subjective ex parte intellectus et voluntatis; ac demum fuerit realiter consummatum, non mere attentatum [1].

Admisso et consummato delicto obiective gravi, a censura *sententiæ latæ* eximere quandoque potest « quælibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis ». — *a*) Ex parte intellectus, numquam excusat ignorantia affectata: ignorantia crassa vel supina tunc tantum excusat, cum lex habet verba « *præsumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* »: ignorantia inculpabilis aut leviter culpabilis excusat semper; at non excusat ebrietas, omissio debitæ diligentiæ, mentis debilitas, impetus passionis, si imputabilitatem quidem minuat, at gravem ab actione reatum non tollat. — *b*) Ex parte voluntatis eximit metus, qui fuerit gravis et efficax; modo delictum non vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticæ auctoritatis, vel in publicum animarum damnum [2].

Relate ad cooperatores, Jus novissimum norma generali statuit ut censuram, imo quamlibet pœnam jure statutam, incurrant: *a*) Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, nisi adjuncta alicujus culpabilitatem minuant; *b*) in delicto, quod sua natura complicem postulat, unaquæque pars quæ sit eodem modo culpabilis; *c*) præter ipsum delicti exsecutorem, non solum mandans, sed

1) Codex *Can. 2330, 2242 § 1 2209.*
2) Codex *Can. 2229 § 3 n. 3.* — Cf. Noldin *Num. 23-25.*

etiam qui ad delicti consummationem inducunt, vel in hanc quoquo modo concurrunt 3. — Inde explicatur qua ratione in singulis censuris cooperatores expresse raro recenseantur.

378. Cessatio censuræ non alio modo haberi potest, quam per absolutionem datam a legitimo Superiore, postquam reus resipuerit. Sub hoc respectu, censuræ aliæ sunt *reservatæ*, aliæ non *reservatæ*. Censura *ab homine* (seu ejus absolutio) reservata est ei qui ipsam inflixit ejusve Superiori competenti vel successori aut delegato. E censuris latis a jure communi novissimo, aliæ reservatæ sunt *Apostolicæ Sedi simpliciter*, aliæ *speciali*, aliæ *specialissimo modo;* quædam reservatæ sunt *Ordinario;* quædam *nemini*. — At dantur concessiones:

1.ª Si censuratus versetur in periculo mortis, omnes sacerdotes facultatem habent ipsum absolvendi a censuris utcumque reservatis; injuncta tamen obligatione recurrendi, si convaluerit, et quidem sub pœna reincidentiæ, ad illum qui censuram tulit, si hæc erat *ab homine;* ad S. Pœnitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate præditum, si censura erat *a jure* et Sedi Apostolicæ specialissimo modo reservata; eorumque mandatis parendi 4. Id potest quilibet sacerdos, etsi præsens sit approbatus.

2.ª Si censuratus versetur in casu urgentiori, et teneatur censurâ *sententiæ latæ* quæ exterius servari nequeat sine periculo gravi scandali vel infamiæ, aut durum ei sit in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali a censuris quoquo modo reservatis eum absolvere potest, injuncto onere recurrendi, sub pœna reincidentiæ, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium ad S. Pœnitentiariam vel ad Episcopum aliumve præditum facultate, et standi ejus mandatis. Quod si forte hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest absolutionem concedere sine eo onere, injunctis de jure injugendis et imposita congrua pœnitentia pro censura, sub pœna reincidentiæ 5.

Tum in casu censuræ non reservatæ, tum in casu censuræ reservatæ, at in prædictis concessionibus inclusæ, confessarius in foro interno sacramentali non potest absolvere a censura (et a peccato censuræ obnoxio) pœnitentem, qui de eo peccato doleat, at non de aliis. E contra in foro externo vel in foro interno non sacramentali sacerdos absolvere posset ab una censura, permanentibus, nedum aliis censuris, sed et peccatis: sed de his Canonistæ. Quod, « si agatur de censura quæ non impedit Sacramentorum receptionem, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura » 6.

3) Codex *Can. 2231* coll. *Can. 2209 1, 2, 3.* — *Cf.* Cerato *10;* Sole *Op. cit.* pag. 209.
4) Codex *Can. 882, 2252.*
5) Codex *Can. 2254 1, 3.* — De unica exceptione vide quæ dicimus *Num. 405 Qu. 3.*
6) Codex *Can. 2250* § *1.* — Cf. Cappello *Num. 2830;* Cerato *18-26.*

CAPUT II.

QUÆ SUNT CENSURIS SPECIE DIVERSIS PROPRIA

ART. I. — De excommunicatione

379. « Excommunicatio est censura, qua quis excluditur a communione fidelium, cum effectibus qui in canonibus qui sequuntur enumerantur, quique separari nequeunt ». *Can. 2257 § 1.*

Itaque: *a*) Est censura, seu pœna spiritualis medicinalis homini baptizato et delinquenti inflicta ab Ecclesia. — *b*) Hæc pœna excludit delinquentem a communione fidelium, ipsum a fidelibus segregans, tum ad ipsum puniendum, tum ne alii ejus communione inficiantur [1]. — *c*) Effectus excommunicationis est privatio communionis quoad ea bona, quorum distributio pertinet ad Ecclesiam et quæ fidelis habet ab Ecclesia; non quoad bona interna, ut sunt gratia sanctificans, gratiæ actuales, virtutes; nec quoad bona externa, quæ spectant ad communionem Sanctorum, ut sunt preces privatæ fidelium.

§ 1. — De exclusione a communione fidelium.

380. Ejusmodi exclusio relate ad personam excommunicatam semper est totalis et absoluta: quilibet excommunicatus tenetur vitare communionem cum fidelibus. At relate ad obligationem fidelium vitandi communionem cum excommunicato, ea exclusio gradus habet, secundum quos inter excommunicatos triplex habetur classis.

a) Quidam sunt excommunicati *vitandi* absolute; qui, nempe, fuerint excommunicati nominatim a Sede Apostolica excommunicatione publice denuntiata, in cujus decreto vel sententia expresse dicatur ipsos vitari debere. — *b*) Alii sunt *vitandi secundum quid* (vel *tolerati secundum quid*); qui, nempe, excommunicati fuerint Sedis Apostolicæ decreto vel sententia non publice denuntiata, aut sine clausula quod vitari debeant, vel excommunicati fuerint per sententiam latam ab auctoritate inferiori. — *c*) Ceteri omnes non sunt *vitandi;* sunt *tolerati* simpliciter [2].

Fideles non tenentur vitare *tolerados* simpliciter: *vitandos* absolute tenentur vitare in divinis et per se *sub gravi*. Tenentur vitare etiam in profanis: at non conjux, parentes, liberi, famuli, subditi; imo nec ceteri, si rationabilis causa excuset: *vitandos* (vel *toleratos*) *secundum quid* tenentur vitare in sacris, nisi causæ speciales habeantur, de quibus suis in locis.

Excommunicatio, præsertim qua excommunicatus decernitur esse *vitandus*, habetur tamquam maxima inter pœnas canonicas, ultra quam

1) S. Thomas *2. 2. Qu. 10 art. 9.*.

2) Codex *Can. 2258.* — Una exceptio, de qua *Num. 401, sequ.*

Ecclesia non habet ultra quid faciat. Inde est quod quandoque dicitur « *anathema* », præsertim si cum solemnitatibus infligatur, quæ in Pontificali Romani describuntur: eo plectuntur in primis non credentes ea quæ ab Ecclesia definita sunt.

§ II. — De effectibus excommunicationis.

Jure novissimo novem sunt; qui cum separari nequeant, eos omnes subit excommunicatus, sive vitandus, sive toleratus, nisi aliud quandoque expresse caveatur.

381. — **1.** Excommunicatus quilibet caret jure adsistendi divinis officiiis; h. e., illis functionibus potestatis Ordinis, quæ de instituto Christi vel Ecclesiæ ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt [3].

Dato quod forma « caret jure » æquivaleat verbo « prohibetur »: *a*) Excommunicatus etiam toleratus peccat adsistendo Missæ, Vesperis solemnibus, solemni processioni, benedictioni cum SS. Sacramento. — *b*) Si qui adsistit sit excommunicatus vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum; dummodo id fieri possit sine gravi incommodo: e contra non necessario expellendus est toleratus. — *c*) Ab adsistentia activa, puta diaconi in Missa solemni, patrini in Baptismo vel Confirmatione, expellendus est etiam quilibet excommunicatus post sententiam (a quacumque auctoritate) condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie excommunicatus, licet toleratus. — *d*) Excommunicatus quilibet potest adsistere prædicationi verbi Dei: quippe quæ proprie non est officium divinum [4].

384. — **2.** Excommunicatus, etiam toleratus, prohibetur sacramenta recipere: imo, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, nec sacramentalia [5].

a) Excommunicatus etiam toleratus illicite reciperet sacramenta Eucharistiæ, Ordinis, Matrimonii: reciperet tamen valide; imo valide reciperet etiam sacramentalem absolutionem, nisi mala fide accedat [6]. — *b*) Sacerdos scienter sacramentum ministrans excommunicato tolerato peccat peccato cooperationis ad peccatum recipientis; ministrans vitando peccat etiam, et graviter contra legem Ecclesiæ. — *c*) Excommunicatus post sententiam non debet petere aut accipere benedictiones, quæ habentur in Rituali, exorcismos, etc.

383. — **3.** Excommunicati post sententiam condemnatoriam

3) Codex *Can. 2259 1, 2256 n. 1.*
4) Codex *Can. 2259 1.* — Cf. Noldin *Nm. 4*D.
5) Codex *Can. 2260 § 1.*
6) Ballerini *245, sequ.;* Noldin *38* D'Ann. *Summ.* I. *360, 3.*

vel declaratoriam privantur sepultura ecclesiastica; nisi ante mortem aliqua dederint pœnitentiæ signa [7].

a) Qui moriantur excommunicati, at non vitandi nec post sententiam, non viderentur absolute a sepultura ecclesiastica excludendi, licet sint excommunicati notorie: præsertim, si gravia inde scandala aut alia mala timeantur. — *b*) Ut excommunicatus etiam vitandus sepultura ecclesiastica donetur, satis est quod aliqua dederit pœnitentiæ signa, etsi sacramenta non acceperit, sacerdotem non arcesserit: parochus assertionibus familiarium acquiescat. — *c*) Per sepulturam excommunicati vitandi etiam *secundum quid* (absque signis pœnitentiæ) cœmeterium polluitur [8].

382. — **4.** Excommunicatus quilibet non potest sacramenta et sacramentalia conficere et ministrare; exceptis casibus, in quibus fideles jus habeant petendi (et petant), aut necessitatem habeant accipiendi [9].

a) Sacramenta valide conficiuntur a sacerdote excommunicato etiam vitando: excipienda *per se* sacramentalis absolutio. — *b*) Tamen sacerdos etiam toleratus conficiens aut ministrans sponte sacramenta aut sacramentalia, peccat mortaliter; inde obligatio gravis comparandi sibi, nedum statum gratiæ, sed et absolutionem ab excommunicatione. — *c*) Fideles, si sint in periculo mortis, licite petunt absolutionem etiam ab eo sacerdote, quem sciant esse excommunicatum vitandum vel post sententiam; item et Eucharistiam, Extremam Unctionem et animæ commendationem, si alii desint ministri: hinc excommunicatus etiam vitandus ea potest licite ministrare: imo etsi petitus non fuerit; puta si agatur, de moribundo usu sensuum carente. — *d*) Ab excommunicato tolerato simpliciter fideles ex qualibet justa causa possunt petere sacramenta et sacramentalia: tunc et ille licite potest petitioni fidelium acquiescere: at peccat mortaliter sacerdos excommunicatus etiam toleratus, si sponte sedeat in tribunali Pœnitentiæ aut Eucharistiam sponte distribuat [10].

385. — **5.** Excommunicatus, etiam toleratus, non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiæ precum [11].

a) Si fideles, rei ignari, pro defuncto realiter excommunicato lucrari intendant eique applicare indulgentias, nihil hæ prosunt defuncto, etsi obierit toleratus et in gratia. — *b*) Pro vivente excommunicato vitando fideles possunt privatim orare: at fieri nequeunt preces publicæ

7) Rituale Rom. *Tit. VI. Cap. II. 3;* Codex *Can. 1240 § 1 n. 2.*
8) Codex *Can. 1207,* coll. *Can. 1172 § 1 n. 4.*
9) Codex *Can. 2261.*
10) Codex *Can. 2261,* coll. *Can. 882, 2252.*
11) Codex *Can. 2262 § 1.*

in ecclesia, puta ut a morbo convalescat, vel ut a mala vita convertatur. — *c*) Sacerdos pro excommunicato tolerato vivente aut defuncto potest Missam applicare ac pro ea stipendium accipere: quid, præsertim defuncto, juvabit, Deus novit: applicare non potest pro vitando defuncto; pro vivente ad ejus conversionem tantum [12]. — *d*) Ipse excommunicatus orare quidem potest et utiliter; at indulgentias suis precipus adnexas consequi non valet; et hoc, etsi per actum contritionis gratiam recuperaverit. — *e*) Non privatur fructu essentiali Missarum.

386. — **6.** Excommunicatus, *a*) removetur ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis definitos; *b*) nequit in causis ecclesiasticis agere; *c*) prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi; *d*) concessisque antea privilegiis frui [13].

a) Excommunicatus etiam toleratus non potest munus gerere administratoris bonorum ecclesiasticorum, partes agere judicis, auditoris, etc.; si munus patrini agat in sacramentis Baptismi et Confirmationis, peccat; at non inde repellendus, nisi sit excommunicatus per sententiam; nequit suffragium ferre in electione parochi aut canonici, nec jus patronatus exercere. — *b*) Qui sit excommunicatus vitandus, aut post sententiam, poterit per se agere tantum ad impugnandam justitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis: per procuratorem agere potest ad aliud quodvis animæ suæ præjudicium avertendum: in reliquis ab agendo repellitur [14]. — *c*) Excommunicatus etiam toleratus fungi nequit officio quod jam habeat, vicarii parochialis, œconomi spiritualis, etc. — *d*) Idem, si a S. Sede impetravit privilegium Altaris, aut facultatem absolvendi, benedicendi, libros prohibitos legendi, etc., hisce uti nequit post contractam excommunicationem.

387. — **7.** Excommunicatus quilibet prohibetur ponere actum jurisdictionis fori tam externi quam interni; si est excommunicatus vitandus aut post sententiam, ejus actus est etiam invalidus: si est excommunicatus toleratus simpliciter, ad actus validitatem et liceitatem sufficit fidelium petitio [15].

a) Excommunicatus etiam toleratus peccat, si leges ferat aut censuras, aut conferat beneficia, aut quempiam absolvat a censura. — *b*) Hi actus invalidi sunt, si ponantur ab excommunicato vitando vel ab alio excommunicato post sententiam; validi sunt, si a tolerato simpliciter. — *c*) Sacerdos, qui post absolutum complicem confessiones excipiat, absolvit valide, et si a fidelibus petatur, etiam licite.

388. — **8.** Quilibet excommunicatus: *a*) Prohibetur jure eli-

12) Codex *Can. 2262 § 2 n. 1, 2.* — Cf. Cenn. *Consult mor. CXXXII.*
13) Codex *Can. 2263.*
14) Codex *Can. 1654.*
15) Codex *Can. 2264.*

gendi, præsentandi, nominandi; *b*) nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia; *c*) promoveri nequit ad Ordines. *d*) Electio, præsentatio, nominatio, atque dignitatis, officii, etc., consecutio, quæ fiat ab eo, qui est excommunicatus vitandus sive absolute sive *secundum quid*, est invalida; ipse insuper nullam gratiam pontificiam valide consequi potest, nisi in pontificio rescripto mentio de excomunicatione fiat [16].

a) Excommunicatus toleratus valide eligit, præsentat, nominat; at illicite. — *b*) Idem illicite acciperet beneficium parochiale vel canonicale, at valide: hinc uterque faceret fructus suos, parochus valide Matrimoniis adsisteret. Idem valide acciperet gratias et dispensationes omne genus a Sede Apostolica [17]. — *c*) Excommunicatus quilibet prohibetur *sub gravi* Ordinem quemlibet recipere; at reciperet valide etiam excommunicatus vitandus. — *d*) Qui ad beneficium vel officium aut dignitatem electus aut præsentatus, aut nominatus fuit ab excommunicato vitando, licet *secundum quid*, hic electus, præsentatus, nominatus fuit invalide [18]: quare canonicus beneficiatus non facit fructus suos; parochus non est parochus, et proinde invalide *per se* suis muneribus jurisdictionem supponentibus fungitur [19]. Idem excommunicatus invalide canonicatum vel officium et beneficium parochiale accipit, nec facit fructus suos, nec munia parochialia valide *per se* exercet. — *e*) Idem excommunicatus vitandus, licet *secundum quid*, invalide impetraret a Pontifice nominationem ab beneficium, dispensationem ab irregularitate vel ab impedimento matrimoniali; excepto casu, quo in rescripto mentio fiat de excommunicatione.

389. — **9.** Excommunicatus vitandus *secundum quid* non privatur dignitate, officio, beneficio, pensione, munere, quod habeat in Ecclesia, sed fructibus tantum: excommunicatus absolute vitandus privatus manet ipsa dignitate, officio, beneficio, etc. [20].

a) Hæc spectant ad dignitatem, officium, beneficium, etc., quod excommunicatus jure habeat ante sententiam excommunicationis: eam dignitatem jure retinet excommunicatus toleratus *secundum quid*, fructus amittens: vitandus amittit ipsam dignitatem, ect. — *b*) Excommunicatus

16) Codex *Can. 2265;* coll. *Can. 145, 396, 1409,* etc.

17) Codex *Can. 36* § *1.*

18) Imo electio invalida est etiam si inter plures ad officium vacans eligentes vel unus scienter admittatur, qui sit *absolute* vel *secundum quid* excommunicatus vitandus. Codex *Can. 167* § 2.

19) Dicimus: *per se. Nom* « in errore communi... judisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno ». Codex *Can. 209.* At in casu haud facilis erit error communis.

20) Codex *Can. 2266.*

toleratus simpliciter potest eam dignitatem retinere, ejusque fructus suos facit, etiam licite.

ART. II. — De interdicto

390. *Interdictum* est « censura, qua fideles prohibentur usu quorumdam sacrorum » 21.

391. Sacra hæc sunt triplicis classis: *a*) Officia divina; *b*) sacramenta quædam; *c*) ecclesiastica sepultura 22. Per interdictum prohibetur eorum positio ex parte ministri.

Spectato subjecto: *a*) Interdictum est *personale*, quod afficit immediate personas, sive prout sunt in communi, ut congregatio, parœcia; sive in individuo, ut sunt personæ determinatæ; in primo casu dicitur *generale*, in altero *speciale*. — *b*) Interdictum est *locale*, quod immediate afficit locum, sive latæ extensionis, ut regnum, provinciam, vicariatum apostolicum, diœcesim, urbem; sive locum determinatum, ut ecclesiam, altare, cœmeterium: in primo casu dicitur *generale*, in altero *particulare*. — Interdictum personale afficit personas, ubicumque sint: locale afficit locum et quotquot in eo sint.

Tum S. R. E. Cardinales, tum Episcopi, sub pœna interdicti (ac suspensionis) *latæ sententiæ* non comprehenduntur, nisi expresse nominentur 23.

Quia interdictum est censura, supponit delictum: at afficere potest etiam innocentes, sive qui sint in communitate interdicta, sive qui in loco interdicto: item potest esse pœna vindicativa.

392. Quoad effectus interdicti quod sit censura, damus præcipuos, cum res magis ad Jus canonicum quam ad Theologiam moralem spectet; neque casus frequentiores sint. Advertimus effectus esse separabiles; quinam vero in lato interdicto comprehendantur, quandoque habetur in ipso jure, plerumque in sententia condemnatoria. — Summatim:

Interdictum locale generale prohibet divina officia ac sacros ritus in eo loco fieri: at non prohibet sacramenta et sacramentalia morientibus. Exceptiones admittit quoad festa præcipua; item quoad ecclesias principaliores; nec prohibet divina officia ac ritus fieri privatim in ecclesia aut oratorio clausis januis. Interdictum ecclesiæ vel altaris prohibet in eo officia et ritus sacros: interdictum cœmeterii prohibet ne in eo cadavera, hominum quoque non interdictorum, ecclesiastico ritu sepeliantur 24.

Interdictum personale prohibet interdictis, ne divinis officiis adsistant: interdicti post sententiam, aut tales notorie, repellendi prorsus

21) Codex *Can. 2268 § 1.*
22) Codex *Can. 2270-2277.* — Plura D'Ann. I. *Num. 369-378;* Ball. *548, sequ;* Cappello *Num. 144-152;* Cerato *40-48.*
23) Codex *Can. 2227 § 2.*
24) Codex *Can. 2270, 2271, 2272.*

sunt ab adsistentia activa; illi privandi quoque sunt sepultura ecclesiastica, nisi ante mortem aliqua dederint pœnitentiæ signa. Interdicti omnes prohibentur sacramenta et sacramentalia conficere, ministrare, recipere: at sacramenta recipere possunt qui interdicto locali, vel lato in communitatem, causam non dederint 25.

Datur et interdictum ab ingressu ecclesiæ: hoc secum fert prohibitionem celebrandi in ecclesia divina officia aut iisdem adsistendi, non vero prohibitionem ingrediendi: item prohibet in ea ecclesiasticam sepulturam 26.

ART. III. — De suspensione

393. *Suspensio* est « censura, qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur » 27.

394. Subjectum suspensionis est tantum clericus, et quidem in sacris 28, qui deliquerit: si suspensio in illum fertur ut resipiscat, ea est proprie censura; si pro delicto mere præterito et non habente tractum successivum, est pœna vindicativa.

De prima nobis agendum. — Si clericus delictum perpetret, contra quod habetur suspensio *sententiæ latæ*, eam incurrit ipso facto; at quandoque intercedere potest de incursa suspensione sententia declaratoria. Si delictum perpetret prohibitum sub suspensione *sententiæ ferendæ*, necesse est intercedere sententiam condemnatoriam.

395. Relate ad effectus, suspensio est omnino *totalis*, quæ prohibeat quodcumque officium et beneficium: si aut quodcumque officium aut quodcumque beneficium, est *totalis secundum quid*. Insuper, quia effectus suspensionis separari queunt, prohibere potest unum aut alterum officium, (celebrationem Missæ, exceptionem confessionum, collationem Ordinis, etc.), aut unum e pluribus beneficiis: tunc suspensio est *partialis*.

Clericus, suspensus ipso facto et absque ulla sententia a sacramentis vel sacramentalibus ministrandis, licite ea ministrat ad petitionem fidelium; qui suspensus sit per sententiam, valide et licite sacramentalem absolutionem impertit fideli versanti in periculo mortis: cetera sacramenta et sacramentalia licite ministrat, si alii desint ministri. At suspensus per sententiam invalide absolveret ceteros fideles, præter exsistentes in periculo mortis 29: excipe casum erroris communis.

Item clericus, suspensus ipso facto et absque sententia a jurisdictione, illicite sed valide eligeret aut præsentaret parochum; invalide vero,

25) Codex *Can. 2275, 2260, § 1, 2265, 1240 § 1. n. 2.*
26) Codex *Can. 2277.* — Cf. Ball. *Num. 566.*
27) Codex *Can. 2278 § 1.*
28) D'Annibale *Summ.* I. *Num. 379;* Ball. *503.* — Non comprehenduntur Cardinales et Episcopi, nisi expresse nominentur. Codex *Can. 2227 2.*
29) Codex *Can. 2284,* coll. *Can. 2261.*

si suspensus fuerit per sententiam 30. Parochus, suspensus a jurisdictione, licite baptizaret, Extremam Unctionem conferret, imo et Matrimoniis adsisteret.

396. Quot et quinam sint effectus cujuscumque suspensionis in concreto, desumendum a terminis quibus ea concipitur, sive in Jure communi; h. e., in Codice; sive in Jure particulari Diœcesis, Ordinis, etc., si agatur de suspensione *sententiæ latæ;* ex terminis sententiæ, si agatur de suspensione *sententiæ ferendæ*. Si quis dicatur *suspensus* sine addito, suspensio intelligenda est totalis 32. Cum suspensio frequentior *sit a divinis*, hæc vetat « omnem actum potestatis ordinis, quam quis sive per sacram ordinationem, sive per privilegium obtinet » 33.

SECTIO ALTERA
CENSURAE HODIE VIGENTES

CAPUT I.

EXCOMMUNICATIONES

397. Summatim sunt circiter quadraginta, præ facultate absolvendi in quinque classes distribuendæ. Aliæ enim sunt *a*) reservatæ Apostolicæ Sedi *specialissimo modo;* aliæ sunt *b*) eidem reservatæ *speciali modo;* aliæ *c*) sunt eidem reservatæ *simpliciter,* aliæ *d*) reservatæ sunt *Ordinariis;* demum *e*) aliæ *nemini* sunt servatæ.

ART. 1. — EXCOMMUNICATIONES SEDI APOSTOLICÆ RESERVATÆ SPECIALISSIMO MODO.

398. Excommunicationes hæ quatuor sunt; quibus quinta accedit reservata *singularissimo modo* personæ Romani Pontificis.

Qualificatio, quod hujus classis excommunicationes sint Apostolicæ Sedi reservatæ *specialissimo modo,* importat sex: *a*) Concessio alicui, vel pro aliquo tempore omnibus, facta absolvendi a reservatis R. Pontifici, pro hisce excommunicationibus non valet: necesse est quod expresse additum fuerit « etiam a censuris reservatis *specialissimo modo* », vel data sit potestas specialissima. — *b*) Hæ censuræ (imo et reservatæ *speciali modo*) excluduntur a facultate facta Ordinariis remittendi per se vel per alium in casibus occultis pœnas latæ sententiæ jure communi statutas. — *c*) Qui, in periculo mortis constituti, a sacerdote specialis fa-

30) CODEX *Can. 2283,* coll. *Can. 2265.*
31) CAPPELLO *Num. 162* pag. 163 Nota *1.*
32) CERATO *Num. 49-58;* CAPPELLO *159-163.* — De suspensione *ex informata conscientia,* CODEX *Can. 2186-2194.*
33) CODEX *Can. 2279* § *1 Num. 2.* — Inde sublata quævis controversia.

cultatis experte receperunt absolutionem a censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicæ reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub pœna reincidentiæ, ad S. Pœnitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate præditum 1. — *d*) Absolvere præsumentes sine debita facultate ab excommunicatione latæ sententiæ *specialissimo* (vel etiam *speciali*) *modo* Sedi Apostolicæ reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicæ *simpliciter* reservatam. — *e*) Si confessarius, ignorans reservationem, pœnitentem a censura et a peccato absolvat, absolutio ab aliqua ex his censuris non valet. — *f*) Si quis, pluribus censuris irretitus, absolutionem ab habente facultatem obtineat generalem, hæc valet quidem pro aliis censuris bona fide reticitis, at non pro reticita censura *specialissimo modo* reservata 2.

Modo de singulis. — Excommunicantur:

399. — **1.** Qui species consecratas abjecerit, vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit. *Can. 2320.*

400. Dolendum quod hujusmodi crimina nostris temporibus perpetrentur et non infrequenter. Hac excommunicatione plectuntur:

1.° Qui species consecratas sive panis sive vini abjecerit. — Ille *abjicit*, qui rem nihili a se habitam, uti rem despiciendam vel nihili habendam, projicit. Casus est furis, qui cum vasa sacra simul cum particulis ciborio abstulit, illa diligenter custodit, has per viam vel plateam aut agrum disperdit, ubi pedibus viatorum proterentur, avibus aut vermibus consumentur, intemperie utcumque peribunt. Non abjiceret ille, qui, sacris vasibus extractis, particulas funderet super mensam altaris, ubi deinceps a sacerdote colligi possent. — Quod abjectio fiat ad malum finem, certe non requiritur; satis est quod species abjiciantur uti res nihili habendæ. Numerus pluralis « sacræ species » non exigit plures abjici particulas.

2.° Qui species sacras ad malum finem abduxerit aut retinuerit. — *Abducit* ille, qui, ex. gr., sumpta in ecclesia sacra communione, dein particulam ex ore in marsupio recondat, ac dein ad alium locum deferat. — *Retinet* ille, qui particulam ad se a primo, vel a seipso, delatam penes se custodiat, donec ea utendum sit, vel dum ejus usus fit. Abductio aut retentio fieri debet *ad malum finem;* h. e., ad profanationem positivam; ceu, proh dolor! non raro evenisse legimus, et quidem Romæ: profanatio haberi potest in cœtu massonico vel antireligioso vel spiritistico, vel etiam a nebulonibus in platea aut in via. Finis malus intelligitur ex parte *operis*, licet malus non sit ex parte *operantis*: si abducens vel retinens id faciat intuitu mercedis, excommunicatur; dummodo malum finem *operis* et sciat et velit.

1) Cf. supra *Num. 378;* insuper S. Pœnit. die 15 apr. 1921, apud *Acta Ap. Sedis* XIII. 239, *Monit. eccles.* XXXIII. 180.

2) Codex *Can. 2237* § *2, 2252, 2338, 2247* § *3, 2249* § 2.

401. — **2.** Qui violentas manus in personam Romani Pontificis injecerit.... Hic est ipso facto vitandus. *Can. 2343 § 1. n. 1°.*

402. Forma evidenter sapit Canonem Lateranensem; quare phrasis « violentas manus injicere » latam exigit interpretationem [3]. Itaque *manus violentas injiciunt* illi, qui, non verbis aut minis, sed opere in personam R. Pontificis inferant injuriam gravem sub ratione injuriæ; sive personam lædant, etiam non graviter, corpus percutiendo manu aut calce, fuste vel ense, aut etiam venenum propinando (quo in casu censura habetur cum primum incipit nocere), etc.; sive lædant dignitatem conspuendo vel sordibus maculando, vestes conscindendo, etc.; sive lædant libertatem detinendo vel detrudendo in carcerem, etc. Evidenter requiritur quod hæc manuum injectio fiat cum notitia de persona Pontificis et cum malitia gravi: at non requiritur quod fiat ex odio, sive in Vicarium Christi, sive in personam; eo magis quod non habetur clausula « suadente diabolo »: etsi fiat intuitu mercedis acceptæ aut pactæ, adhuc habetur excommunicatio Sedi Apostolicæ reservata *specialissimo modo*. — Est unicum crimen, cujus reus est ipso facto excommunicatus vitandus.

403. **3.** Absolventes vel fingentes absolvere complicem in peccato turpi; etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu, quo moribundus recuset alii confiteri. Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur; sed ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est. *Can. 2367.*

404. Quatuor ex ordine expendemus; nempe quid sit: *a*) absolvere complicem in peccato turpi, *b*) fingere absolutionem, *c*) inducere complicem ad tacendum, *d*) quandonam excommunicatur absolvens complicem in articulo mortis.

1.° Ille sacerdos *absolvit*, qui super pœnitentem profert formam sacramentalis absolutionis, intendens eam ad peccata confessa referre. Quare, ut sacerdos hac excommunicatione irretiatur, necesse est concurrere tria: *a*) Antecedenter ad confessionem, inter sacerdotem et hunc pœnitentem, virum vel feminam, patratum fuerit per *veram* et *formalem complicitatem peccatum turpe;* h. e., peccatum contra sextum præceptum, sive luxuriæ consummatæ, sive non consummatæ, aut impudicitiæ, commissum opere aut actibus vel tactibus turpibus aut colloquiis obscœnis [4];

3) Ita canonistæ ac theologi omnes interpretati sunt privilegium Canonis. Cf. S. Ligorium *Lib. VII. Num. 94, sequ.*

4) S. Inquis. die 28 maji 1873. — Cf. Genicot *Num. 352.*

quod peccatum fuerit formaliter mortale et externum, et mortale in ratione peccati externi, ac tale fuerit ex utraque parte: si ex his conditionibus vel una desit, non est locus excommunicationi præsenti. — *b*) Pœnitens hoc peccatum in ordine ad sacramentalem absolutionem *confiteatur*: si hic ipsum tacet, sive quia jampridem penes alium confessarium accusatum et absolutum, sive oblivione aut alia causa excusante, sive ex malitia confessarius eumdem ab aliis peccatis absolvens excommunicatione non tenetur; licet aliunde peccare possit, et graviter. — *c*) Sacerdos pœnitentem *a peccato complicitatis absolvat*: si ipsum sub quocumque prætextu inabsolutum dimittat, expers est excommunicationis. De validitate vel invaliditate absolutionis modo non agimus.

Hæc excommunicatio lata est, non contra præsumentes absolvere, sed contra absolventes. Ergo confessarium ab ea non eximit « quælibet imputabilitatis immunitio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis »: satis est absolutionem datam fuisse advertenter et voluntarie super pœnitentem cognitum ut complicem. Eum eximit ignorantia de sua cum hoc pœnitente complicitate; item dubium prudens, quod absque ullo suæ famæ periculo solvere non valeat.

2.° Ille proprie *fingit* absolutionem, qui super pœnitentem sua peccata, et inter hæc peccatum complicitatis, confessum profert quidem formam absolutionis, at excludit intentionem absolvendi, saltem ab eo peccato; sine qua intentione absolutio est nulla. Hæc fraus sartam servaret famam confessarii penes pœnitentem, qui ut suus complex a confessario cognoscatur, at viceversa confessarium suum esse complicem non advertat. Non inde tamen confessarius præsentem fugit excommunicationem.

Fraus affinis fictioni esset absolutionis dissimulatio, in eo consistens quod confessarius, auditis peccatis, non proferat super pœnitentem formam absolutionis, sed aliam orationem, vel formam absolutionis corrumpat submissa voce dicens « ego te non absolvo ». Porro qui ita dissimulat, non fingit; adeo ut dissimulatio quandoque licita sit, fictio numquam 5. Ergo, utrum dissimulans hanc excommunicationem incurrat, videtur posse dubitavi. Ceterum certe reus fit gravissimi peccati mortalis, et non unius tantum.

3.° Duplici modo confessarius inducere potest pœnitenttem ad tacendum peccatum complicitatis. Inducit *directe*, quando positive et explicite eum prænonet de eo peccato tacendo; quia, ex. gr., illud jam novit et declaratio sibi esset inutilis. Inducit *indirecte*, quando ei suadere conatur, sive quod ea actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat; unde pœnitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera abstinet. Utrovis modo confessarius pœnitentem inducat, ac proinde eum a peccato complicitatis proprie non absolvat, præsenti excommunicatione irretitur.

5) Cf. *Lib. IV. Num. 45; S.* Ligorium *De Pœn. 631;* Marc *1907.*

4.° Si complex versetur in articulo (intellige et periculum) mortis, tunc sacerdos ejusdem complex adhuc prohibetur ipsum absolvere, et quidem sub pœna excommunicationis, quoties alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem. Inde hæc sequuntur: *a*) Sacerdos suum complicem licite absolvit, si nullus alius adsit sacerdos; *b*) item, si alius quidem adsit, aut facile adesse posset, sed hic non possit confessionem excipere; puta, quia hora ipsi instat celebrandi Missam die festo; *c*) item, si hic posset quidem physice confessionem excipere; at inde fama, sive confessarii complicis, sive infirmi, graviter periclitaretur, aut grave haberetur periculum scandali puta, quia rumor aliquis jam in pago aut ipsa familia serpebat, quia confessarius (forte parochus) complex nullo pacto valet suam repugnantiam contra iteratas infirmi petitiones cohonestare, quia sacerdos ipsi substituendus haud bene in oppido audit, etc. — *d*) Theologi eum quoque casum addunt, quo sacerdos alius substitui complici non possit sine gravamine pœnitentis infirmi; puta, quia ille est ei consanguineus, aut nimis familiaris, aut exosus: imo nunc expresse excipitur casus, quo moribundus quacumque ex ratione recuset alii confiteri.

405. **Quæstiones.** — *Qu.* 1. Quid agendum confessario, qui post audita a pœnitente peccata quædam, et inter hæc peccatum turpe cum sacerdote, advertat se esse virum illum?

Resp. a) Si jam in peccando sibi ad invicem noti erant, pœnitens vero peccatum illud scienter confessario complici aperiat ignorans legem Ecclesiæ (et ignorare debent omnes), confessarius ei aperte dicat sibi nefas esse eumdem absolvere, imo et ipsam absolutionem invalidam fore. — *b*) Si pœnitens non cognoscebat complicem in peccando, regulariter adhuc eum dimittere debet inabsolutum, nec eidem tenetur dimissionis rationem reddere: prætextus inquirat, utens restrictionibus vix non stricte mentalibus: secus enim absolveret invalide et illicite, et simul excommunicationem incurreret. — *c*) Verum, si ex adjunctis hæc dimissio fieri non possit sine gravi periculo quod pœnitens pervideat aut suspicetur de crimine confessarii sui, forte etiam parochi, quidam censent in eo casu eum posse reliqua confessionis audire et pœnitentem absolvere; nimis enim durum esset quod ipse se prodere debeat, suæque famæ penes pœnitentem, et facile penes alium confessarium, jacturam subire. — *d*) Quid, si dubitet, num ipse sit ut complex notus pœnitenti? Certe debet procurare dubii solutionem prudentibus et generalibus interrogationibus, et pro diversa dubii solutione diverso modo se gerere. Si dubium aut nullatenus solvere queat, aut nonnisi cum periculo revelationis, certe poterit et reliqua audire et pœnitentem absolvere imo et ad hoc teneri videtur ratione contractus cum pœnitente.

Quidam idem dicendum putant in casu, quo, extra periculum mortis, nulla ratione vitari possit infamia aut scandalum, nisi sacerdos suum complicem a peccato complicitatis absolvat, saltem indirecte, item in casu,

quo pro pœnitente, præsertim femina, gravissima habeatur necessitas accipiendi sacramentalem absolutionem, hanc vero nonnisi a sacerdote complice habere possit 6.

Qu. 2. Quid agendum sacerdoti, et præsertim parocho, qui vocetur ad invisendum complicem suum periculose decumbentem?

Resp. Si agatur de peccato jamdiu antea patrato, adeo ut ille prudenter judicet ipsum fuisse jam ab alio confessario remissum directe, poterit ad infirmum accedere, ejusque confessionem excipere. Quod si inter alia peccata audiat etiam peccatum complicitatis, et hoc ut jam alias accusatum et remissum, edicat illius accusationem supprimendam ac revocandam esse: ab aliis vero peccatis absolvat. Si audiat ut prima vice confessum, videat num absque periculo infamiæ vel scandali et absque gravamine pœnitentis possit eam confessionem interrumpere, et alium sacerdotem, licet non approbatum, sibi substituere: id enim pro viribus curare certe tenetur; adeo ut, si id culpabiliter negligat, absolutio quidem valida sit, at ipse graviter peccet: si hoc prorsus impossibile sit, audiat reliqua, et pœnitentem absolvat.

Multo magis tenetur necessitatem absolvendi complicem præcavere, si, antequam ad infirmum accedat, pro certo vel quasi-certo habeat peccatum illud nondum fuisse remissum. Dicimus: *multo magis;* eo quod res facilior est, ac tunc pericula scandali vel infamiæ facilius ipse sibi confingeret, quam in casu præcedenti; nec causis excusantibus accensendum est scandalum, quod ex ea confessione pateretur substitutus sacerdos forte junior, et multo minus suspicio vel certitudo in ipso oritura de complicitate sacerdotis senioris vel etiam parochi; hæc enim incommoda sunt intrinseca legi.

Qu. 3. Quid agat sacerdos, qui illicite complicem absolverit?

Resp. Hic se habere debet ut reum gravissimi peccati et irretitum excommunicatione. Hinc: *a*) De suo peccato dolere debet, et pro ejus absolutione recurrere ad R. Pontificem vel ad S. Pœnitentiariam: si Romam adire non potest aut non vult, per epistolam postulare debet absolutionem a censura, vel facultatem ut ab aliquo confessario a censura et a peccato absolvatur. Interim prohibetur Missam celebrare, confessiones sponte excipere, Baptismum et Eucharistiam sponte ministrare, etc. Quod hæc exercendo censuram violet, fit etiam irregularis. — *b*) Si hæc omnia (aut eorum aliqua, puta pro parocho Missam die festo) omittere non possit propter scandalum aut infamiam inde orituram, vel, ei valde durum sit in statu peccati mortalis plures dies permanere (non Missam omittere eique adnexam amittere stipem), absolvi potest a quovis confessario, cum onere recurrendi ad S. Sedem intra mensem *sub pœna reincidentiæ;* a quo onere non eximitur, etsi recursus sit moraliter impossibilis. — *c*) Dicimus: *confiteri potest.* Verum, si debeat, aut velit Missam celebrare, jam ante primam Missam confiteri et absolvi omnino *debet;* eget

6) Ballerini *Num. 928-942;* D'Ann. *Summ. 324, 37;* Noldin *Summa 371*

enim absolutione, tum a censura, tum a peccato: confessarius enim quilibet habet facultatem (non privilegium) absolvendi, et quidem *directe*. Quare, si habens copiam confessarii, vel unam Missam celebret inabsolutus, reus fit novi peccati mortalis, imo et plurium : tantummodo, si nullo modo possit omittere Missæ celebrationem et simul copiam confessarii non habeat, celebrare poterit nondum confessus et absolutus; dummodo sit perfecte contritus et paratus confiteri et absolvi quamprimum. — *d*) Relate ad cetera munia sacerdotalia et parochialia, minor est obligatio confitendi et accipiendi absolutionem; eo quod a fidelibus aut parochianis rogatus ea præstare potest sacerdos excommunicatus non vitandus; dummodo sit in statu gratiæ: verum, antequam absolvatur, ea præstare nequit non rogatus.

Ceterum quisque videt quot quantisque conscientiæ angustiis exagitari debeat infelix sacerdos, nisi quamprimum curet se a suo crimine et a censura absolvi. Illud autem erit ei a confessario inculcandum, et vix non injungendum, ut a complice in tribunali Pœnitentiæ deinceps audiendo in perpetuum abhorreat.

406. — **4.** Confessarii, qui sigillum sacramentale directe violare præsumpserint. *Can. 2369 § 1.*

407. Ad præsentem excommunicationem quatuor requiruntur: *a*) Violatio fiat circa *materiam sigilli* sacramentalis; *b*) quam revelet *confessarius; c*) imo revelare *præsumat; d*) et quidem *directe*.

1.° *Materia sigilli* sacramentalis sunt directe omnia peccata a pœnitente confessa, sive mortalia, sive venialia, sive mere formalia, sive mere materialia; indirecte sunt omnes circumstantiæ, quas pœnitens ingerat ad peccata sua satius exponenda; reductive sunt adjuncta in confessione et ex confessione confessario comperta, quorum manifestatio cederet in gravamen pœnitentis vel odiosum redderet sacramentum. Ubi agitur de obligatione non violandi sigillum, in dubiis favendum est legi: at aliter in re præsenti, utpote pœnali.

2.° Violatio sigilli fiat a *confessario*. Si quis laicus a fideli surdastro sua peccata confitente hæc audiat et per plateas divulget peccat quidem et graviter, at hac excommunicatione non plectitur.

3.° Necesse est quod confessarius vel unum ex elementis materiæ sigilli revelaverit, imo *revelare præsumpserit;* seu id faciat cum perfecta cognitione et deliberatione: nam quælibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis, ipsum ab excommunicatione eximeret.

4.° Insuper requiritur quod violatio fiat sigilli per revelationem *directam;* adeo ut simul cum materia sigilli manifestetur sive expresse sive æquivalenter persona pœnitentis. Non ergo tenetur excommunicatione qui sigillum violet *indirecte,* talibus indiciis tum materiam sigilli tum personam pœnitentis designans, ut audientes vel videntes conjicere possint peccatum determinati pœnitentis: hic tamen confessarius obnoxius est pœnis

sententiæ ferendæ. Nec ea tenetur qui sigillum violaverit *practice*, utendo notitia confessionis eo usu, qui in gravamen pœnitentis vel in odium sacramenti cedere posset, at absque ullo periculo revelationis peccati et personæ pœnitentis.

408. — **5.** Omnes qui excommunicantur Constitutione Pii X *Vacante Sede Apostolica* 25 dec. 1904, respiciente electionem Summi Pontificis. *Can. 2330.*

409. In ea Constitutione in fine Codicis *Docum. I.*) recensentur (§ 37, 50,51,52, 69, 79, 80, 81) octo delicta, quorum singula plectuntur excommunicatione adeo reservata, ut « a nullo, ne a Majori quidem Pœnitentiario, cujuslibet facultatis vigore præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit. Præcipuum ex his (§ 81) est receptio muneris, seu officii, proponendi *Veto* sive *Exclusivam* ejusdemque *Veto* patefactio, etiam sub forma simplicis desiderii. — Quia casus confessariis haud obvii sunt, eorum recensionem et expositionem omittimus.

ART. II. — Excommunicationes Apostolicæ Sedi reservatæ speciali modo.

410. Quinque propria sunt hujus classis: *a*) Ab his excommunicationibus ille solus potest absolvere, qui facultatem ab Apostolica Sede obtinuerit specialem, seu absolvendi a reservatis *speciali modo*. — *b*) Ab his absolvere possunt Cardinales ubique terrarum, etiam in casibus publicis. — *c*) At eas remittere non possunt Ordinarii vi facultatis remittendi pœnas in casibus occultis. — *d*) Qui ab his absolutus fuerit in periculo mortis a sacerdote specialis facultatis experte, convalescens non tenetur recurrere; tenetur qui absolutus fueri in casu urgentiori. — *e*) Si quis ab aliqua ex his censuris sine debita facultate absolvere præsumpserit, incurrit in excommunicationem reservatam Sedi Apostolicæ *simpliciter*: ceterum, si bona fide absolverit ignorans reservationem, absolvit valide, nec ulla obligatione tenetur absolutus [1].

Excommunicationes hujus classis sunt undecim; easque eo ordine proponimus, quo recensentur in Codice. — Excommunicantur.

411. — **1.** Omnes a Christiana fide apostatæ, et omnes et singuli hæretici aut schismatici. *Can. 2314 § 1 n. 1°, § 2.*

412. Tres reorum classes excommunicantur. *Apostatæ* a christiana fide, *hæretici, schismatici*. — Itaque:

1.° *Apostatæ* sunt, qui « post receptum Baptismum a fide christiana totaliter recedunt » [2]; quin necesse sit inquirere utrum ad aliam religionem accesserint: fides autem christiana est ea, quam profitetur Romana Catholica Ecclesia. Certe ab ea recesserunt qui facti sint athei, indifferen-

1) Codex *Can. 2253 n. 3, 2338 § 1, 2247 § 3, 239 § 1 n. 1.*
2) Codex *Can. 1325 § 2.*

tistæ theoretici, vel, ut se appellare solent, *liberi cogitatores*, monstra naturæ stupidis insipientiora jumentis: item, qui se profitentur antireligiosos; imo et qui se dicunt anticlericales aut socialistas, quando constet hæc verba pro ipsis denotare anticatholicismum.

2.° *Hæretici* sunt, qui « post receptum Baptismum, nomen retinentes christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis, denegant aut de ea dubitant » 3. Qui aliquam veritatem neget, eo quod eam esse ab Ecclesia definitam ignorat, ignorantiâ licet culpabili saltem in causa, hic proprie hæreticus non est, cum desit pertinacia; proinde non subest excommunicationi. Idem dic de eo, qui neget veritatem contentam in deposito revelationis, at non definitam, ut esset B. Mariæ Virginis in cœlum assumptio, vel materialitas ignis in inferno; de eo, qui neget veritatem ab Ecclesia propositam ut fide religiosa tenendam, at non ut contentam in revelatione, ut esset sanctitas Alphonsi M. de Ligorio. Ille hæreticus est, qui, sciens doctrinam ab Ecclesia proponi ut credendam fide divina, neget aut veram, aut revelatam eam esse: imo hæreticus est et ille, qui de ejus veritate aut de ejus revelatione dubitet, sciens rem esse definitive propositam ab Ecclesia: hic enim negat auctoritatem Dei revelantis aut Ecclesiæ proponentis.

Verum, ut hic hæreticus excommunicationem incurrat, necesse est quod suam negationem vel suum dubium externe prodiderit; et quidem animo profitendi, non alio, puta petendi consilii. Qui, veritatem sacramenti Eucharistiæ non credens, in via coram SS. Sacramento caput non discooperiat, excommunicationem incurrit, si hæc omissio ex circumstantiis internam negationem prodat; secus, si possit aliis causis adscribi. Qui concionem doctoris protestantis adeat animo externe manifestato illius sectæ adhærendi, si forte ea sibi vera esse persuadeatur, hic hæreticus est et excommunicatus.

Titulo hæreseos dicuntur excommunicationem hodie incurrere, qui « abdita cordium scire vel futuras hominum actiones, quæ soli Deo patent, divinare conati fuerint per tabulas semet moventes, vel mediums, vel crisiacos » 4. Certe eam incurrunt, qui sunt et se esse profitentur *modernistas*: modernismus enim est « ominum hæreseon conlectus »: item *veteres catholici*. Liberales excommunicationem hanc facile effugiunt *per accidens*. — Qui dici solent *credentes*, facile sunt hæretici: in eo casu excommunicantur, si suam fidem verbis vel factis ostenderint.

Ex Jure novissimo habendus est tamquam hæreticus, et ceu talis excommunicatus, qui, cum de hæresi suspectus esset, et post secundam inutilem monitionem suspensus *a divinis*, intra duos menses a contracta poena sese non emendaverit 5.

3.° *Schismatici* sunt, qui « post receptum Baptismum subesse re-

3) Codex *Can. cit.* coll. *Can. 1323 § 1.* — Conferantur theologi.
4) D'Annibale *Num. 31*, Noldin *50* a: modo ad hæresim advertant.
5) Codex *Can. 2315, 2316, 2319, 2320, 2340, 2371.* — Cf. Ferreres *Num. 1236* Nota; Cappello *71.*

nuunt Summo Pontifici, aut cum membris Ecclesiæ ei subjectis communicare ». Qui id faciant errantes in fide, sunt schismatici mixti, h. e., simul hæretici : qui absque errore, sunt schismatici puri : priores excommunicantur ratione hæreseos ; posteriores ratione schismatis. Ab excommunicatione non eximitur, qui schismaticus fiat ex metu gravi : agitur enim de delicto, quod vergit in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ et in publicum animarum damnum.

Sunt et schismatici sensu minus proprio : qui, nempe, subtrahunt se ab obedientia R. Pontificis. Quia enim « ubi est Petrus ibi est Ecclesia », schismatici sunt : quia tamen corpori ecclesiæ, imo et Apostolicæ Sedi, adhuc se adhærere volunt, dici nequeunt schismatici perfecti. Hi non videntur hoc articulo excommunicari ; eo magis quod jure præcedenti excommunicabantur, at non ut sensu proprio schismatici. Aliunde forma « *renuunt subesse* » efficacior est altera « se subtrahunt ».

413. **Quæstiones.** *Qu. 1.* Quid agendum confessario cum pœnitente qui aut confiteatur, aut obiter ostendat, se aliquam fidei veritatem negare, vel saltem de ea dubitare ?

Resp. Casus est hodie non infrequens in tanta errorum colluvie, quam nostris regionibus liberalismus invexit. Non raro pœnitentes accedunt, qui, nisi expresse negent, certe dubitant positive, de animæ immortalitate, de exsistentia alterius vitæ, de pœnarum inferni æternitate, de ipsa divina justitia, de veritate Ecclesiæ catholicæ, de R. Pontificis infallibilitate, de veritate quorumdam sacramentorum, etc. Porro curandum in primis, ut pœnitens a suis erroribus recedat, ac interne credat et se credere profiteatur veritates suis erroribus oppositas, aut saltem generice quidquid credit ac docet sancta mater Ecclesia : dein insistendum, ut de suo peccato doleat ac sincere proponat convenientem sibi in rebus fidei cognitionem procurare.

Quod spectat ad facultatem absolvendi, confessarius quilibet poterit hujusmodi pœnitentem a peccato hæreseos absolvere, quoties aut constet, aut saltem probabile sit eum immunem esse ab excommunicatione : non enim peccatum hæreseos est R. Pontifici reservatum, sed censura huic peccato adnexa. Porro ab excommunicatione immunes sunt, non modo, qui errores illos tenuerint potius materialiter quam formaliter, eo quod non advertebant veritates oppositas sibi ad Ecclesia proponi ut necessario credendas de fide ; sed etiam qui, id apprime noscentes, suos errores externe professi, ignorabant se incurrere pœnam excommunicationis ; quorum primum, vel alterum, vel tertium facile continget. « Hæc a confessariis attente consideranda sunt, ut quibusdam hac nostra luctuosa ætate primum conversionis gradum inchoantibus via ad reconciliationem facilior sternatur, neque rigidiores eis imponantur conditiones, priusquam ad absolutionem recipiantur ».

Si evidenter constet pœnitentem a censura immunem non esse, videat confessarius num verificetur quæpiam ex iis conditionibus, quibus

exstantibus confessarius quilibet potest pœnitentem censuratum absolvere: tunc eum absolvat, suam operam eidem offerens, ut facile implere dein possit ea, quæ pœnitenti sic absoluto implenda sunt. Practice rarissimus casus erit, quo confessarius hujusmodi pœnitentem vere dolentem non possit absolvere. — Ceterum attendatur solutio Quæstionis sequentis.

Qu. 2. Quid, si ad confessarium accedat apostata vel hæreticus certe excommunicatus?

Resp. Dato etiam quod confessarius censeat eum esse in foro sacramentali absolvendum, saltem propter impedimentum recurrendi ad S. Sedem, certe ille adhuc se gerere debet velut excommunicatum in foro externo et omne scandalum vitare. Via autem regularis et facilior ad absolutionem definitivam hæc est: Curet ut apostata vel hæreticus vel schismaticus suum delictum ad forum externum Ordinarii deferat per voluntariam confessionem; idem Ordinarius (non Vicarius Generalis sine mandato speciali) resipiscentem, prævia, abjuratione juridice peracta aliisque servatis de jure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvet; ita vero absolutus potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiæ; abjuratio vero habetur juridice peracta, cum fit coram ipso Ordinario loci vel ejus delegato et saltem duobus testibus 6.

414. — **2.** Editores librorum apostatarum, hæreticorum et schismaticorum, qui apostasiam, hæresim, schisma propugnant; at opere publici juris facto: item eosdem libros aliosve per apostolicas Litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes. *Can. 2318 § 1.*

415. Claritatis causa dicemus primo de objecto hujus excommunicationis, dein de subjecto.

1.° Objectum duplex est. Primum sunt: *a*) *Libri* indeterminate, etiam unus; non folia, diaria, periodica, nisi sint in fasciculos alicujus molis religata; *b*) *apostatarum, hæreticorum, schismaticorum* sensu superius exposito; *c*) qui libri apostasiam, hæresim, schisma *propugnent;* idest, datâ operâ defendant eorumque patrocinium suscipiant; non qui tractant de religione, etsi sint de hæresi suspecti et forte hac ratione damnati. — *d*) In re odiosa non accensentur libris manuscripta nec epistolæ aut oratiunculæ separatim editæ.

Alterum objectum sunt: *a*) *Alii libri* cujusvis auctoris etiam catholici, aut qui sub anonymo aut pseudonymo edantur; *b*) *prohibiti per apostolicas Litteras*, h. e., auctoritate et nomine R. Pontificis per Bullas,

6) Codex *Can. 2314.* — Cf. S. C. S. *Off.* 19 febr. 1916.

Brevia, Encyclicas; at *c*) prohibiti *nominatim*, h. e., expresso titulo cujusvis libri proprio 7.

2.° Subjectum præ objecto primo *a*) sunt *editores;* qui, nempe, aut expensis propriis vel alicujus societatis, aut gratis librum curant imprimi et publicari: possunt esse ipse auctor, typographus, tertia persona: si sint societas, non videretur incassum cedere excommunicatio, quæ proinde singulos socios afficeret. — *b*) Hanc excommunicationem incurrunt editores, *opere publici juris facto;* cum scilicet, omnibus prostat, non dum typis imprimitur aut in volumen redigitur; necesse est quod prostet omnibus, sive pretio sive gratis: si est determinatis tantum personis distribuendum, publici juris non est. Manuscripta haud facile juris publici fiunt in se; at ejusmodi fieri possunt photographice aut lithographice.

Præ utroque objecto subjectum duplex est. Primum sunt, qui eos libros *defendant*, sive materialiter ne comburantur, sive formaliter commendando eorum doctrinam, eruditionem, opportunitatem, adeo ut commendatio in approbationem redundet.

Alterum subjectum sunt, qui eos libros *legant* vel *retineant*. *a*) Ille *legit*, qui suis oculis perspicit scripta vel impressa, et quæ perspicit intelligit: non legit qui audit legentem, nec qui, scripturæ arabicæ prorsus ignarus, characteres arabicos in charta miratur. — *b*) Ille legit vel retinet *scienter*, qui scit et factum et jus et pœnam: quare ab hac excommunicatione immunis est qui legit vel retinet laborans ignorantia etiam crassa aut supina. Ad excommunicationem necesse est quod legens peccet mortaliter, ac proinde legat in materia notabili, qualis non habetur integra pagina, nisi in ea sit ratio prohibitionis cum censura: item quod retinens retineat per tempus notabile; quale non habetur biduum. — *c*) Ille retinet, qui eos libros habet, sive ut suos etiam penes alios, sive ut alienos penes se: et hoc, etsi non legat. — *d*) Pro utrisque ad excommunicationem requiritur quod legant aut retineant *sine debita licentia*, habita aut ab Apostolica Sede aut ab alio facultate concedendi licentiam prædito. Licentia confessarii *per se* nihil prodest.

416. — **3.** Qui ad Ordinem sacerdotalem non promoti Missæ celebrationem simulaverint aut sacramentalem confessionem exceperint. *Can. 2322 § 1.*

417. Excommunicantur *a*) qui *ad ordinem sacerdotalem non sint promoti*: non ergo sacerdos, qui censurâ a jure vel a homine prohibitus Missam celebret, aut ad vitandam consecrationem sacrilegam Missæ celebrationem simulet. — *b*) Illi excommunicantur, si *Missæ celebrationem simulaverint*. Simulatio theologis idem est ac fictio; quæ in re nostra

7) Eorum catalogus apud PENNACCHI. *pag.* 117, seqq. — Præcipui sunt: *Augustinus* Jansenii, *Explication des maximes des Saints* Feneloni, opera G. Ermes, *Juris eccl. instit. et In Jus eccles.*; Nuytz *Introductio in philos., De libertate scientiæ* et *Athenæum* Frohshammer.

significaret omnia quæ Missæ sunt fieri ac recitari, etiam verba consecrationis super panem et vinum, sed absque intentione consecrandi. Porro, cum hæc in casu præsenti impossibilia sint, excommunicatur, pseudosacerdos, qui Missæ celebrationem ita simulet, ut ab adstantibus censeatur Missam celebrare, licet forte verba consecrationis omittat. — Item *c*) ille pseudosacerdos excommunicatur, qui *confessionem sacramentalem excipiat;* nempe (cum stola vel sine stola, nihil interest) audiat peccata a fideli, qui intendit ea penes hunc putatitium sacerdotem accusare in ordine ad sacramentalem absolutionem: ille pseudosacerdos excommunicatur etiam si sub quocumque prætextu super pœnitentem verba absolutionis non proferat.

418. — **4.** Omnes et singuli cujuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiæ fuerint, a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes. *Can. 2332.*

419. Excommunicantur *appellantes*. Porro *a*) appellatio est « provocatio a judice inferiore ad superiorem » 9: quapropter appellatio præsentis articuli continet veram violationem supremi juris primatus Romano Pontifici ex divina voluntate collati. — *b*) Excommunicantur *omnes* et *singuli*: hæc intelligenda de pesonis physicis: nam personæ morales in eodem Canone plectuntur interdicto. — *c*) Appellatio fieri debet *ad Universale Concilium;* non ad futurum Pontificem, nec a Pontifice male informato ad Pontificem melius informandum. — *d*) Hac censura tenentur omnes, etiam Reges, Episcopi, Cardinales.

420. — **5.** Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica vel ab ejusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa, sive eos ad quos pertinent litteræ vel acta, sive alios lædentes vel perterrefacientes. *Can. 2333.*

421. 1.° Excommunicantur: *a*) *Recurrentes,* sive personaliter sive per scripta sive per interpositas personas; *b*) *ad laicam potestatem,* idest ad reges, ad ministros, ad præfectos, ad judices, etc.; non qui ad syndicos: recurrant vero *c*) ad impediendas *litteras* vel *acta* quælibet profecta a Sede Apostolica, h. est, a R. Pontifice vel ejusdem auctoritate a Romanis Congregationibus, vel quæ datæ sint a Legatis S. Sedis ad munus ordinarium penes Principes. — *d*) Necesse est quod recursus fiat *ad impediendum* ne prædictæ litteræ vel acta suum sortiantur effectum: utrum excommunicentur recurrentes frustra, disputatur 9.

2.° Excommunicantur: *a*) Qui harum litterarum vel actorum prohibeant *promulgationem* juxta formam consuetam, aut *exsecutionem; b*)

8) Codex *Can. 1879.* — Cf. Concilium Vaticanum *Sess. IV. Cap. 3.* o.
9) Cf. D'Annibale *In Const.* « *Ap. Sedis.* » *76;* Lehmk *933.*

hanc vero prohibeant, interventum publicæ auctoritatis impetrando; *c*) et hoc, sive *directe* agendo penes personas hac auctoritate præditas, sive *indirecte* penes præcedentium consanguineos, amicos, superiores, officiales: prohiberet ille, qui agat ne Episcopo vel parocho electo regium *Placet* concedatur. Utrum prohibentes excommunicentur ratione prohibitionis, h. e., etsi prohibitio frustra cedat, « auctores inter se digladiantur »; quod pro confessariorum praxi satis est.

3.° Excommunicantur: *a*) Qui *lædant*, h. e., in bonis corporis damnificent; vel *perterrefaciant*, h. e., incusso gravissimo, non mere gravi, metu terreant: *b*) id vero faciant, sive *contra personas quarum eæ litteræ vel acta* intersunt, sive *contra alios*, ex. gr., patrocinatores, exsecutores, consanguineos. — Effectu impediendi non secuto, juxta quosdam excommunicantur lædentes, juxta alios tum lædantes tum perterrefacientes.

422. — **6.** Qui leges mandata vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ edunt; item qui impediunt directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem. *Can. 2334.*

423. Duplex hujus excommunicationis est subjectum:

1.° *a*) Qui *edunt* leges, sunt legislatores, seu supremæ potestates, quarum est condere ordinationes natura sua perpetuo duraturas; ejusmodi sunt reges; item in regnis constitutionalibus deputati ac senatores, qui legibus suffragati sunt; at ante promulgationem non habetur edita lex. — *b*) Qui *edunt mandata* vel *decreta*, sunt auctoritates inferiores; puta ministri, præfecti, syndici, etc. — *c*) Hi omnes excommunicantur, si edant leges aut mandata vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ. Ejusmodi sunt, quæ vetent Ecclesiam pro sua voluntate eligere pastores, clericos ordinare, ordines religiosos instituere, publicas supplicationes habere, bona temporalia acquirere et administrare, etc. [10].

2.° Illi *a*) *impediunt*, qui auctoritate sive publica sive privata, aut vi vel metu, faciunt ut alter invitus cesset ab agendo; et *impediunt*, si effectum consequantur. — *b*) Quid sit impedire *directe* vel *indirecte*, jam vidimus. — *c*) Excommunicantur impedientes *exercitium jurisdictionis* (non ordinis), sive *interni fori*, quæ spectat ad regendos singulos, sive *externi*, quæ spectat ad regendam societatem, prout est societas; et hoc, sive ea jurisdictio sit ordinaria vel delegata, contentiosa vel judiciaria. Ita excommunicantur, qui impediant quominus Episcopus sacerdotem in officio constituat, ne parochus matrimonio adsistat, ne sacerdos ad moribundum accedat. — Verum *d*) necesse est quod hoc impedimentum ponatur per recursum ad *laicalem potestatem;* h. e., ad ministros, ad præfectos, ad judices: certe non excommunicantur, qui aliis mediis impediant, promissionibus etiam fictis, vi vel metu.

10) De juribus Ecclesiæ, plura et recte CERATO *Num. 96 d.*

424. — **7.** Qui contra præscriptum Canonis 120 ausi fuerint ad judicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus, vel Legatis Sedis Apostolicæ, vel Officialibus majoribus Romanæ Curiæ ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium. *Can. 2341.*

425. Canon citatus statuit: « Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicæ, Episcopi etiam titulares,... Officiales majores Romanæ Curiæ ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud judicem laicum convenirí nequeunt sine venia Sedis Apostolicæ ».

Excommunicantur qui *trahunt* aliquem. — Ita, sublata modo omni controversia, *a*) non excommunicantur, qui quempiam ex privilegiatis ad judicem laicum vocent tamquam testem. — *b*) *Excommunicantur* qui, nedum trahant, sed trahere *ausi fuerint,* h. e., cum plena ac perfecta imputabilitate, nec metu gravi compulsi. — *c*) Judex laicus est magistratus pro tribunali jus dicens auctoritate civili, in causa sive contentiosa sive criminali. — *d*) Quinam sint *Cardinales,* res obvia. — *e*) *Legati* sunt, qui a R. Pontifice stabili legatione mittuntur cum titulo Nuntii vel Internuntii, ut relationes foveant inter Sedem Apostolicam et civilia gubernia. — *f*) *Officiales majores* R. Curiæ sunt qui, præter Cardinales, eliguntur absque concursu a Summo Pontifice et actis officialibus subscribere solent aut possunt. Hi sunt, v. gr., Secretarii, Subsecretarii, Adsessores, Substituti, Regentes, Commissarius S. Officii, Sub-Datarius, Præfectus Datariæ, Auditor generalis R. Cameræ Apostolicæ: alii non videntur Officialibus majoribus accensendi, licet a Summo Pontifice eligantur, v. gr., Auditores S. Rotæ, etc. Finis censuræ hic est, ne indirecte ipsa S. Sedes in jus trahatur. — *g*) Quoad hos officiales tantum necesse est ad excommunicationem quod quis ad judicem laicum eos trahere ausus fuerit *ob negotia ad eorum munus pertinentia,* non ob ea quæ spectant ad personam individuam vel alia. — *h*) *Ordinarius proprius* alicujus est ille, qui super ipsum jurisdictione potitur in utrope foro: Episcopus, Vicarius generalis, vel Sede vacante, Vicarius Capitularis.

426. — **8.** Qui violentas manus injecerint in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati R. Pontificis, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum. *Can. 2343* § *2, 3.*

Quid sit *manus injicere* alibi vidimus. Quoad personas heic privilegio Canonis munitas, res explicatione non indiget.

427. — **9.** Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia. *Can. 2345.*

428. *a*) Ille *usurpat,* qui rem a domino occupat, quasi ad se pertinentem. Hinc ad usurpandum necesse est, quod quis rem *occupet* de facto; eam occupet a *domino,* non ab alio qui utcumque eam tenebat; etiam injuste; ac eam occupet, non ut eam suam faciat ut fur, sed quasi *ad se pertinentem,* contendens se ad eam occupandam jus habere. Hinc

certe excommunicantur, qui id faciant publica prædíti auctoritate; juxta quosdam, etiam privati, si id faciant freti legibus civilibus et publica auctoritate 11. — *b*) Ille *detinet*, qui rem usurpatam quasi suam tenet ac possidet, impediendo, si opus sit, ne dominus eam recuperare valeat: detentio fieri potest *per se* aut *per alios*, puta per locumtenentem, repræsentates, milites, etc.

Objectum usurpationis debent esse *bona et jura Romanæ Ecclesiæ*, certe temporalia. Hæc censura tueri intendit, non solum quæ modo sunt bona et jura a Romana Ecclesia possessa, sed et ea quorum dominium legitimum conservat ac propugnat, licet ab aliis usurpata fuerint ac detineantur.

429. — **10.** Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicæ; nec non iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes. *Can. 2360.*

430. 1.° Illi sunt *fabricatores*, qui condunt ex novo; illi sunt *falsarii*, quo documentum exsistens dolo malo immutant aliquid essentiale variando vel delendo vel addendo. Commentatores præcedentes ad *falsum* exigebant quod mutatio fieret in damnum alterius, quod proprie requiritur ad *crimen falsi*. Modo videretur ad censuram id non requiri, præsertim ex collatione cum altera parte Canonis præsentis. — Objectum hujus censuræ latissimum est; scil., *Litteræ Apostolicæ* etiam in forma Brevis, *decreta et rescripta*, sive R. Pontificis sive sacrarum Congregationum aut Officiorum Curiæ Romanæ.

2.° Illi prædictis documentis *utuntur*, qui ea in proprium commodum seu utilitatem exsequi curant et obtinent, sive gratiam concernant, sive etiam justitiam. Necesse est quod eis utantur *scienter;* ac proinde ipsos præsenti eximit excommunicatione ignorantia etiam crassa vel supina, minime vero affectata.

431. — **11.** Qui per seipsos vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverint. *Can. 2363.*

432. Crimen *falsæ denuntiationis* olim reservatum erat ratione sui (absque censura) R. Pontifici *specialissimo modo*: nunc et peccatum reservatum est, et censura: illud *simpliciter* 12; hæc *speciali modo*.

Tum de obligatione pœnitentis denuntiandi confessarium sollicitantem, tum de crimine falsæ denuntationis heic non agimus. Quoad falsam denuntiationem advertimus ad reservationem requiri quod ea facta

11) Cf. D'Annibale *Num. 91, 32;* Ball. *435.* Contra Penn. pag. 364. — De mandantibus et cooperantibus vide dicta *Num. 377.*

12) Codex *Can. 894*: unicum esse dicitur reservatum ratione sui. — Quidam volunt reservatum esse *specialissimo modo* ex *Documento* V. At ubi ratio habenda sit documentorum, id Codex indicat expresse. — Cf. *Can. 884, 904.*

sit penes Ordinarium loci vel S. Congregationem S. Officii, et quidem servata forma canonica 13.

Reus hujus criminis « a censura nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit » 14.

ART. III. — EXCOMMUNICATIONES APOSTOLICÆ SEDI RESERVATÆ SIMPLICITER.

433. Excommunicationibus hujus seriei hæc propria sunt: *a*) Regulariter ab his absolvere possunt qui facultatem absolvendi a censuris a S. Sede impetraverint sub forma generali, et omnes confessarii tempore pro quo facultas generalis concessa fuerit. — *b*) Si quis ab his absolutus fuerit in periculo mortis a simplici confessario, tenetur utique servare de jure servanda, at non tenetur recurrere: tenetur qui absolutus fuerit in casu urgentiori. — *c*) In casibus occultis potest has censuras remittere Ordinarius per se vel per alium, vi Canonis 2237 § 2. — *d*) Ab his, etiam in casibus publicis, absolvere possunt Cardinales ubique terrarum.

Excomunicationes istæ tresdecim sunt. — Eis plectuntur:

434. — **1.** Quæstum facientes ex indulgentiis. *Can. 2327.*

435. Illi *quæstum faciunt* ex indulgentiis, qui indulgentias concedunt aut publicant vel publicare faciunt, sive fictas, sive etiam veras: hoc autem, non ad bonum animarum fidelium viventium aut defunctorum, sed ad captandum lucrum. Ad excommunicationem requiri dicitur quod realiter lucrum captent; at *quæstus* haberi posse videtur etiam sine reali lucro.

436. — **2.** Nomen dantes sectæ massonicæ, aliisve ejusdem generis associationibus, quæ contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur. *Can. 2335.*

437. *a*) Excommunicantur nomen dantes *sectæ massonicæ;* celebri, nempe, societati institutæ circa initia sæculi XVIII in Anglia ac brevi per ceteras nationes diffusæ, ac sæpe a Romanis Pontificibus damnatæ 1. — *b*) Item excommunicantur nomen dantes *aliis sectis ejusdem generis,* quocumque nomine censeantur, quæ ex fine proprio contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur. Porro ejusmodi habentur: Societas *carbonaria,* quam primus damnavit Pius VII anno 1821; societas *Fenianorum;* item societates *internationalisticæ, nihilisticæ, anarchicæ.* — *c*) Ad censuram necesse est, quod quis nomen societati dederit conscius finis ejusdem et censuræ: at hujus ignorantia crassa non excusat.

13) *Instructio* S. Off. 20 jul. 1890 6 aug. 1897, apud *Mon. eccles.* VII. P. I. 77.

14) CODEX *Can. 2363.* — Cf. CERATO *Num. 101 9;* CAPPELLO *103.*

1) Cf. nostras *Institutiones Hist. eccles.* Vol. III. pag. 239 (Ed. 3).

Utrum hisce societatibus accensendæ sint societates *socialisticæ* et *communisticæ*, quæ certe prohibitæ sunt et *sub gravi*, disputatur 2. Itaque practice confessarius non debet quempiam ex his societatibus resipiscentem ceu excommunicatum tractare; item nec eos, qui resipiscant ex societatibus recentibus, certe massonismum olentibus; ut sunt *Lega di insegnamento, Società Dante Alighieri, Camera del lavoro, Umanitaria, Fascio democratico* et similes. Huic censuræ obnoxiæ sunt societates *crematoriæ*, quæ societatis massonicæ filiæ sint 3.

Illi, qui fide satis bona nomen dederunt, vix ac noverint se nomen dedisse societati sub pœna excommunicationis prohibitæ, debent suum nomen retractare, et quidem quamprimum et *sub gravi;* nec regulariter absolvi debent, antequam id præstiterint. Verum, si id præstare timore gravissimorum malorum impediantur, sub quibusdam cautelis a S. Sede determinatis absolvi possunt: non enim innodantur censura; saltem quousque nullo novo actu se adscriptos esse profiteantur.

438. — **3.** Absolvere præsumentes sine debita facultate ab excommunicatione latæ sententiæ *specialissimo* vel *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservata. *Can. 2338 § 1.*

439. *a*) Objectum hujus excommunicationis sunt excommunicationes seriei primæ et secundæ: ab his enim nemo potest quempiam absolvere, nisi hic sit in periculo mortis, aut in necessitate habendi statim absolutionem, aut ei durum sit diu manere in peccato mortali; quibus in casibus confessarius quilibet potest excommunicatum absolvere, servatis iis quæ servanda esse diximus. — *b*) Illi hic excommunicantur, qui extra prædictos casus sine debita facultate quempiam absolvere *præsumant;* non ergo ille, cui faveat « quælibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis »; nominatim qui laboraverit ignorantia crassa vel supina, sive legis, sive solius pœnæ.

440. — **4.** Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto, propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte cum eodem in divinis communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes. *Can. 2338 § 2.*

441. 1.° Excommunicantur *impendentes*. — *a*) Delictum, propter quod alter excommunicatus fuit, est delictum jam patratum: quare auxilium vel favor impendi debet illi, non in perpetratione criminis, sed in contumacia, ne ab ea vel a crimine habente tractum successivum recedat. — *b*) Excommunicantur impendentes *quodvis auxilium* vel *favorem;* auxilium physicum, vel morale exhortando ad pertinaciam, aut favorem causam ipsius perorando penes dominum qui eum vellet dimittere, etc. — *c*) Hæc vero impendantur *excommunicato vitando;* illi, nempe, qui

2) D'Annibale *In Const.* « *Ap. Sedis* » *Num 117, 5;* Palm. *451;* Noldin *74.*
3) S. Inqu. 19 maji 1886, apud *Monit. eccles.* IV. P. II. 129.

manus violentas in personam R. Pontificis injecerat, aut fuerat nominatim a Sede Apostolica excommunicatus excomunicatione publice denuntiata cum expressa declaratione ipsum vitari debere.

2.° Excommunicantur *clerici.... a*) Intelliguntur clerici *in sacris;* non Episcopi, neque clerici in minoribus; *b*) qui communicent in *divinis;* h. e., in functionibus potestatis ordinis, quæ de instituto Christi vel Ecclesiæ ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt; ac dummodo *c*) communicent *scienter* et *sponte,* h. e., exclusa quavis imputabilitatis imminutione, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis.

Communicatio in hoc est, quod clerici excommunicatum vitandum recipiant ad adsistentiam activam, quæ aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis; seu admittant ad obeunda illa officia, quæ clerici obeunt tamquam Ecclesiæ ministri; puta, si rector ecclesiæ ad Missam in sua ecclesia celebrandam admittat sacerdotem excommunicatum. Hinc uterque clericus esse debet, tum recipiens, tum receptus. Proinde heic non excommunicatur clericus, qui clericum vel laicum excommunicatum vitandum non repellat a Missa in sua ecclesia audienda; licet ipsum repellere possit et debeat: proprie enim non recipit, sed omittit repellere, et non a participatione in divinis officiis celebrandis.

442. — **5.** Qui contra præscriptum Canonis 120 ausi fuerint ad judicem laicum trahere Episcopum non proprium etiam mere titularem, aut Abbatem vel Prælatum *nullius,* vel aliquem ex supremis religionum juris pontificii Superioribus. *Can. 2341.*

443. Quid sit quempiam ad judicem laicum trahere, jam vidimus. Personæ trahendæ sunt: — *a*) *Episcopus non proprius, etiam mere titularis;* nam trahens Episcopum proprium punitur excommunicatione reservata *speciali modo.* — *b*) *Abbas* vel *Prælatus nullius* (Diœcesis), qui præsit territorio proprio separato ab omni Diœcesi, de quo Canon 319. — *c*) *Superiores supremi religionum juris pontificii* sunt Abbas Primas, Abbas superior Congregationis monasticæ, supremus religionis Moderator 4; minime vero Abbas monasterii sui juris, Superior provincialis, horumque vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes 5. Religiones juris pontificii eæ sunt, quæ approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede consecutæ sunt.

444. — **6.** Clausuram monialium violantes, cujuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes. *Can. 2342 n. 1°.*

4) Vox « moderator » utriusque generis est.
5) Hi omnes sunt Superiores *majores;* CODEX *Can. 488 n. 8.*

445. Notionem clausuræ ex alibi dictis supponimus. Excommunicatione præsenti duæ personarum classes plectuntur: *violantes* clausuram *ingrediendo*, eos *introducentes* vel *admittentes*.

1.° Excommunicantur *ingredientes*. — *a*) *Clausura* intelligitur papalis, qua necessario gaudent monasteria monialium sensu proprio, seu votorum solemnium. — *b*) Personæ huic censuræ obnoxiæ sunt *cujuscumque generis conditionis, sexus*: comprehenduntur Episcopi et Prælati ingredientes absque causa legitima; item feminæ: minime Cardinales, nec « qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu: impuberes tenentur prohibitione ingrediendi, non excommunicatione 6. — *c*) Ad excommunicationem necesse est *ingredi* in monasterium; h. e., intus ire, intra septa, quibus est signata clausura materialis; ac demum *d*) ingredi sine *licentia*, quæ *legitima* sit, tum ex parte personæ concedentis, tum ex parte causæ.

In monasteria monialium licite ingreditur Episcopus; tum propter necessitates spirituales, puta ad confirmandam monialem vel puellam graviter infirmam; tum ad visitationem canonicam, quam peragere debet quinto quoque anno, ac certe potest quoties necessarium judicaverit. Confessarius ordinarius ingredi potest, tum ad præbenda sacramenta exsistentibus in periculo mortis eisque in extremis adsistendum, tum ut infirmarum confessiones audiat pro more, eisque SS. Eucharistiam præbeat etiam quotidie: confessarius extraordinarius, item et peculiaris ad hoc officium approbatus, ingredi potest, si ab aliqua moniali infirma advocetur; at cavendum ab abusibus. Pro necessitatibus corporalibus et materialibus « Antistitæ est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, hæc jure præsumitur » 7.

Qui licite propter necessitatem ingressus sit, ea cessante mox egredi tenetur, et quidem *sub gravi*: at, si egressum differat etiam per tempus sufficiens ad peccandum mortaliter (dicunt: ultra quadrantem), non irretitur excommunicatione, quæ lata est contra violantes *ingrediendo*.

2.° Excommunicantur « Antistita, vel quælibet alia monialis, quæ personam quamcumque sine legitima licentia in monasterium introduceret vel solum admitteret », jubendo vel permittendo januam aperiri, vel eam ingredienti aperiendo. Quæ introducant vel admittant impuberem certe hac excommunicatione tenentur: imo et quæ introducant puerum vel puellam nondum septennem 8. Præter moniales, videntur hac excommunicatione teneri personas extraneas, quæ, legitime ingredientes, secum ducant aliam ingredientem sine licentia.

6) Codex *Can. 2227 § 2, 600 n. 3; 230.*
7) Codex *Can. 600 n. 4.*
8) Codex *Can. 600 1*; Instructio S. Congr. *De Relig.* 6 febr. 1924 *Num. IV*, apud *Acta Ap. Sedis* XVI. 95; *Monit. ecc.* XXXVI. 61.

446. — **7.** Mulieres violantes regularium virorum clausuram; et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cujuscumque ætatis introducentes vel admittentes. *Can. 2342. n. 2.°.*

447. 1.° Excommunicantur: *a*) *Mulieres*, h. est, feminæ puberes. Quamvis enim a clausura regularium excludendæ sint mulieres cujusvis ætatis (Can. 598 § 1), tamen impuberes a pœnis latæ sententiæ excusantur. At uxores eorum, qui supremum actu tenent principatum, cum comitatu, non tenentur lege prohibente ab ingressu. — *b*) Necesse est quod clausuram *regularium* (in sensu proprio) violent toto moraliter corpore intra septa *ingrediendo;* ingrediantur vero sine legitima licentia, danda immediate aut mediate a S. Sede, cum agatur de clausura papali.

2.° Excommunicantur *introducentes* sensu jam exposito, et *admittentes;* sive hi Superiores sint, sive non. Nec modo ratio habenda esse videtur ætatis mulieris introductæ vel admissæ, ut antea plures censebant. Jus enim novissimum habet clausulam « cujuscumque ætatis », quam non habebat Constitutio *Apostolicæ Sedis.*

448. — **8.** Moniales e clausura illegitime exeuntes contra præscriptum Canonis 601. *Can. 2342 n. 3.°.*

449. Canon heic citatus statuit: « Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio etiam ad breve tempus, quovis prætextu, sine speciali Sanctæ Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario ».

a) *Moniales* sunt « religiosæ votorum solemnium »; quæ, nempe, in ordine religioso vota solemnia nuncupaverint. Quare præsenti excommunicatione certe tenentur, quæ post triennium votorum simplicium solemnem professionem emiserunt. De iis, quæ adhuc simplicibus tenentur, negandum esse videtur; licet enim ordo sit votorum solemnium, professæ pro eo triennio non sunt proprie moniales, nec proprie religiosæ; cum eorum vota modo perpetua non sint, ac proinde ea stabilitas desideretur quæ spectat ad naturam status religiosi [9]. — *b*) Ad excommunicationem necesse est quod monasterio *exeant;* h. e., septis clausuræ toto moraliter corpore egrediantur, etiam brevissimo tempore: num exeant quæ super tectum ascendunt, ex tenore Codicis negandum videtur, nisi ascendant ad tectum externum. — *c*) Necesse est quod exeant *illegitime*, h. e., contra tenorem Canonis allati. Porro hic, præter speciale S. Sedis indultum, admittit ceu causam legitimam « casum imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali ». Periculum mortis imminere potest ex incendio aut ruina monasterii, vel ex repentina inundatione, vel ex incursione anticlericalium aut latronum. Periculum alius gravissimi mali provenire potest « ex parte cujusdam monialis, ex. gr. dementia pe-

9) Id colligendum videtur ex *Can. 487, 488 n. 7, 574.* — Ceterum lege clausuræ tenentur etiam adspirantes, dum postulatum peragunt; ergo et novitiæ.

riculosa affectæ, aut morbo epidemico laborantis; quo in casu hujusmodi monialis e clausura recedere debet, ut incolumitati religiosæ communitatis consulatur » 10. Num exire possit monialis in necessitate operationis chirurgicæ aut curæ, quæ intra claustra haberi nequeat, hodie forte dubitari potest: pro hisce casibus ad Ordinarium recurratur, cui procul dubio licebit in dubio benignitati potius indulgere quam severitati.

Monialis, quæ legitime egressa dein suo tempore non regrediatur, peccat; et quidem graviter, si extra maneat per tempus notabile, quale dicunt esse unam vel alteram diem: at ab excommunicatione immunis est. Forte immunis est etiam si exeat uno vel altero palmo, et mox revertatur: videtur enim admitti posse parvitas materiæ 11.

450. — **9.** Si quis bona ecclesiastica cujuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare præsumpserit, aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos de jure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subjacet quamdiu bona ipsa integre restituerit, prædictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit. *Can. 2346.*

451. Canone isto nonnihil immutata fuit præscriptio Concilii Tridentini.

Itaque: 1.° Objectum hujus excommunicationis sunt quælibet *bona ecclesiastica cujuslibet generis*: scilicet, « bona temporalia, sive corporalia tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quæ vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant »: inter hæc sunt bona « sacra, quæ consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt; et pretiosa, quibus notabilis valor sit, artis vel historiæ vel materiæ causa » 12. — Bona *a*) temporalia corporalia essent ager, domus, pecunia; *b*) bona incorporalia servitus activa, jus hereditatis, credita, privilegia; *c*) bona sacra calix, pyxis; *d*) bona pretiosa velum artisticum, vasculum in catacumbis repertum, ostensorium ex argento deaurato et gemmis. Verum modo comprehenduntur etiam bona non pretiosa; cum dicantur bona *cujuscumque generis*: materia certe debet esse gravis. *e*) Subjectum proprietatis, præter ecclesiam universam et Apostolicam Sedem, possent esse Ecclesiæ particulares, beneficia sæcularia et regularia, seminaria, monasteria, piæ fundationes, confraternitates et alia quæ sint sub Ecclesiæ administratione 13.

2.° Subjectum excommunicationis sunt: — *a*) Qui hujusmodi bo-

10) Instructio citata *Num. III. a.*
11) Cf. Cappello *Num. 115;* Tumm. *953;* Noldin *98.*
12) Codex *Can. 1497.*
13) Codex *Can. 99, 100, 707, 1544.* — Cf. Rivet *Inst. jur. eccl. III Num. 1.*

na in proprios usus *convertere* et *usurpare præsumpserint*: qui, scilicet, sive opera sua, sive mediante opera alius, ea bona sibi occupent et in suos usus convertant, non quasi rapina aut dolo vel furto sublata, sed ab altero erepta, tamquam propria, et quasi auctoritate et jure; atque occupatione vel detentione jus Ecclesiæ super ea bona saltem implicite negantes. Sententia ferme communis est, quod in hanc censuram incidunt etiam post Codicem emptores bonorum ecclesiasticorum a gubernio; imo et qui deinceps acquirant nova emptione, hereditate, donatione[14]. — *b*) Qui *præsumpserint impedire* ne eorumdem bonorum fructus seu reditus ab iis, ad quos de jure pertinent, percipiantur. Comprehendi heic videntur, qui sine legitima licentia conducant fundos ecclesiasticos a gubernio usurpatos; dummodo conducere *præsumant*, ac prætendant uti jure veluti suo. — *c*) Quid importet vox *præsumpserint* jam vidimus.

3.° Utrique subjecto propriæ incumbunt obligationes: prior bona ipsa integre restituat; alter prædictum impedimentum removeat: hisce tantum præstitis, impetrare possunt a Sede Apostolica absolutionem, vel in periculo mortis et in casibus urgentioribus eam habere ab Ordinario vel a confessario. — Quid, si hæc præstari nequeant? Exstant benignæ S. Sedis dispositiones et concessiones, quarum vi compositiones indulgentur ac Episcopis amplissimæ conceduntur facultates[16]. Confessarius itaque ordinarie rem deferat ad Episcopum: ab infirmo moribundo, qui non possit facere compositionem, si adire nequit Episcopum, regulariter exiget ut eam heredibus imponat, vel serio promittat se eam initurum, si convaluerit, remoto scandalo: at prima sacerdotis cura erit salus animæ.

452. — **10.** Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes; vel quamlibet operam aut favorem præbentes; nec non de industria spectantes; illudque permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint. *Can. 2351.*

453. Excommunicantur principaliter *perpetrantes, provocantes, acceptantes*: ceteri accessorie, ratione cooperationis.

1.° Duellum definitur « singulare certamen lethalibus armis ex condicto susceptum ». Certare debent unus contra unum, armis naturâ suâ valentibus mortem inferre, et ex conventione de loco, tempore et armis. — *a*) Itaque excommunicationem hanc ipso facto incurrunt *perpetrantes;* h. e., qui duellum committunt, sive solemniter cum patrinis, etc., sive privatim. — *b*) Item eam incurrunt *provocantes* simpliciter, aut simplici-

14) Ferreres *Num. 1258*; Arrequi *936;* Gen. *600;* Prümmer *518*; Pistocchi *I Canoni penali del Codice* pag. 151 (Roma 1925). — Aliter Cerato *Due questioni importanti* (Padova 1925).

15) Chelodi *Jus pœnale. Num.* 78 (Tridenti 1900).

16) Gennari *Cons. mor. II.-IX., Cons. can. VIII.*

ter *acceptantes;* et quidem, etsi duellum ex quocumque impedimento non fiat.

2.° Accessorie excommunicantur: *a) Qui quamlibet operam præbeant duello;* ex. gr., patrini, testes, qui litteras provocatorias scribant vel scienter deferant; item mandantes, consulentes: brevi omnes, per quos fit ut duellum facilius vel tutius committatur; hinc et medici, qui ex condicto cum duellantibus adsistant; imo et confessarii, qui, ex condicto, non longe absint suum ministerium duellantibus præbituri, si opus sit. Verum omnes hi excommunicantur effectu secuto; qui, ex interpretatione satis communi, non est simplex provocatio aut acceptatio, sed ipsum duellum. — *b)* Item nonnisi secuto duello excommunicantur, nedum *spectantes de industria,* h. e., qui consciis duellantibus duello data opera adsistunt; sed et *permittentes* vel *non prohibentes;* h. e., personæ auctoritate publica, sive civili, sive militari, præditæ, quæ aut positive duellum permittant, aut, cum possint, non prohibeant; ut essent principes in suis territoriis, supremi militum duces quoad milites sibi subditos.

Demum contra perpetrantes duellum habetur et alia gravissima pœna, privatio sepulturæ ecclesiasticæ; qua modo puniendi non sunt qui ante mortem aliqua dederint pœnitentiæ signa [17].

454. — **11.** Clerici in sacris constituti, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex prædictis personis, matrimonium etiam civiliter tantum contrahere præsumentes. *Can. 2388 § 1.*

455. *a)* Subjectum hujus censuræ sunt *clerici in sacris,* et *regulares* ac *moniales,* quæ emiserint votum solemne castitatis: non ergo comprehenduntur qui emiserint pro primo triennio vota simplicia. — *b)* Objectum est *matrimonium,* utique invalidum propter impedimentum Ordinis vel voti solemnis; imo, licet insuper invalidum esset ob defectum formæ canonicæ, ut esset matrimoium civile, aut etiam propter alia impedimenta affinitatis vel consanguinitatis, vel alterutrius partis simulatum consensum: minime vero, si validitati obstet error vel metus. — *c)* Præter clericos, regulares et moniales, excommunicantur omnes cum aliqua e prædictis personis contrahentes; at de illis et de istis necesse est quod *contrahere præsumant;* quare effugere possunt excommunicationem propter causas quaslibet imputabilitatem minuentes.

456. — **12.** Delictum perpetrantes simoniæ in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis. *Can. 2392.*

457. Simonia definitur « studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, vel rem temporalem rei spirituali adnexam, ita, ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, aut res spiritualis sit objectum, etsi partiale contractus: hæc est

17) Codex *Can. 1240 § 1 n. 4.*

simonia proprie dicta, seu *juris divini* [18]. Emptio-venditio intelligitur quælibet permutatio aut etiam conventio, in qua animus simoniacus, licet non expresse manifestatus, tamen ex circumstantiis colligatur.

Simonia est peccatum contra religionem et verum sacrilegium; eo quod ea emptio-venditio veram injuriam irrogat rei spirituali et sacræ, eam comparando rei temporali. Ab antiquis simonia propter suam originem dicta fuit *hæresis*, in se et propter funesta consectaria *delictum* vel *crimen*.

1.° Objectum excommunicationis est *delictum simoniæ* perpetratum. Ejusmodi certe est simonia, quæ *juris divini* seu *naturalis dicitur*: at hodie excommunciationi obnoxia esse videtur etiam simonia *juris ecclesiastici;* et quidem, nedum *realis* sed et *conventionalis*, imo et *confidentialis* [19]; dummodo conventio aut fiducia, licet tacita, exstiterit, in qua animus simoniacus, etsi non expresse manifestatus, ex circumstantiis colligatur.

2.° Subjectum hujus excommunicationis sunt *perpetrantes* delictum simoniæ. — *a*) Perpetratio delicti importat delictum vere perpetrari seu consummari: quare, licet reatus simoniæ habeatur etiam in sola attentatione, excommunicatio non habetur, nisi effectu secuto; h. e., tradita hinc re spirituali, inde re temporali. — *b*) Excommunicantur *perpetrantes*, h. e., emens et vendens, permutantes: minime vero complices, mediatores, etc. — *c*) Insuper, cum nulla adjiciatur clausula, comprehenduntur et Episcopi, minime vero Cardinales.

Cum materia simoniæ multiplex esse possit, sacramentum, ecclesiastica jurisdictio, consecratio personæ vel calicis, etc., triplex tantum obnoxia est præsenti excommunicationis: *a*) « *Officium ecclesiasticum* lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto autem sensu est munus, ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter contitutum, ad normam sacrorum Canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticæ potestatis sive ordinis sive jurisdictionis ». Hinc non omnia officia necessario adnexum habent beneficium. Hujusmodi officia absque beneficio habent Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis, Administrator alicujus Diœcesis, œconomus spiritualis alicujus paroeciæ, etc. — *b*) « *Beneficium* ecclesiasticum est ens juridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et jure percipiendi reditus ex dote officio adnexos ». Quare ad notionem beneficii duo pertinent: ex parte entis constitutio seu erectio in perpetuum; ex parte beneficiarii officium sacrum et jus percipiendi fructus ex dote. Hoc articulo intelliguntur beneficia quælibet, sive sæcularia sive regularia, sive duplicia sive simplicia, sive majora sive minora: at non sunt

18) Codex *Can. 727* 1. — Cf. *Num. 78-90.*

19) Codex *Can. 728* coll. *Can. 1441.* — Cf. Cerato *Num. 57;* Civ. Catt. *1919* IV. 162. Dubitant Cavigioli *De censuris latæ sententiæ* (Aug. Taur. 1919;) Noldin *Num. 81.*

beneficia pensiones, vicariæ temporaneæ, cappellaniæ laicales, etc. — c) *Dignitas ecclesiastica* est « titulus beneficialis adnexam habens præeminentiam » : ex jure secum ferre debet aliquam jurisdictionem in foro exteriori ; at ex consuetudine quandoque dignitas habetur absque ulla jurisdictione, præsertim in Capitulis. Dignitates in Capitulis sunt : Primicerius, Archipresbyter, Archidiaconus, Præpositus ; earumque collatio ex jure novo, tum in Capitulis cathedralibus, tum in collegialibus Sedi Apostolicæ reservatur 20.

Quare hanc excommunicationem incurrunt qui simoniæ delictum perpetraverint in electione aut resignatione cujuslibet officii ecclesiastici, aut beneficii, aut dignitatis.

458. — **13.** Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam Episcopalem pertinens, sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint. *Can. 2405.*

459. Præsenti excommunicatione Ecclesia removere vult quodcumque periculum, ne forte, Sede Episcopali vacante, quis tentet documentum aliquod sibi aut suis indecorum vel noxium, vel adversario favens, supprimere ; aut ipsum in utilitatem ac decus proprium vel in adversarii nocumentum substantiali mutatione convertere Ceterum termini clari sunt : unum advertimus, non plecti censura attentationem criminis, sed crimen facto commissum 21.

ART. IV. — Excommunicationes reservatæ Ordinario

460. Absolutio harum excommunicationum reservata est Episcopo seu Ordinario proprio personæ excommunicatæ, vel loci in quo fit confessio. Confessarius itaque ad hunc recurret pro pœnitente, ut impetret facultatem absolvendi : at pœnitentem in articulo mortis absolvere potest, et quidem sine onere adeundi Episcopum si convalescat : item absolvere potest in casibus urgentibus, imposito onere recurrendi ad Episcopum intra mensem sub pœna reincidentiæ ; quod si hic recursus sit moraliter impossibilis, confessarius pœnitentem absque eo onere absolvet, injunctis de jure injungendis et imposita congrua pœnitentia et satisfactione, sub pœna reincidentiæ. — Ab his absolvere possunt Cardinales ubique terrarum.

Excommunicationes hæ sunt sex sequentes :

461. — **1.** Catholici, qui Matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra præscriptum Can. 1063 ; qui Matrimonio uniuntur cum pacto explicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra Catholicam Ecclesiam ; qui scienter liberos suos acatholicis

20) Codex *Can. 145; 396 § 1, 1409.*
21) Plura apud Cerato *Num. 88;* Cappello *124.*

ministris baptizandos offerre præsumunt; parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt. *Can. 2319, § 1.*

462. Quatuor crimina catholicæ fidei infensissima plectuntur excommunicatione Canonis præsentis.

1.° Qui Matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra præscriptum Canonis 1063. — Præscriptum est hujusmodi: « Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtæ religionis, conjuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum præstandum vel renovandum ». Ejusmodi prohibitio, in ipso jure naturali fundata, jamdiu vigebat in Ecclesia; imo in rescriptis dispensationum super matrimoniis mixtis clausula a S. Officio semper apponitur « dummodo, neque ante neque post matrimonium coram parocho catholico initum, partes adeant ministrum acatholicum ». Quin imo hic accessus ad ministrum acatholicum, saltem post Const. Pii IX *Apost. Sedis,* habitus fuit tamquam professio adhæsionis sectæ hæreticæ, ac ipsi accedentes habiti sunt ut obnoxii excommunicationi R. Pontifici *speciali* modo reservatæ in eadem Constitutione [1].

Modo hi gravissimum peccatum committunt, et incurrunt excommunicationem reservatam Ordinario. Si casus contingat, videant parochi et confessarii qua meliori ratione conjuges, aut unum ex ipsis, resipiscentes ad sacramenta admittere possint, præsertim cum crimen natura sua publicum sit atque improvida facilitas fidelibus scandalo esse possit.

Hæc de casu, quo nupturientes adierint ministrum acatholicum, *uti sacris addictum.* Sicubi ex legibus civilibus sistendum sit coram ministro acatholico partes agenti *officialis civilis,* non est locus præsenti excommunicationi.

2.° Qui Matrimonio uniuntur cum pacto explicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra Catholicam Ecclesiam. — In rescriptis dispensationum pro matrimoniis mixtis hæc quoque clausula apponitur, ut « universa proles utriusque sexus in sancta religione catholica educetur ». Hæc quoque conditio innititur juri naturali; neque pars catholica matrimonio assentiri debet, nisi certa prorsus sit de veritate et sinceritate promissionis præstitæ a parte acatholica. Patet ergo quam graviter peccet pars illa, quæ pactum appositum acceptet ac sua promissione firmet, quamque juste præsenti excommunicatione plectatur.

Excommunicatio *a*) incurritur, non dum pactum initur, sed dum *Matrimonium* cum eo pacto *contrahitur;* neque *b*) ad eam incurrendam sufficit pactum implicitum in alia promissione generica, puta, adhærendi placitis quibuscumque compartis; sed requiritur pactum *explicitum,* sive

1) Cf. S. Inqu. 21 jul. 1880, 18 maji 1892. — Cf. Wernz *Jus matrim. Num. 588.*

sponte datum sive acceptatum, licet a parte acatholica impositum fuerit ut conditio, *sine qua non*.

3.° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre præsumant. — Dato etiam quod parentes certo sciant Baptismum ab eo ministro valide conferri, adhuc *sub gravi* hæc oblatio prohibetur. Ipsa enim oblatio liberorum est species quædam adhæsionis sectæ acatholicæ ac indifferentismum fovet et periculum affert perversionis. Quinimo, cum morraliter certum sit ministrum acatholicum collaturum esse Baptismum ritibus acatholicis ac hæresim olentibus et forte profitentibus, habetur vera communicatio in ritibus hæreticis; quod profecto numquam licet; excepto casu, quod infans in articulo mortis a nullo baptizari possit.

a) Hanc excommunicationem incurrunt *parentes* (unus vel ambo); offerendi enim dicuntur *liberi;* — *b*) Necesse est quod id faciant *scienter*: sciant nempe et legem Ecclesiæ prohibentem, et factum quod ille acatholicus est et minister, et censuram: at non excusaret eos ignorantia affectata. — *c*) Necesse est quod *offerre præsumant*: quare, si, præsertim in regione hæreticorum, id faciant compulsi timore vere gravi, ab hac excommunicatione immunes sunt.

4.° Parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt. — Quam immane sit hujusmodi catholicorum facinus, nemo non videt. Quoad censuram: *a*) Excommunicantur *parentes* vel *parentum locum tenentes*: hi in defectu parentum essent, non modo qui eorum vices gerunt juridice, ut tutores, curatores; sed et qui eorum vices gerant de facto, ut possent esse avi, patrui, fratres majores; vere enim locum parentum tenent. — *b*) Excusantur qui id faciunt non *scienter;* ignorantes nempe eam scholam esse ad instituendos alumnos in religione acatholica; scientes quidem magistros esse acatholicos, sed existimantes eos alumnis tradere disciplinas litterarias, naturales, etc.; et hoc, etiamsi eorum ignorantia sit crassa vel supina; quia nempe de religione liberorum nihil curant. — *c*) At non excusantur, qui id faciant compulsi metu quantumvis gravi: agitur enim de damno liberorum gravissimo et sæpe irreparabili: hinc non requiritur quod tradere *præsumant*.

463. — **2.** Qui falsas reliquias conficiunt, aut scienter vendunt, distribuunt vel publicæ fidelium venerationi exponunt. *Can. 2326.*

464. Hæc peccata opposita sunt religioni; eo quod fideles in rebus sacris decipiunt, ac faciunt ut hi venerationem exhibeant objectis ea non dignis. Hinc opportune Tridentinum Concilium decreverat ut circa Reliquias « omnis turpis quæstus eliminetur;... nec novas Reliquias recipiendas, nisi recognoscente et approbante Episcopo ».

Hac censura plectuntur: *a*) Qui falsas reliquias *conficiunt;* ex gr., manu sua epistolam conscribendo quæ conscripta credatur manu S. Alphonsi; *b*) qui eas *vendunt scienter,* nempe cum scientia de falsi-

ficatione; quare ignorantia etiam crassa vel supina hos excusat; *c*) qui eas *publicæ venerationi exponunt*: imo hoc est malum *per se;* dum priora mala sunt propter hoc. Adverbium *scienter* videtur spectare etiam ad distribuentes et exponentes.

465. — **3.** Qui violentas manus injecerint in personam clericorum (infra Episcopos), vel utriusque sexus religiosorum. *Can. 2343 § 4.*

466. Quid sit « manus violentas injicere » jam vidimus. Quoad personas, quarum incolumitati ac dignitati heic consulitur: *a*) *Clerici* sunt « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt ». — *b*) *Religiosi sunt* « qui vota nuncuparunt in aliqua religione »; sive ea solemnia sint, sive simplicia, sive perpetua sive temporaria » [2]. — *c*) Excommunicationi subesse a nonnullis dicuntur et qui manus injecerint in novitium vel novitiam [3].

467. — **4.** Procurantes abortum, effectu secuto, matre non excepta. *Can. 2350 § 1.*

468. *a*) Abortus est « ejectio fetus immaturi »: quare huc non pertinent craniotomia, embryotomia, aliæve operationes occisivæ fetus; at abortus intelligitur, etsi fetus ejiciatur paulo post conceptionem; ac proinde, etsi supponatur inanimatus. — *b*) Excommunicantur *procurantes* abortum; h. e., qui studiose et ex industria operam efficacem, physicam et proximam præstant ejectioni fetus. Ejusmodi essent, qui feminam prægnantem percutiant vel terreant ut ipsa fetum abigat; qui ad hunc finem ei præbeant potionem aut venenum: at qui percutiant vel terreant ex ira aut odio, et quidem periculum abortus prævidendo, graviter quidem peccant, abortum non procurant.

Quod inter procurantes huic censuræ subjiciantur mandantes, sententia jam erat satis communis: modo dicenda est certa. De consulentibus, de medicis de obstetricibus et aliis, qui faciunt ut mulier abigat, disputabatur [4]; illud certum est hos omnes peccare mortaliter.

De ipsa matre abortum in se procurante, modo res certa. At immunis est a censura, non a gravissimo peccato, femina illa, quæ ad hoc crimen adacta fuerit metu vere gravi; hic enim a pœnis latæ sententiæ eximit: nec in casu præsenti locus est exceptioni.

Ad excommunicationem necesse est quod *effectus secutus* fuerit: scilicet, et constet fetum vere exsistentem et immaturum ejectum fuisse, et causam fuisse media ad ejectionem procurandam adhibita.

469. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quid, si, qui abortum procuravit, post causam positam et ante effectum vere doleat?

2) Codex *Can. 108 § 1, 488 n. 7.*

3) Novitii gaudent privilegio canonis, ex Codice *Can. 614* coll. *Can. 119.* Hoc infert quod qui manus in eos injiciant, peccant contra religionem, at nihil amplius.

4) Codex *Can. 2231.* — Dubitat adhuc Cappello *Num. 72.*

Resp. Sententia communior affirmat eum censurâ irretiri statim ac sequitur abortus; et quidem etiam in casu, quo antecedenter ad abortum a peccato absolutus fuerit; at difficile est negare opinionis oppositæ probabilitatem; quæ pro se habet auctoritatem S. Alphonsi et aliorum plurium 5.

Qu. 2. Quid, si, qui abortum procuravit, ignorabat excommunicationem?

Resp. In eo casu, satis obvio, excommunicationem non incurrit: quia vero, hac sublata, peccatum non est Ordinario reservatum, ab eo absolvere poterit quilibet confessarius.

Ceterum Ecclesia, dum leges fert, vult eas fidelibus esse cognoscendas; quod maxime curandum est parochis et confessariis.

470. — **5.** Religiosi apostatæ a religione laicali, aut, si clericalis, non exempta. *Can. 2385.*

471. Pro diversitate religionis alia et alia habetur reservatio in Canone præsenti. Religio est *clericalis,* si plerique sodales sacerdotio augentur: secus est *laicalis.* Item religio potest esse subdita jurisdictioni Ordinarii loci, aut ab ejus jurisdictione exempta.

Religiosi *apostatæ* a quavis religione ipso jure incurrunt in excommunicationem. Apostata vero dicitur « professus a votis perpetuis, sive solemnibus sive simplicibus, qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosæ obedientiæ sese subtrahat » 6.

Itaque: *a*) Si religio sit laicalis aut clericalis non exempta, apostata, sive regularis aut monialis, sive religiosus aut soror, incurrit excommunicationem reservatam Ordinario loci, in quo commoratur. — *b*) Si religio clericalis sit et a jurisdictione Ordinarii exempta, incurrit excommunicationem reservatam proprio Superiori majori 7. — *c*) Pro utroque ad apostasiam et excommunicationem necesse est quod antea vota perpetua nuncupaverit.

472. — **6.** Professi votorum simplicium perpetuorum, tam in ordinibus quam in congregationibus religiosis, qui matrimonium etiam civiliter tantum contrahere præsumant; item omnes qui contrahere præsumant cum aliqua ex prædictis personis. *Can. 2388 § 2.*

473. De objecto hujus excommunicationis jam diximus: modo de ejus subjecto.

1.° Excommunicantur *professi votorum simplicium perpetuorum.* — *a*) Quoad congregationes religiosas res obvia. In his post vota simplicia

5) S. Ligorius *VII. 40.* Idem sentit Capp. *l. c.* negat Cer. *l. c.* ex *Can. 2209.*

6) Codex *Can. 644 § 1.* — Animus non redeundi præsumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit, nec Superiori animum redeundi manifestaverit.

7) Codex *Can. 2385.* — Quinam Superiores majores, edicit. *Can. 488, n. 8.*

temporaria fiunt simplicia perpetua. Qui matrimonium ante hanc emissionem contrahere præsumant, peccant quidem et graviter, si vota non cessarunt aut impetrata ab eis non fuit dispensatio; at non incurrunt excommunicationem; incurrunt, si postea. — *b*) Quoad ordines sive regularium sive monialium, prima votorum simplicium professio post emensum novitiatum dicitur « ad triennium valitura ». Hinc ea vota simplicia non sunt perpetua; ac proinde præsens excommunicatio limitanda esse videtur ad eas tantum religiosas, « quarum vota ex instituto sunt solemnia (hinc sunt vere moniales), sed pro aliquibus locis ex Apostolicæ Sedis præscripto sunt simplicia » 8.

2.° Excommunicantur omnes, qui cum aliqua e prædictis personis matrimonium contrahere præsumant. — Quoad has personas supponuntur eædem limitationes, quas modo exposuimus.

3.° Tum de professis, tum de contrahentibus cum ipsis, dicitur requiri quod contrahere *præsumant*: at in hoc crimine difficile deerit præsumptio.

4.° Tum illi tum isti excommunicantur, etiam si præsumant tantummodo actum civilem præstare.

ART. V. — Excommunicationes nemini reservatæ

476. Ejusmodi excommunicationes quinque sunt. Ab iis quilibet confessarius absolvere potest, nihil amplius pœnitenti imponens, quam quæ ab ipsa criminis natura jure sive naturali sive positivo exiguntur. — Excommunicantur:

477. — **1.** Auctores et editores, qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant. *Can. 2318 § 2.*

478. Jam Tridentinum Concilium adversus novitates protestanticas decreverat modum imponendum esse editionibus sacrarum Scripturarum. Nominatim impressoribus vetuerat ne sine licentia Superiorum ecclesiasticorum ipsos sacræ Scripturæ libros et super illis adnotationes et expositiones imprimerent; nec ejusmodi libros ederent, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario [1]. Ita et recenti jure statuitur: « Nisi censura ecclesiastica præcesserit, ne edantur etiam a laicis libri sacrarum Scripturarum vel earumdem adnotationes et commentaria ». Ad sanctionem hujus prohibitionis lata fuit hæc excommunicatio.

Objectum excommunicationis sunt: *a*) *Libri sacrarum Scripturarum*, quantumvis conformes esse dicantur et sint editionibus approbatis; *b*) *adnotationes* in eosdem libros, licet et a catholicis scriptæ sint et catholice; c) eorumdem librorum *versiones*, quantumvis fideles esse dicantur et sint.

8) Codex *Can. 488 n. 7.* — Hæc istinctio ad regulares non spectat.

1) Conc. Trid. *Sess. IV. De edit. t usu ss. Liborum;* Codex *Can. 1385 § 1.*

Subjectum sunt: *a*) *Auctores* adnotationum et versionum; *b*) *editores*, h. e., qui libros, adnotationes, versiones, imprimi et publici juris fieri curant: non proprietarii typographiæ, nisi sint simul editores, nec compositores, impressores, operarii, venditores.

479. — **2,** Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticæ sepulturæ infideles, apostatas a fide, vel hæreticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra præscriptum Canonis 1240 § *1. Can. 2339.*

480. *Sepultura ecclesiastica* sensu canonico et liturgico « consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis » 2. Juxta hanc definitionem triplici elemento constat ecclesiastica sepultura. Quandoque tamen usu etiam ecclesiastico ea accipitur sensu limitato pro tertio tantum elemento; adeo ut nomine sepulturæ ecclesiasticæ veniat « cadaveris depositio in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis ». In quo consistat hæc deputatio legitima, inter liturgicos non plene convenit: certe hæc habetur per benedictionem cœmeterii secundum ritus in libris liturgicis traditos, quibus benedicenda sunt cœmeteria etiam societatis civilis propria, saltem si qui in eis condi solent sint majore ex parte catholici; at, si hæc benedictio, obstante civili auctoritate, impossibilis sit, sufficere videtur quod sepeliendi in eo cœmeterio sint moraliter omnes fideles: quod si talis rerum conditio sit, ut benedicendi sint singuli tumuli, tunc isti tantum sunt condendis fidelibus legitime deputati, extra quos tumulos locus non datur præsenti excommunicationi.

Qui sub hac excommunicatione prohibentur tradi sepulturæ ecclesiasticæ sunt: *a*) *Infideles,* qui ne per Baptismum quidem fidem susceperunt; *b*) *apostatæ, hæretici, schismatici;* qui quinam sint alibi vidimus: *c*) alii *excommunicati* et *interdicti* contra præscriptum Canonis 1240 § 1. Porro heic de illis statuitur quod debeant esse *notorii;* de istis, quod sint excommunicati vel interdicti *post sententiam;* de utrisque, quod nulla dederint pœnitentiæ signa.

Ad præsentem excommunicationem requiritur, quod alicujus e prædictis cadaver *a*) *sepulturæ ecclesiasticæ tradatur,* h. e., in tumulo condendis fidelibus legitime deputato locetur 3. — *b*) Tunc excommunicantur qui tradi mandarunt, si id fecerint auctoritate publica: item excommunicantur qui tradi coëgerint vi vel metu; non qui id consecuti fuerint precibus, mendaciis, pecuniis. — *c*) Tum mandantes tum cogentes a censura excusantur per quamcumque imputabilitatis imminutionem, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis: proinde et qui mandare aut

2) Codex *Can. 1204*; cf. et *Can. 1206.*

3) Non qui mandant justa persolvere, cadaver comitari etc. — Quidam putant ad *traditionem* ac proinde ad censuram requiri tria elementa *Canonis 1204.*

cogere debuerint vi officii proprii: tunc enim non verificatur quod mandare vel cogere *ausi sint.*

481. — **3.** Qui in alienandis bonis ecclesiasticis scienter prætermiserint beneplacitum apostolicum contra præscriptum Canonum 1530, 1532: hac excommunicatione tenentur omnes quovis modo rei, sive dando, sive recipiendo, sive alienationi consensum præbendo. *Can. 2347 n. 3°.*

482. En Canonum præscripta: Canon 1530 § 1 n. 3.: « Ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quæ servando servari possunt, requiritur licentia legitimi Superioris ». — Canon 1532 § 1 n. 1 et 2: « Legitimus Superior est Sedes Apostolica, si agatur de rebus pretiosis, vel de rebus quæ valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum ».

1.° Objectum prohibitionis sub pœna excommunicationis sunt: *a*) *Res pretiosæ.* Res heic intelliguntur bona mobilia, quæ servando servari possunt: sunt vero pretiosa ea bona, quibus notabilis valor sit ratione *artis* aut *historiæ* aut *materiæ*. Ratione *artis* essent pretiosæ pictura Sanctii, statua Buonarotti, casula artistice elaborata. Ratione *historiæ* pretiosum posset esse rarissimum numisma romanum, codex alti medii ævi, etc. Ratione *materiæ* valor objecti vel objectorum debet esse notabilis juxta pretium legale vel commune: porro, spectata hodierna rerum æstimatione, ad valorem notabilem requiri videtur pretium, quod multum excedat francos mille 4. Juxta receptam sententiam, bonis ratione materiæ pretiosis accensendi sunt census publici (Rendita, titoli, azioni, buoni del tesoro, obligazioni, etc.) 5: minime vero pecuniæ ad usum quotidianum destinatæ, etsi ad lucrum et ad majorem securitatem penes arcam parcimonialem deponantur. — *b*) *Res immobiles;* ut sunt prædia, fundi, domus, etc. Relate ad præsentem censuram, necesse est quod rerum alienandarum valor excesserit libellas vel francos triginta millia. — c) Hæ res sive mobiles sive immobiles debent esse *ecclesiasticæ* sensu lato: ejusmodi sunt, quæ constituunt patrimonium alicujus ecclesiæ aut monasterii votorum etiam simplicium, vel seminarii; beneficia ecclesiastica, et bona cujusvis operis pii, quod fuerit Ecclesiæ auctoritate erectum et ab ea administretur. Hac censura non videtur plecti alienatio, quæ fiat ab una ecclesia ad aliam, ab uno monasterio ad aliud: cessat enim finis censuræ 6.

4) Nostri majores hærebant inter francos quingentos et mille. — Cf. VERM. *De instit. relig. Num. 436.* — Usque ad francos mille accedit S. Congr. Conc. 12 julii a. 1919 apud *Acta Apost. Sedis.* XI pag. 418. — Cf. *Monit. eccl.* XXXIV. 103.

5) S. Congr. Conc. 17 jan. 1906. — Ceterum « Administratores possunt *titulos ad latorem,* quos vocant, commutate in alios titulos magis aut saltem æque tutos ac frugiferos, exclusa quavis commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii diocesani Consilii administrationis aliorumque quorum intersit ». CODEX *Can.* § 2.

2.° Subsunt huic excommunicationi illi, qui in his alienandis *prætermiserint beneplacitum apostolicum*. Hoc enim requiritur ex ipsa horum bonorum natura, ex qua eorum suprema administratio spectat ad R. Pontificem; idem jure positivo præscribitur et determinatur, olim vi Const. *Ambitiosæ*, hodie vi Canonum 1530, 1532. Alienatio, quæ absque hoc beneplacito fiat, graviter illicita est et præsenti excommunicatione mulctatur: tamen licita habetur pro casibus urgentibus, in quibus immediatam alienationem exigat urgens necessitas, vel etiam ex subita alienatione ingens utilitas: hisce in casibus petendum Ordinarii consensus; qui, si tempus non suppetat, poterit saltem in casibus extraordinariis præsumi 7. — Cum varii sint modi alienationis prohibitæ, excommunicatione hac plectuntur: *a*) Qui ea bona *dederint* per actum, sive juridicum (in bonis immobilibus), sive etiam privatum (in rebus mobilibus) translativum proprietatis: huc spectant donatio, venditio, permutatio, quæ fiant ad administratore vel superiore. — *b*) Item omnes, qui ea bona donata, vendita, permutata *receperint*. — *c*) Qui traditioni horum bonorum *consensum præbuerint*, consensum nempe ad alienationem necessarium; hujusmodi essent æditui (fabbriceri), membra Consilii administrationis, etc.: verum hi nonnisi effectu secuto, h. e., cum de facto bona alienantur.

483. — **4.** Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem, tam solemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam. *Can. 2352.*

484. Tum Ecclesiæ universæ tum religionum maxime interest, ut, qui statum clericalem vel religiosum amplectuntur, unice moveantur, illi instinctu divinæ vocationis, hi cupidine ascendendi ad culmina christianæ perfectionis. Cum plura hisce motivis obesse possint obstacula, unum removet Canon præsens, secutus præ altera parte similem sanctionem datam a Concilio Tridentino.

1.° Subjectum: *a*) Excommunicantur qui *cogant quoquo modo;* ergo, nedum qui cogunt vi vel metu, sed etiam qui minis aut etiam metu reverentiali; et hoc sive per se, sive per aliam personam. — *b*) Excommunicantur personæ *qualibet etiam dignitate fulgentes;* ergo etiam Episcopi, principes et reges; unice excipiuntur Cardinales. Ceterum, licet peccatum fiat in actu vel actibus cogendi, excommunicatio incurritur cum vir statum clericalem per tonsuram amplectitur, cum vir vel femina religionem ingreditur vel professionem emittit.

6) Ballerini *Num. 478*; Verm. *De Relig. 236;* Gen. *611.* — Aliter Capp. *139.*

7) Num. possit Ordinarius intra certo summæ limites rerum utcumque pretiosarum alienationem permittere, cf. S. C. Conc. die 17 jan. a. 1922, apud *Monit. eccl.* XXXIVI. 103.

2.° Objectum duplex: *a*) Si quis cogat virum ad *amplectendum statum clericalem*: porro id verificatur in susceptione primæ tonsuræ. — *b*) Si cogat virum vel mulierem ad *religionem ingrediendam* etiam votorum simplicium, vel ad *emittendam professionem*. Si quis virum vel feminam ad ingrediendum cogat, quem vel quam ad profitendum cogat alter, certe uterque excommunicationem incurrit: si quis virum vel feminam ad ingrediendum cogat, ex qua coactione dein iste vel ista profiteatur, cogens excommunicationem semel incurrit, nempe cogendo ad ingressum; qui e contra bis excommunicaretur, si prius ad ingrediendum cogeret, dein ad profitendum.

485. — **5.** Fideles, qui scienter omiserint sacerdotem, a quo sollicitati fuerint, infra mensem denuntiare, contra præscriptum Can. 904 *Can. 2368.*

486. Canon 904 hæc statuit: « Ad normam Constitutionum Apostolicarum et nominatim Const. Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ*, debet pœnitens sacerdotem reum delicti sollicitationis in confessione intra mensem denuntiare loci Ordinario vel Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata ejus conscientia, de hoc onere pœnitentem monere ». Ex citatis Constitutionibus, si quis ad turpia sollicitatus fuerit a sacerdote cum relatione ad confessionem, debet eumdem sacerdotem denuntiare Ordinario loci vel Congregationi S. Officii, et hoc *sub gravi* et intra mensem a facto et a cognita obligatione. Inde est, quod confessarius, coram quo primum pœnitens ille habitam sollicitationem aperiat, debet eum de hac obligatione monere: fideles enim eam communiter ignorant; et utinam numquam essent edocendi!

Præsentem excommunicationem incurrit fidelis ille, qui, postquam obligationem noverit, eam implere omittit; incurrit vero, si elabi sinit integrum mensem a cognita, nedum obligatione, sed etiam adnexa censura. Interim confessarius, facta monitione et accepta a pœnitente promissione implendi intra mensem, eum absolvat. — Quid si post mensem redeat, promissione non impleta? Pœnitens intra spatium illud post mensem erat excommunicatus, excepto casu impossibilitatis: nunc vero confessarius eum absolvere non debet, « nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit ». Ita Can. 2368; quibus verbis indicatur quod, si pœnitens excommunicatus serio promittat, absolvi potest statim et a censura et a peccato.

CAPUT II.

INTERDICTA

Interdicta quatuor habentur; quorum unum reservatum est Apostolicæ Sedi speciali modo, alterum Ordinario, duo nemini.

487. — **1.** Universitates, Collegia, Capitula aliæve personæ

morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, interdictum speciali modo Sedi Apostolicæ reservatum incurrunt. *Can. 2332.*

488. De crimine appellationis a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium jam diximus superius. Si crimen hoc committatur ab Universitatibus, Capitulis aliisve personis moralibus, hæ contrahunt interdictum *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservatum.

489. — **2.** Sponte sepulturam ecclesiasticam donantes infidelibus, apostatis a fide, vel hæreticis, schismaticis, aliisve sive excommunicatis sive interdictis, contra præscriptum. Can. 1240 § 1, contrahunt interdictum ab ingressu ecclesiæ Ordinario reservatum. *Can. 2339.*

490. Prohibitio in Canone citato latius extenditur, quam præsens interdictum. Privantur nempe sepultura ecclesiastica: 1.° Notorii apostatæ a christiana fide, aut sectæ hæreticæ vel schismaticæ aut sectae massonicæ aliisve ejusdem generis societatibus notorie addicti; 2.° Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; 3.° Qui se ipsos occiderint deliberato consilio: 4.° Mortui in duello aut ex vulnere inde relato; 5.° Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi; 6.° Alii peccatores publici et manifesti. — De omnibus tamen ponitur conditio: « nisi ante mortem aliqua dederint pœnitentiæ signa ».

Interdicto subjiciuntur, qui *sponte* ecclesiasticam sepulturam donaverint, h. e., neque ex mandato neque ex coactione; et in primis parochus vel rector ecclesiæ. Sepultura hic est accipienda præ tribus elementis *Can. 1204.*

491. — **3.** Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis, vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure contrahunt; donec arbitrio ejus, cujus sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint [1]. *Can. 2338 § 3.*

492. Interdicto subjiciuntur: *a*) *Celebrantes*, h. e., ipse sacerdos celebrans; item *celebrari facientes*, ex gr., dominus oratorii interdicti; *b*) item admtitentes ad celebranda divina officia....; puta parochus vel rector ecclesiæ: verum *c*) tum illos tum istos eximit ab interdicto igno-

1) Plura de his D'ANNIBALE *In Const.* « *Apost. Sedis.* » *Num. 218-221.*

rantia etiam crassa de facto interdicti, excommunicationis, etc. *d*) Data congruenti satisfactione, interdictum cessat absque absolutione.

493. — **4.** Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti. *Can. 2338 § 4.*

494. Hoc interdicto puniuntur qui delicto suo causa fuerunt, qua locus aut communitas seu collegium subjecta fuerunt interdicto locali aut personali, generali vel particulari. Est vera et justa punitio in personam; puta, præsidis, cujus mandato Universitas a decreto Pontificis ad universale Concilium appellaverit. Interdictum hoc nemini est reservatum.

CAPUT III.

SUSPENSIONES

495. Suspensiones quindecim habentur; quarum septem sunt reservatæ Sedi Apostolicæ, una Ordinario, una Superiori majori; reliquæ nemini sunt reservatæ: neque omnes sunt censuræ sensu proprio.

ART. I. — SUSPENSIONES RESERVATÆ SEDI APOSTOLICÆ

496. Ab his in casibus occultis absolvere potest Ordinarius, sive per se, sive per alium. Præterea tum in articulo mortis tum in casibus urgentioribus confessarii habent easdem facultates, quas pro absolvendo ab excommunicationibus reservatis simpliciter.

497. — **1.** Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri adsistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra præscriptum Can. 953. *Can. 2370.*

Casus rariores et confessariis non obvii.

498. — **2.** Clerici, qui per simoniam ad ordines scienter promoti fuerint, aut sacramenta ministraverint vel receperint. *Can. 2371.*

499. *a*) Qui sint prima tonsura initiati suspensionem incurrunt, si et quoties *ordinem etiam minorem recipiunt;* cum et hi in jure veniant nomine ordinum [1]; item, si et quoties sacramenta administrent aut recipiant. — *b*) Verum ad hoc necesse est quod ordines receperint *per simoniam,* utique realem; et quidem *scienter.* Quare, si contractus simoniacus ab aliis initus fuerat ipso clerico inscio, ignorantia licet crassâ vel supinâ, ipse a suspensione simoniacæ ordinationis et a subsequentibus immunis est.

1) CODEX *Can. 949, 950.* — *Ordo* heic non dicitur prima tousura, ut facile eruitur ex contextu verborum.

500. — **3.** Suspensionem a divinis ipso facto contrahunt, qui recipere ordines præsumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, hæretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic suscepti, donec dispensetur. *Can. 2372.*

501. 1.° Suspensio hæc *a*) est a *divinis;* quæ proinde « vetat omnem actum potestatis ordinis, quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet » 2). — *b*) Hanc contrahunt qui ordines etiam minores recipere *præsumunt;* ergo non illi, qui recipiant ex ignorantia crassa vel supina aut ex gravi metu. — *c*) Recipiant vero ab *excommunicato.... post sententiam;* ergo non contrahunt qui recipiant ab excommunicato tolerato, vel a suspenso aut interdicto ex jure, vel ab homine ante sententiam: aut *d*) recipiant ad *hæretico... notorio;* ergo non *contrahunt* qui recipiant ab occulto.

2.° Qui bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, *a*) *careat exercitio ordinis sic suscepti.* Hæc est mera privatio quoad ordinatum, et quasi pœna in ordinantem 3. — *b*) Ea privatio perdurat donec ordinatus *ab ea dispensetur*: at dispensatio videtur dari posse ab Episcopo; secus ea clausula superflua foret.

Quid, si dubitaverit, et ex culpabili desidia neglexerit inquirere? — Adhuc videtur dispensari posse ab Episcopo; cum in re dubia accipiendum sit quod est reo favorabilius 4.

502. — **4.** In suspensionem per annum ab ordinum collatione incurrunt: 1.° Qui contra præscriptum Can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint; 2.° Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra præscriptum Can. 993 n. 4, 994; 3.° Qui aliquem ad Ordines majores sine titulo canonico promoverint contra præscriptum Can. 974 § 1 n. 7; 4.° Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quæ sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissoriis proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in Can. 966. *Can. 2373.*

2) CODEX *Can. 2279* § 2 *n.* 2.

3) Cf. D'ANNIBALE *Summ.* I. *394 VI,* et *In Const.* « *Ap. Sedis* » *Num. 206.* — Simul adverte quæ dicimus in *Nota 5.*

4) D'ANNIBALE *In Const. Num. 205 sequ.;* PALM. ad Gury *Num. 811, II,* et *Opus theol.* VII. *Tract. XI. 536.*

503. Suspensiones hæ partiales sunt, nempe ab ordinum collatione tantum: nec sunt proprie censuræ, cum prohibitio sit per annum 5.

504. — **5.** Religiosus clericus cujus professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in Ordinibus majoribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicæ aliter visum fuerit. *Can. 2387.*

Suspensio est generalis. Ad eam vero incurrendam necessaria sunt tria: *a*) Professio, sive solemnis, sive simplex, fuerit nulla; *b*) id factum fuerit ob dolum ipsius religiosi; ac insuper *c*) ejus nullitas declarata fuerit auctoritate legitima.

505. — **6** Professus vota perpetua in sacris, qui dimissus fuerit ob delicta minora iis de quibus in Can. 670, ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit. *Can. 671.*

506. — **7.** Capitula, conventus aliique omnes ad quos spectat, qui electos, præsentatos, nominatos ad beneficium vel dignitatem ecclesiasticam in eorumdem possessionem vel regimen seu administrationem admiserint ante litterarum confirmationis vel institutionis præsentationem, ipso facto a jure eligendi, nominandi vel præsentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. *Can. 2394 n. 3°.*

507. **Appendix.** — *1.* Clericus, qui, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliquam personam privilegio fori fruentem (infra personas indicatas *Num. 441, 443*) ausus fuerit trahere ad judicem laicum, incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario. *Can. 2341.*

Hæ personæ privilegio fori fruentes sunt clerici omnes divinis ministeriis mancipati, saltem per primam tonsuram; item religiosi omnes utriusque sexus, etiam laici et novitii 6.

2. Religiosus fugitivus, si sit in sacris, ipso facto incurrit in suspensionem proprio Superiori majori reservatam. *Can. 2386.*

Hæc suspensio, eo quod lata est forma generali, omnes ejus effectus importat.

3. Clericus religiosus in sacris, si ab Ordine dimittatur ob delicta minora iis de quibus in Can. 670, ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit. *Can. 671 n. 1.*

5) Codex *Can. 985 n. 7* decernit regularitatem contrahi posse ex violatione suspensionis (vel interdicti), quæ non sit ensu proprie censura.

6) Codex *Can. 108 § 1, 120 § 1, 614.*

ART. II. — SUSPENSIONES NEMINI RESERVATÆ

508. — **1.** Sacerdos, qui sine necessaria jurisdictione præsumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus. *Can. 2366.*

509. In utroque casu absolutiones datæ ab his sacerdotibus *per se* invalidæ sunt; licet circumstantiæ dari possint, in quibus, supplente Ecclesia jurisdictionem, fiant validæ *per accidens* [1]. Verum numquam licet absolvere in casu, in quo certum est Ecclesiam non supplere; nec regulariter licet Ecclesiam cogere ad supplendum: ad hos casus referuntur suspensiones præsentes.

In prima parte hujus Canonis suspenditur a divinis sacerdos, qui sine necessaria jurisdictione *præsumit confessiones audire;* seu sciens volens audit, licet non absolvat; quare a suspensione ipsum excusat ignorantia etiam crassa et supina, in casu præsenti haud facilis. — *b*) In altera parte suspenditur, non qui audiat, sed qui, audita confessione et in hac peccato reservato, ab hoc *absolvere præsumat;* quare hic quoque effugere potest suspensionem ex ignorantia crassa vel supina, quæ in casu præsenti minus difficilis est. Hæc suspensio est ab audiendis confessionibus.

510. — **2.** Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam ætatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus. *Can. 2374.*

511. Litteræ dimissoriæ sunt eæ, quibus Episcopus aliquem sibi subditum ad alium Episcopum mittit, ut ab eo ad tonsuram vel ad sacros ordines promoveatur. Ætas canonica est, ut subdiaconatus non conferatur ante annum vigesimum primum completum, diaconatus ante completum vigesimum secundum, presbyteratus ante completum vigesimum quartum. Ordinatio per saltum in hoc est, quod ordo superior accipiatur ante inferiorem. Vox « malitiose » indicat ad suspensionem requiri quod prædicta crimina fiant scienter et libere ad decipiendum ordinantem et sic extorquendam ordinationem.

512. — **3.** Clericus, qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare præsumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit. *Can. 2400.*

513. Quid sint officium, beneficium, dignitas, jam alibi vidimus. Resignatio officii, beneficii, dignitatis, est ejusdem abdicatio ex justa causa sponte ac legitime facta ex auctoritate Superioris. Natura rerum resignandarum postulat, ut earum resignatio fiat tantum in manus legitimi Superioris ecclesiastici.

1) « In errore communi... jurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno ». CODEX *Can. 209.*

514. — **4.** Abbas vel Prælatus *nullius*, qui contra præscriptum Can. 322 § 2 benedictionem non receperit, est ipso facto a jurisdictione suspensus. *Can. 2402.*

515. Canon citatus statuit: « Abbates vel Prælati *nullius*, qui ex præscripto apostolico vel ex propriæ religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant ».

516. — **5.** Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra præscriptum Can. 958 § 1 n. 3 ipso facto subjacet suspensioni a divinis. *Can. 2409.*

517. Canon citatus statuit: « Litteras dimissorias pro sæcularibus dare potest, quamdiu jurisdictionem in territorio retinet,.... de Capituli consensu Vicarius Capitularis post annum a sede vacante; intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem diœcesis sine dilatione sit providendum ».

518. — **6.** Superiores religiosi, qui contra præscriptum Can. 965-967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere præsumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missæ celebratione. *Can. 2410.*

Res clara: ceterum hæc suspensio non est proprie censura.

TRACTATUS QUARTUS
DE IRREGULARIATIBUS

Cum hæc materia ex Codice normas determinatas acceperit, simul vero in lectionibus Juris canonici fusius exponi soleat, nobis liceat et eam per summa capita attingere. — Dicemus: 1.° De irregularitatibus in genere; 2.° de irregularitatibus in specie; 3.° de cessatione irregularitatum.

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE

519. *Irregularitas* definiri potest « impedimentum natura sua perpetuum jure ecclesiastico constitutum, quo propter reverentiam divinis ministeriis debitam alicui interdicitur directe et per se ordinum susceptio, indirecte et per consequens ordinum susceptorum exercitium » 1. Dicitur *a) impedimentum*: non enim proprie pœna est, sed quædam inhabilitas ad sacra obeunda; et hoc, etsi quandoque in pœnam delicti contrahatur. — *b)* Dicitur impedimentum *jure ecclesiastico constitutum*: non enim provenit immediate et per se ex jure naturali aut divino; quo, ex. gr., fit ut infans non possit baptizare, ut femina non possit Missam celebrare: nec provenit ex aliqua hominis sententia, qua quis prohiberi possit ab ordine accipiendo vel exercendo; sed instar axiomatis habetur: « nulla irregularitas, quæ non sit in Jure expressa » 2. — *c)* Dicitur *natura sua perpetuum*: impedimentum enim, quod per se naturaliter tollitur, ut esset defectus ætatis vel scientiæ, non est irregularitas: hæc tolli tantum potest per dispensationem. — *d)* Eo impedimento *interdicitur directe et per se ordinum susceptio*, imo et tonsuræ: susceptio non irritatur, sed prohibetur, et *sub gravi*: hinc per se graviter peccant, tum ille qui ordinem aut tonsuram confert, tum qui suscipit. — *e)* Eodem impedimento interdicitur *ordinum susceptorum exercitium;* proinde et receptio beneficii, cui adnexum est ministerium interdictum. Tamen exercitium validum est, etiam in iis, quæ supponunt datam ab Ecclesia jurisdictionem. — *f)* Motivum utriusque prohibitionis est *reverentia debita sacris ministeriis*: Ecclesia enim jure ab iis arcet eos, quos judicat ea exercere non posse cum debito decore ac dignitate.

520. **Consectaria.** — I.um Omnis et solus masculus, baptizatus

1) Cf. D'Annibale *Summ.* I *Num. 399;* Noldin. III. *479-498;* Wernz *Jus Decret.* II. *95-155;* Cerato *Censuræ* in *Art. XXI.*

2) Codex *Can. 983.* — Consectaria apud D'Ann. *Num. 399.*

et legibus Ecclesiæ subditus, potest esse subjectum irregularitatis: non femina, nec infidelis, nec infans, nec Romanus Pontifex.

2.um « Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu (atque impedimentorum) ab eisdem non excusat » 3.

3.um «Irregularitates (et impedimenta) multiplicantur ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetitione ejusdem causæ, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario » 4. Hinc: — *a*) Triplici innodatur irregularitate, qui est illegitimus et corpore vitiatus et bigamus; item, qui est infamia juris notatus et seipsum mutilavit et actum ordinis sibi prohibitum exercuit. — *b*) Unica tenetur irregularitate judex, qui tres tulit sententias capitales, sacerdos qui suspensus ter Missam celebravit. — *c*) Qui tres homines tribus ictibus occidit tres incurrit irregularitates; unam qui tres procuravit abortus.

4.um Nemo habendus ut irregularis, nisi de irregularitate certo constet, tum ex parte juris, tum ex parte facti: irregularitas enim est res odiosa; nedum quæ ex delicto, sed et quæ ex defectu. Forte excipiendus casus sacerdotis, de quo dubitetur num actione sua causa fuerit homicidii certo secuti.

CAPUT II.

DE IRREGULARITATIBUS IN SPECIE

521. Potissima irregularitatum divisio ea est, qua quædam dicuntur esse *ex delicto*, quædam *ex defectu*. Priores proxime oriuntur ex proprio delicto; ex. gr., ex homicidio, ex apostasia. Posteriores proxime oriuntur ex absentia alicujus qualitatis ad recte ordinem suscipiendum vel exercendum requisitæ; ex. gr., ex notabili corporis deformitate. Illæ instar pœnarum sunt, non item istæ; illas contrahunt delinquentes, has etiam inviti et inscii: insuper illæ prohibent quandoque cujuscumque ordinis exercitium; istæ illud, quo quis rite defungi non valet 1.

ART. I. — Irregularitates ex defectu

522. — « Sunt irregulares ex defectu: 1.° Illegitimi sive illegitimitas sit publica sive sit occulta, nisi fuerint legitimati vel vota solemnia professi; 2.° Corpore vitiati, qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium Ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt; 3.° Qui epileptici vel amentes vel

3) Codex *Can. 988.*

4) Codex *Can. 989.* — Veteres hærebant: Ferr. *Num. 907,* Tumm. *1037.*

1) Cf. D'Annibale *Num. 400, 409;* Noldin *479;* Wernz *86 II.*

a dæmone possessi sunt vel fuerunt; quod si post receptos ordines tales evaserint et jam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere; 4.° Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt; 5.° Qui infamia notantur; 6.° Judex, qui mortis sententiam tulit; 7.° Qui munus carnificis susceperint, eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiæ ». *Can. 984.*

523. Pauca de singulis: 1.° Sunt irregulares, qui nati sunt ex fornicatione, ex adulterio, ex matrimonio propter impedimentum dirimens nullo; nisi hoc ab altero saltem conjuge fuerit ignorantum 2. Qui certo sciat se natum esse ex parentibus solutis aut apparenter tantum conjunctis, antequam ordines suscipiat, tenetur petere dispensationem. Ceterum illegitimitas debet esse certa: hinc hoc titulo non sunt habendi *per se* ut irregulares omnes expositi. Qui vero in matrimonio nati sunt, præsumuntur nati ex matrimonio; pater enim censetur, « quem nuptiæ demonstrant ». Hæc irregularitas cessat per subsequens matrimonium, utique religiosum 3; item per solemnem votorum professionem.

2.° Irregulares sunt cæci; item muti, surdi, carentes membro ad obeunda ministeria vix non necessario; laborantes habitualiter tali morbo, qui eadem obire sine periculo gravis erroris aut positivæ irreverentiæ impediat. Ceterum, sacerdos, qui rite Missam celebrare non valeat, rite poterit confessiones audire. Item defectus quidam secundarii facilius dissimulantur supervenientes ordinationi, quam exstantes antecedenter.

3.° Si qui ejusmodi sint quando ordines petunt, certe eos Episcopus ordinare non debet; si tales fuerunt, at modo ex sententia medicorum stabiliter convaluisse constat (quod de epilepticis post pubertatem non admittitur), Episcopus eos poterit ordinare. Facilius permittere potest totale aut partiale ordinum exercitium iis, in quibus defectus posteriores sunt sacra ordinatione, et modo cessasse judicantur, aut non præbere præ quibusdam officiis grave periculum.

4.° De bigamis variæ erant et implexæ canonistarum sententiæ. Nunc res clara. Bigami in sensu irregularitatis sunt, qui duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt; non qui duxerunt viduam vel corruptam, etc. Ratio inductæ ab Ecclesia irregularitatis ex eo est, quod in prædicta bigamia deficit perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia. Ceterum ad irregularitatem non requiritur quod ille ordinandus matrimonium sive unum sive utrumque consummaverit.

5.° Ex *infamia juris* irregulares sunt illi, quos constat perpetrasse

2) CODEX *Can. 1114, 1115* § 4: cf. et RAIA *De matrim.* pag. 196. — Ratio indicatur a S. THOMA *suppl. P. III. Qu. 39 art. 5.*

3) Legitimatio, quae inducatur vi legis civilis, nihil juvat; sicut nec nocet civilis illegitimitas.

aliquod ex iis criminibus, quibus inflicta est nota infamiæ, sive ipso facto, sive post sententiam. Ita in Codice declarantur plures ipso facto infames [4]; de apostatis, hæreticis et schismaticis edicitur quod, nisi moniti resipiscant, infames declarentur [5]. Hæc irregularitas non est proprie ex delicto, sed ex *defectu famæ;* ac nonnisi per dispensationem tollitur. Modo nulla amplius habetur per se irregularitas ex *infamia facti;* seu quando quis ob patratum delictum vel pravos mores bonam æstimationem apud fideles probos et graves amisit: at de hoc judicium spectat ad Ordinarium; qui hujusmodi infames ab ordinibus repellere debet quousque ea infamia facti perdurat [6].

6.° Quoniam Ecclesia a judiciis sanguinis, licet justis, abhorret, ideo hanc irregularitatem induxit; quam modo incurrit solus judex, qui mortis sententiam, licet justam, tulit. Eam modo non incurrunt accusatores, testes, procuratores contra reum, neque qui sententiam dictant vel scribunt aut publicant. Neque eam incurrunt jurati; quippe qui sententiam non ferunt, sed judicant de solo facto.

7.° Carnifices fiunt irregulares ipsa susceptione muneris, etsi numquam exsecuti fuerint. Ceteri ministri irregulares fiunt exsecutione pœnæ capitalis; dummodo ministerium præstiterint *voluntarie* et *immediate*. Non præstant voluntarie milites, qui vi legis illi officio exsequendo adigantur; voluntarie præstant, qui officium illud sponte acceptent vel petant intuitu mercedis. Item non præstant immediate, qui supplicii machinam (ghigliottina) construant vel constructam erigant; neque lictores, qui reum ad supplicii locum ducant vel urgeant ut citius ad eum perveniat, ut celerius scalam ascendat; præstat immediate, qui corpus rei fatali cæsuræ apponit ejusque collum denudat; qui securim elevat ac demittit, carnifex est. Hæc aliis quoque formis extremi supplicii applicentur.

ART. II. — Irregularitates ex delicto

524. Ut hujusmodi irregularitas habeatur, necesse est quod *a*) ipsum delictum fuerit peccatum grave; *b*) post Baptismum commissum, et *c*) externum sive publicum sive occultum [7]: uricum, quod excipitur a conditione secunda, est quod in Can. 985 notatur sub Num. 2.°

Hinc: 1.° Qui in ponenda actione per se causativa irregularitatis, aut non peccavit, aut non graviter, hic immunis est ab irregularitate: ita qui eam posuerit bona fide, aut in materia non gravi. Hoc sensu excusat ab irregularitate ignorantia legis prohibentis delictum, nisi fuerit crassa: at non excusat ignorantia irregularitatis.

4) Codex *Can. 2314* § *1 n. 3, 2320, 2328, 2343,* § *1 n. 2* et § *2 n. 2, 2351* § *2, 2356, 2357* § *1.*

5) Codex *Can. 2314* § *1 n. 1.* — Patet modo locum non esse controversiæ præcedenti, de qua D'Ann. I. *Num. 430.*

6) Codex *Can. 2293* § *3, 2294* § *2, 987 n. 7.*

7) Codex *Can. 986.* — Cf. S. Ligorium *Lib. VII. Num. 549.*

2.° Immunis est ab irregularitate, qui actionem delictuosam ponit ex metu gravi excusante a lege positiva, licet non a lege naturali: ita qui ex metu vere gravi ponat actum ordinis sibi pœna canonica prohibitum.

3.° Immunis est ab irregularitate, qui causam quidem posuit delicti, ac proinde graviter peccavit, non tamen delictum consummavit: ita qui arma contra inimicum explosit, at frustra.

4.° Hæc irregularitas contrahi quoque potest ab impuberibus.

5.° Si, perpetrato homicidio, solus auctor sciat se esse homicidam, ab adnexa irregularitate non eximitur.

525. — « Sunt irregulares ex delicto: 1.° Apostatæ a fide, hæretici, schismatici; 2.° Qui, præterquam in casu extremae necessitatis, Baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt; 3.° Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut Ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut Matrimonio valido conjuncta; 4.° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes; 5.° Qui seipsos vel alios mutilaverunt, vel sibi vitam adimere tentaverunt; 6.° Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur; 7.° Qui actum Ordinis, clericis in Ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo Ordine carentes, vel ab ejus exercitio pœna canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti » *Can. 985.*

526. Pauca de singulis: 1.° Apostatæ a fide,... Hos terminos jam alias exposuimus. Ad irregularitatem necesse est quod apostasia, hæresis,... sit externa: non quod sit publica. Si occulta sit, ab ea dispensare suos subditos possunt Ordinarii per se vel per alium 8: item et a sequentibus irregularitatibus, ea excepta quæ habetur sub Num. 4.°, vel alia quacumque ad forum judiciale deducta.

2.° Qui siverunt, h. e., permiserunt vel non impediverunt, licet non postulaverint. Evidenter permissio hæc dari debuit ætate adulta, cum perfecta cognitione rei et prohibitionis Ecclesiæ. Ceterum irregularis fit etiam si novit Baptismum sibi conferri, nedum valide, sed et ritu qui est in Rituali Romano. Excipitur casus extremæ necessitatis; irregularitas enim hæc est ex delicto.

3.° Sunt irregulares qui, cum ligati essent vinculo matrimoniali aut Ordine sacro aut votis religiosis licet simplicibus ac temporariis, ausi sunt attentare matrimonium aut ponere tantum actum civilem. Qui actu tan-

8) Codex *Can. 990 § 1.*

tum civili ligati Matrimonium coram Ecclesia contraxerint, non fiunt irregulares; qui ipsum contrahere ausi sint ligati votis simplicibus, contraherent quidem valide, at illicite, et fiunt irregulares: qui ligati vinculo matrimoniali aut Ordine sacro aut votis solemnibus, contraherent invalide, et fiunt irregulares. De omnibus verum est, quod fiunt irregulares, etiamsi ausi fuerint ponere tantum actum civilem: quid importet phrasis « ausi fuerint » jam alibi vidimus. Iidem irregulares fiunt etiam, si, ab omni vinculo soluti, ausi fuerint contrahere (valide) cum muliere adstricta votis religiosis simplicibus, vel (invalide) cum femina matrimonio valide conjuncta aut votis solemnibus ligata.

4.° Tres hominum classes hac irregularitate tenentur. — *a*) Qui perpetrarunt homicidium, utique injustum, et insuper voluntarium. Cum hæc irregularitas sit ex delicto et nullum verbum in odiosis haberi possit supervacaneum, vox « voluntarium » indicat, quod tale esse debet perfecte, tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis, imo et directe. Homicidio accensenda quoque est craniotomia et embryotomia 9. Insuper requiritur certitudo de patrato homicidio, seu certitudo tum de morte alterius, tum de efficacia actionis suæ in illam. — *b*) Irregulares sunt qui procurarunt abortum fetus humani, nunc independenter a quæstione de ejus animatione. — c) Demum irregulares sunt cooperantes ad alterutrum delictum. Quoad utrumque certe comprehenduntur mandantes, et qui opem proximam præstant, vel auctores sunt ut crimen citius patretur. Quoad homicidium, comprehenduntur, qui vi vel dolo faciant ne alius se defendere possit, aut ne quis ei opituletur; judices et accusatores ac testes injusti; item qui communi consilio concurrunt, sed unus occidit. Quoad abortum, comprehenduntur medici et alii, qui alterius jussu aut mandato faciunt ut mulier abigat; imo et vere cooperantur, qui sive crimen sive modum patrandi consulunt. — *d*) Ab hac irregularitate, licet ex delicto occulto, dispensare nequit Ordinarius.

5.° Mutilatio est « abscissio membri, seu partis corporis proprium et distinctum officium habentis ». Hinc ad mutilationem necesse est quod membrum separetur a corpore, et quidem membrum habens proprium officium; quare, si abscindatur membrum ita læsum ut prorsus inutile evaserit, non habetur proprie mutilatio. Ex speciali Juris dispositione erat irregularis, qui aliquam sui ipsius membri partem, ex. gr., digiti articulum absciderit; sed in Jure novissimo de hac re nihil. Si quis ex gravissima causa seipsum mutilet, ex. gr., miles ne ad prælium destinetur, irregularis fit: non enim heic delictum punitur, sed macula inspicitur. — Quoad alteram partem, irregularitas noviter inducta est propter nimiam horum criminum frequentiam; at res clara.

6.° Jus novissimum statuit: « Clerici sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant » 10. Nunc ergo clericis vetatur, nedum exercitium artis chirurgicæ per adustionem vel incisionem, sed

9) At cf. quæ diximus *Num 200, sequ.*
10) Codex *Can. 139* § 2.

exercitium artis medicæ vel chirurgicæ: utique excepto casu indulti apostolici, ut non raro datur pro locis missionum. Tamen canonistæ, tum a lege positiva prohibente, tum ab adnexa irregularitate excipiunt casum veræ et urgentis necessitatis. Extra hunc casum, prohibitionis objectum est simplex exercitium medicinæ vel chirurgicæ: irregularitas habetur tantum, si ex eo exercitio mors sequatur, et ex eo secutam esse constet.

7.° Duæ partes distinguantur: *a*) Fiunt irregulares, qui aliquo Ordine carentes exercent actum clericis in Ordine sacro constitutis reservatum. Ita irregulares fiunt laicus fungens ordine subdiaconatus in Missa solemni, subdiaconus cantans Evangelium in Missa, diaconus sacramentaliter absolvens, sacerdos calicem consecrans. Modo hæc irregularitas non restringitur ad clericos; nec hodie requiritur quod exercitium Ordinis fiat scienter et solemniter. — *b*) Fiunt irregulares, qui, cum sint in Ordine sacro constituti, ipsum exercent, licet ab eo exercendo prohibeantur aliqua pœna canonica, sive ea sit *personalis medicinalis* aut *personalis vindicatica*, sive ea sit *localis*. Pœna *personalis medicinalis* est censura; cujus proprium est ut feratur ad emendationem, ac proinde in delinquentem contumacem, ut a contumacia recedat; pœna *personalis vindicativa* est quæ fertur ad expiationem delicti, ac proinde in delinquentem licet non contumacem, ut pro delicto puniatur: pœna *localis* est quæ fertur directe in locum, ac proinde afficere potest indirecte fidelem non delinquentem, pro quo pœna proprie non est, sed mera privatio. Olim sententia communis erat irregularitatem contrahi tantum in primo casu; si quis nempe, irretitus censura exerceat Ordinem illum, a quo per censuram prohibetur; in altero vero casu et in tertio, peccare quidem qui Ordinem prohibitum exerceat, at non fieri irregularem: nunc clare statuitur in his quoque casibus contrahi irregularitatem.

527. **Appendix.** — *De impedimentis.* — De ratione irregularitatum participant impedimenta, quæ obstant quidem susceptioni et exercitio ordinum, at natura sua non sunt perpetua, iisque cessantibus, nihil impedit ordinum susceptionem et exercitium. — Hæc impedimenta septem sunt:

528. — Sunt simpliciter impediti: 1.° Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent [11]; 2.° Viri uxorem habentes; 3.° Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cujus rationem reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint; 4.° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem; 5.° Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint; 6.° Neophyti, donec judicio Ordinarii sufficienter probati fue-

11) *Filii* hic intelligentur tantum descendentes in linea paterna usque ad primum gradum. *Comm. Pont.* ad Can. Cod. interpr. die 14 julii a. 1922, apud *Monit. eccl.* XXXIV. 297.

rint; 7.° Qui infamia facti laborant, dum ipsa judicio Ordinarii perdurat [12].

529. Circa impeditos sub n. 5° attendenda sequens declaratio: « Impediti sunt ad sensum Canonis 987 n. 5° qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia ætate impares sunt, vel quia examine recte peracto ad tempus inhabiles sunt declarati » [13].

Habetur et impedimentum ab exercitio Ordinum: « Conjugatus, qui sine dispensatione apostolica Ordines majores, licet bona fide, suscepit, ab eorumdem Ordinum exercitio prohibetur » [14].

Hæc impedimenta plus minus inter irregularitates ex defectu olim recensebantur, ac circa ea variæ et hærentes habebantur auctorum opiniones; nunc omnes controversiæ sublatæ.

CAPUT III.

DE CESSATIONE IRREGULARITATIS

Irregularitas quandoque cessare potest naturaliter, cessante causa ejusdem; ita ea, quæ sit ex defectu corporis vel mentis: quæ est ex defectu natalium cessat per subsequentem legitimationem aut per professionem religiosam solemnem. Verum irregularitates in genere non cessant, nisi per dispensationem a legitimo Superiore.

530. — **Principia. I.** Romanus Pontifex dispensare potest a quacumque irregularitate, sive per se, sive per suum delegatum.

II. Ordinarii per se vel per alium possunt suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, eâ exceptâ quæ est ex homicidio voluntario et ex procuratione abortus, et quacumque alia quæ deducta sit ad forum judiciale [1].

III. Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiæ: sed hæc dispensatio in eo tantum juvat, ut pœnitens Ordines jam susceptos exercere licite valeat [2].

12) Quinam laborent infamia facti, edicit CODEX *Can. 2293 § 3.* Cf. FERR. *Num. 903-906.* — De hisce conferantur canonistæ.

13) CODEX *Can. 987.* — *Comm. Pont.* diebus 3-4 junii a. 1918, apud *Acta Apost. Sedis* Vol. X. pag. 344; *Monit. eccles.* XXX. 237.

14) CODEX *Can. 132 § 3.*

1) CODEX *Can. 990 § 1.* — Cf. D'ANN. *Num. 249, 14;* BALL. *622.*

2) CODEX *Can. 990 § 2.*

531. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si irregularitas sit publica, et dispensatio petatur pro foro externo, recurrendum est ad sacram Congregationem *De disciplina sacramentorum*, ad quam spectant ea omnia, quæ decerni concedique solent in disciplina omnium sacramentorum. Si agatur de casu occulto et dispensatio petatur pro foro interno, recurrendum est ad sacram Pœnitentiariam, cujus est pro solo foro interno dispensationes largiri 3.

2.ª « In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; secus dispensatio generalis pro reticitis in mala fide non valebit: pro reticitis in bona fide valebit, nisi tacita sit irregularitas ex voluntario homicidio aut procuratione abortus, aliave deducta ad forum judiciale; imo, si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exponendus est sub pœna nullitatis concedendæ dispensationis » 4.

3.ª In petenda dispensatione exponenda quoque est justa causa, quæ solet esse penuria sacerdotum et bona vita ordinandi.

4.ª « Dispensatio generalis ad ordines valet pro Ordinibus quoque majoribus; et dispensatus potest obtinere beneficia, non concistorialia, etiam curata; sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Prælatus *nullius*, Superior major in religione clericali exempta » 5.

522. *Ex Princ. II.* — 1.ª Ut Ordinarius dispensare possit, modo non requiritur urgens necessitas aut impossibilitas recurrendi ad Summum Pontificem: satis est agi de irregularitate ex delicto occulto.

2.ª In casibus irregularitatis dubiæ adhuc competere videtur Ordinario facultas dispensandi ad cautelam, et quidem definitive; adeo ut irregularitas dein non reviviscat, si forte vere exstitisse comperiatur.

3.ª Hæc facultas Ordinario competit, tum in casu quo irregularitas impediat exercitium ordinis suscepti, tum in casu quo impediat ordinis susceptionem.

4.ª Ex epikeia eadem facultas competere adhuc videtur Ordinario circa irregularitatem ex defectu in casibus urgentioribus, in quibus ordinatio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiæ 6.

533. *Ex Princ. III.* — 1.ª Facultas vi hujus Canonis concessa confessariis habet eamdem materiam, quam facultas concessa Ordinariis: tamen limitatur ad casus urgentiores, in quibus adiri nequeat Ordinarius.

2.ª Confessarius in casibus urgentibus dispensare nequit ab irregularitate impediente ordinis susceptionem, sed tantum ab impediente exercitium ordinis jam suscepti.

3.ª Eadem facultas datur confessario absolute; proinde, qui fuit a confessario dispensatus, non tenetur postea recurrere ad Apostolicam

3) Codex *Can. 249 § 2, 258 § 1.*
4) Codex *Can. 991 § 1* et *2.*
5) Codex *Can. 991 § 3.*
6) Ita censebant communiter theologi et canonistæ.

Sedem, et multo minus sub pœna reincidentiæ, ceu plures hucusque censebant 7.

4.ª Hæc dispensatio a confessario datur pro foro interno; adeo ut ea prodesse non possit dispensato, si contingat rem ad forum contentiosum deduci; hoc tantum ei juvat, ut licite possit ordinem exercere: ceterum non est necesse eam dari in foro sacramentali. « Dispensatio in foro non sacramentali concessa, scripto consignetur et de ea in secreto Curiæ libro constare debet » 9.

7) Cf. *Monit. eccles.* Vol. XXII. pag. 223-228.
8) CODEX *Can. 991* § 4. — Cf. CERATO *Op. cit. Num. 166.*

TRACTATUS QUINTUS
DE INDULGENTIIS

534. Brevem tractationem in duo capita distribuemus, agentes: 1.° De indulgentiis in genere; 2.° de præcipuis indulgentiis in specie.

CAPUT I.

DE INDULGENTIIS IN GENERE

535. Inter varios modos, quibus Deo satisfactio exhiberi potest pro peccatis, nullus, post sacramentum Pœnitentiæ et sacrificium eucharisticum, efficacior est et usu Ecclesiæ probatior, quam sint indulgentiæ. *a*) Statuemus quædam theoretica de earum natura et de potestate Ecclesiæ circa ipsas; quæremus *b*) de earum auctore, ac *c*) de subjecto et operibus ab eodem ad eas lucrandas præstandis.

ART. I. — THEORETICA CIRCA INDULGENTIAS

536. *Indulgentia*, secundum notiones ex documentis Ecclesiæ depromptas, est « remissio pœnæ temporalis Deo debitæ pro peccatis commissis et quoad culpam remissis, quam Ecclesia ex causa justa fidelibus largitur, Deo pro eorumdem peccatis solvens ex thesauro satisfactionum Christi et Sanctorum ». — Est *a*) *remissio pœnæ;* non culpæ, ut calumniose oggerebant protestantes [1]; et quidem pœnæ *temporalis;* non æternæ, quæ irremissibilis est. — *b*) Est remissio pœnæ *debitæ Deo;* h. e., illius pœnæ, quam homo suis peccatis meritus est a Deo, quamque Deo solvere deberet, aut in vita præsenti, aut in futura: non est remissio pœnæ canonicæ, quam forte peccatori inflixerit Ecclesia, ut affirmabant Janseniani. — *c*) Est remissio pœnæ debitæ *pro peccatis jam quoad culpam remissis,* sive per actum doloris, sive per sacramentum: quousque enim manet reatus culpæ, sive gravis, sive levis, necessario manet eidem respondens reatus pœnæ. — *d*) Hanc remissionem largitur Ecclesia; non per meram condonationem, sed per *solutionem Deo factam* pro peccatore ex illis meritis satisfactoriis Christi et Sanctorum, quæ *thesaurum* Ecclesiæ constituunt. — *e*) Hanc remissionem Ecclesia largitur *fidelibus,* et quidem iis tantum, qui sunt in perfecta communione

1) Quæ quandoque impartitur *indulgentia peccatorum*, est remissio pœnarum, quæ peccatis debentur; nec ulla fuit umquam data ab Ecclesia indulgentia proprie remissiva peccati: aliqualis condonatio transgressionum statutorum Ecclesiæ datur recitantibus orationes *Sacrosanctæ* et *Obsecro* et regularibus accipientibus *absolutionem generalem.*

cum ipsa; eam concedere non potest infidelibus; nec eam concedere vult hæreticis, schismaticis, excommunicatis. — *f*) Demum eam remissionem concedit *ex justa causa;* scil., ex causa, propter quam Deus censeatur renuntiare juri exigendi solutionem pœnæ a peccatore: causa justa esse posset opus quodcumque religiosum aut pium, promotio spiritus orandi, ædificatio basilicæ, etc. 2. Ceterum quoad indulgentias, quæ a RR. Pontificibus Ecclesiæ universali conceduntur, nihil de earum validitate dubitandum.

Quæ circa indulgentias fideles credere debeant, breviter innuimus: demonstratio penes theologos dogmaticos conferatur.

537. **Quae sunt de fide[3]: I.** Ecclesia habet a Christo potestatem concedendi indulgentias.

II. Indulgentiarum usus fidelibus utilis est et salutaris.

538. **Quae sunt proxima fidei[4]: I.** Adest in Ecclesia thesaurus, constans ex meritis satisfactoriis supereffluentibus Christi et Sanctorum: partem horum meritorum Ecclesia fidelibus applicat, quando eis concedit indulgentias.

II. Ecclesia, concedens alicui indulgentias, non intendit eidem condonare pœnam canonicam ipsi propter peccata quædam inhærentem: intendit eidem condonare pœnam, qua teneretur pro peccatis ipsis Deo satisfacere.

III. Ecclesia concedere potest indulgentias applicabiles animabus defunctorum in Purgatorio pœnas peccatorum suorum luentibus, ita ut eis juvare possint per modum suffragii.

539. Indulgentiæ triplici potissimum ratione distinguuntur:

1.° Ratione effectus, aliæ sunt *plenariæ*, aliæ *partiales*. Plenaria est ea, qua ex intentione Ecclesiæ de thesauro tantum solvitur, quantum sufficit ad satisfaciendum Deo pro cunctis peccatis quoad culpam remissis; seu ad remittendam omnem pœnam pro illis debitam. Partialis ea est, qua Ecclesia solvere intendit tantum pro parte pœnæ debitæ; ut esset indulgentia unius anni. — Notandum *a*) quoad illos: si contingat eum, qui vult lucrari indulgentiam plenariam, reum esse alicujus culpæ venialis, indulgentiam consequi non valet plene, sed tantum quoad pœnam debitam culpis deletis. — *b*) Quoad istos: indulgentia *unius anni*, non est remissio pœnæ, quæ uno anno in Purgatorio lueretur; sed est ea remissio, quam quis juxta antiquam disciplinam consecutus esset co-

2) Ligorius *VI. Num. 531-538;* Mocchegiani *Collectio Indulgentiarum;* Fanfani *De indulgentiis. Manuale ad normam C. J. C.* (Romæ 1919).
3) Ex Conc. Trident. *Sess. XXV. Decretum De Indulgentiis.*
4) Cf. Denziger *Enchir. Num. 757, 758, 1541, 1542.*

ram Deo per pœnitentiam canonicam unius anni, quæque quanta sit novit Deus.

2.° Ratione modi consequendi, communiter distinguuntur in *personales, locales, reales;* quibus adjiciendas esse censemus *actuales.* — *a*) Dicuntur personales, quæ sunt concessæ determinatis fidelibus, aut iis, qui sint membra alicujus communitatis, congregationis, tertii ordinis, etc. — *b*) Sunt locales, quæ immediate adnectuntur loco; ex. gr. sanctuario vel ecclesiæ; adeo ut eas lucrentur qui locum illum visitaverint: istæ, destructo sanctuario vel ecclesia, pereunt. — *c*) Reales sunt, quæ sunt adnexæ alicui objecto mobili; ex. gr., coronæ, crucifixo, numismati, etc. Istæ « tunc tantum cessant, cum coronæ aliæve res prorsus desinant esse, aut vendantur » 5. Hinc indulgentiæ perseverant, etsi objectum indulgentia ditatum alteri donetur aut commodetur, et quidem ad hunc finem ut et alter indulgentias lucrari possit. — *d*) Demum actuales dici possunt illæ, quæ conceduntur omnibus aliquod pium opus facientibus, indepedenter a loco et ab objecto: ejusmodi sunt, quæ dantur recitantibus aliquam orationem vel jaculatoriam, facientibus actum uniformitatis ad beneplacitum Dei, accipientibus benedictionem papalem, accedentibus ad sacram synaxim, etc.

3.° Ratione subjecti, aliæ applicabiles sunt tantummodo *viventibus;* aliæ applicari quoque possunt *animabus purgantibus;* non et illis et istis, sed aut illis aut istis. Priores viventibus implentibus opera præscripta applicantur per modum juridicæ absolutionis, et proinde infallibiliter. Posteriores defunctis conceduntur per modum suffragii, eo quod Ecclesia super animas illas jurisdictionem non habet; consequenter, etiamsi ex mente Ecclesiæ applicentur defunctis, a Dei voluntate pendebit solutionem seu suffragium acceptare; hinc earum applicatio, præsertim in favorem animæ determinatæ, numquam poterit esse certa: hoc tamen certum, indulgentias in genere animabus defunctorum prodesse.

« Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis indulgentiæ omnes a Romano Pontifice concessæ, nisi aliud constet, applicabiles sunt » 6.

ART. II. — De auctore indulgentiarum

540. **Principia. I.** Romanus Pontifex, sive per se, sive per alium, concedere potest indulgentias quibuscumque fidelibus viventibus, imo et quæ sint applicabiles animabus purgantibus. Ratio est, quia ipse potest quidquid potest Ecclesia.

II. Cardinales a sua promotione in Concistorio gaudent facultate concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam toties

5) Codex *Can. 924* § *2.* — Iste Canon mitigavit decretum Alexandri VII. S. Pœnit. 18 febr. a. 1821, apud *Acta Apost. Sedis* XIII. pag. 164.

6) Codex *Can. 930.*

quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suæ jurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a præsentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas.

III. Episcopi residentiales a capta possessione jus habent concedendi indulgentias quinquaginta dierum in locis suæ jurisdictionis: Metropolitæ vero possunt indulgentias concedere centum dierum, sive in propria diœcesi, sive in diœcesibus suffraganeis.

541. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II, III.* — 1.ª Inferiores R. Pontifice nequeunt facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nec indulgentias concedere defunctis applicabiles.

2.ª Iidem nequeunt illi rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui jam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentiæ concessæ sint, alias adjungere, nisi novæ conditiones adimplendæ præscribantur.

3.ª Episcopi titulares et Prælati omnes Episcopis inferiores nullas possunt indulgentias concedere, nisi sint a Pontifice delegati.

4.ª Juxta plures, indulgentiæ concessæ ab Episcopis non possunt rationem legis induere; ac proinde nequeunt esse perpetuæ. Excipiendæ indulgentiæ reales [7]: forte et locales.

ART. III. — De subjecto indulgentiarum

542. **Principia. I.** Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiæ saltem in fine operum præscriptorum, subditus concedentis.

II. Ut subjectum capax indulgentias revera lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi, et opera injuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem [8].

543. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si pro indulgentia sibi lucranda præscripta sint plura opera præstanda successive, necessarius est status gratiæ pro eo tempore, quo ultimum opus præstatur: tunc enim, et non antea, lucranda est indulgentia.

2.ª Qui horis pomeridianis diei primæ augusti gravatus peccato mortali decies ecclesiam franciscalem visitet, dein mane diei secundæ rite confiteatur et communicet, in actu communicandi decem lucratur indulgentias plenarias; quarum unam sibi applicare poterit, alias animabus in purgatorio detentis.

3.ª Si quis in fine operum præscriptorum immunis quidem sit a

7) S. Congreg. Indulg. 12 jan. a. 878 *Num. 3*, apud *Monit. eccl.* I. P. II. 493.

8) Codex *Can. 925* § *1, 2.*

peccato mortali, non vero a venialibus omnibus, adhuc lucrari potest indulgentias relate ad pœnas respondentes mortalibus et venialibus remissis: pœnæ respondentes venialibus non remissis irremissibiles sunt.

4.ª Nisi aliud ex concessionis tenore appareat, ex Jure novissimo indulgentias ab Episcopo concessas lucrari posunt, tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi, omnesque exempti in territorio degentes.

544. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui mane, ut suæ devotioni satisfaciat, ecclesiam ingreditur, cui ea die competit privilegium indulgentiæ plenariæ, ibique rite confitetur et communicat et orat, simul vero privilegium ignorat nec generalem habet intentionem lucrandi indulgentias, merebitur quidem pro vita æterna, at pœnarum sibi debitarum nihil luet.

2.ª Hinc opportune fidelibus consulendum, ut quotidie summo mane hanc intentionem eliciant: ceterum sufficere potest intentio hebdomadaria aut menstrua aut etiam longior, dummodo sit generalis.

3.ª Non lucratur indulgentiam, qui omittat opera præscripta, sive ex integro sive in parte notabili; etsi hoc contingat ob impotentiam aut errorem prorsus inculpabilem.

4.ª Nec indulgentias rosarii lucratur, qui utitur corona non benedicta vel ab eo benedicta qui non habet facultatem benedicendi cum indulgentiis; item, qui orationem *En ego o bone Jesu* recitet non coram Crucifixo; nec sacerdos, qui, excepto casu excipiendo, orationem *Sacrosanctæ* recitet stans vel sedens aut decumbens.

5.ª Non lucratur indulgentias qui in recitando rosario unam decadem, licet ex inadvertentia, omittat: eas lucratur, qui omittat partem leviusculam, ex. gr., duo *Ave Maria.*

545. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum possit aliquis plures indulgentias lucrari eadem die?

Resp. 1.° Si sint indulgentiæ diversæ, *affirmative;* dummodo præstet omnia opera pro singulis injuncta, præter confessionem et communionem; quæ si injungantur, satis est eas fieri semel.

2.° Si agatur de eadem indulgentia lucranda pluries, res pendet ex tenore concessionis. Generatim indulgentiæ partiales, nisi contrarium expresse notetur, sæpius per diem, eodem opere repetito, possunt lucrifieri. E contra indulgentiæ plenariæ, nisi aliud expresse cautum sit, acquiri possunt semel tantum [9]. Quare, si qua indulgentia concessa sit ut lucrabilis *toties quoties,* intelligenda est lucrabilis semel singulis diebus, quibus quis præstet opera injuncta. Verum, si qua indulgentia concedatur ut lucrabilis una tantum die, et tamen *toties quoties,* necessario ea lucrabilis est pluries eadem die. Ejusmodi sunt indulgentiæ *Portiunculæ;* item, quæ eadem forma recenter datæ sunt pro festis SS. Trinitatis, B. Mariæ Virginis a Carmelo et ss. Rosarii, pro die Commemorationis omnium Defunctorum.

9) Codex *Can. 928.* — *Indulgentia quotidiana* concessa visitantibus ecclesiam intelligitur concessa *semel in anno,* die ad arbitrium visitantis eligenda. Codex *Can. 921* § *3.*

In hisce casibus, postquam quis (excepto postremo) unam sibi applicavit indulgentiam plenariam, alias opportune applicabit animabus defunctorum.

Qu. 2. Utrum ad indulgentiam applicandum defunctis requiratur in subjecto vivente status gratiæ?

Resp. S. Congregatio bis interrogata, respondit primo « Dilata »; secundo « Consulantur probati auctores ». Porro inter probatos auctores *controvertitur*. Quidam negant; eo quod motivum, propter quod in lucrante indulgentiam requiritur status gratiæ, est incapacitas habendi remissionem pœnæ durante reatu culpæ mortalis: porro hæc incapacitas non habetur in anima luente peccatorum pœnas in purgatorio. Alii affirmant: quidam, eo quod qui vult indulgentiam defunctis applicare, debet prius eam facere suam, ac dein a se transferre in defunctos: quidam, eo quod non potest satisfacere Deo pro defuncto ille, qui non sit actu amicus Dei [10]. — Certe excipienda est indulgentia altaris privilegiati, quæ fructum suum affert defunctis veluti *ex opere operato;* hinc independenter a statu celebrantis.

Practice videtur sequenda via tutior: neque via opinionis prioris tuta fit ex eo, quod est probabilis, et Ecclesia in iis, quæ sita sunt in sua potestate, censenda est in casus probabilitatis supplere: licet enim certe supplere possit, non est certum quod supplere velit, ubi non agitur de necessariis ad vitam æternam, sed de utilibus. Demum opportunum est ut volentes prospicere animabus purgantibus in re maxime utili, prius curent prospicere animæ suæ in re necessaria.

546. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Quid juris circa confessionem, si indulgentia quæpiam concedi dicatur fidelibus *confessis*?

Resp. In eo casu confessio habenda est, non ut conditio naturaliter requisita in hypothesi status peccati, sed ut opus præscriptum; proinde facienda est etiam ab eo, quem nullum gravet peccatum mortale [11]. Verum habentur circa confessionem et communionem recentes concessiones: *a)* « Ad quaslibet indulgentias lucrandas confessio forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate præcedunt diem cui indulgentia fuit affixa; communio autem fieri potest in pervigilio ejusdem diei; utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam. — *b)* Ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam, etc. ductis concessas, confessio et communio fieri etiam possunt intra octavam, quæ immediate sequitur exercitium expletum. — *c)* Christifideles, qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad pœnitentiæ sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiæ et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per

10) Cf. SUAREZ apud GURY *Num. 862 Qu. 2;* S. LIQ. *534;* PALM. Op. Had. V. *50;* FERR. *794.*

11) At, si indulgentia concedatur iis, qui sint *corde contriti,* contritio requiritur tantum in hypothesi status peccati, vel ad consequendam remissionem pœnæ respondentis venialibus non antea quoad culpam remissis.

hebdomandam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione, quæ ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret; exceptis indulgentiis, sive Jubilæi ordinarii et extraordinarii, sive ad instar Jubiliæi » 12.

Qu. 2. Quid juris circa communionem, si indulgentia concedi dicatur fidelibus *sacra communione refectis?*

Resp. Ea certe facienda est; cum sit opus præscriptum. Verum, relate ad tempus, attendantur concessiones modo relatæ. Relate ad ipsam communionem in se et ad alia opera præscripta, attendatur et sequens: « Pia opera ad lucrandas indulgentias injuncta, confessarii possunt in alia commutare pro iis, qui legitimo detenti impedimento, eadem præstare nequeant » 13.

Qu. 3. Quid juris circa visitationem ecclesiæ, quæ ad indulgentiam lucrandam præscribatur?

Resp. 1.° Ecclesiam (vel oratorium) visitare significat eam ingredi animo colendi Deum. Quare, si quis, ecclesiam ad inspiciendas picturas ingressus, ex tabula advertat ea die ecclesiam visitantibus indulgentiam concedi, ut eam lucretur egredi debet et iterum ingredi: ita pluries egredi et ingredi debet, qui lucrari vult indulgentias plures eadem die visitantibus pluries ecclesiam concessas.

2.° Necesse est visitare eam ecclesiam (vel oratorium), quæ determinata habetur in indulto, et quidem tempore præscripto. Verum: — *a*) « Fideles utriusque sexus, qui perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinarii constitutis, vitam communem agunt, itemque personæ omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias præscribatur visitatio alicujus ecclesiæ non determinatæ vel indeterminati alicujus publici oratorii, visitare queunt propriæ domus sacellum in quo obligationi audiendi Sacrum jure satisfacere possunt, dummodo cetera opera injuncta rite præstiterint » 14. — *b*) « Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiæ vel oratorii requiratur, hæc fieri potest a meridie diei præcedentis usque ad mediam noctem, quæ statum diem claudit » 15.

Qu. 4. Quid circa orationes, quæ ad lucrandam indulgentiam præscribantur?

Resp. 1.° — *a*) Si ad lucrandas indulgentias oratio in genere ad mentem Summi Pontificis præscribatur, mentalis tantum oratio non sufficit; oratio autem vocalis poterit arbitrio fidelium deligi, nisi peculiaris aliqua oratio assignetur. — *b*) Si peculiaris oratio assignata fuerit, indulgentiæ acquiri possunt quocumque idiomate oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel S. Pœnitentiariæ vel

12) Codex *Can. 931.*
13) Codex *Can. 935.* — Certe commutari nequit confessio.
14) Codex *Num. 929.*
15) Codex *Can. 923.*

unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio; sed indulgentiæ penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem. — c) Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis vicibus cum socio recitare aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur 16.

2.° Preces, quæ lege aut præcepto aliunde sint præscriptæ, regulariter ad lucrandas indulgentias non juvant. At preces ad indulgentiam lucrandam recitari possunt simul præceptum implendo, puta audiendi Missam die festo: insuper confessarius in pœnitentiam sacramentalem imponere potest preces, quas recitando pœnitens possit simul et indulgentias lucrari 17.

3.° Si præscriptio orandi, ut solet, adnexa sit visitationi ecclesiæ, eo tempore preces sunt recitandæ, quo visitanda est ecclesia: si et ritus injungatur, ex. gr., flexis genibus, hic quoque servandus est.

Qu. 5. Quænam sit quantitas orationis recitandæ, quando in decreto concessionis nulla designatur?

Resp. Nulla de hac re adhuc habetur declaratio authentica: hinc adhærendum communi opinioni doctorum. Porro recentes communiter dicunt requiri et sufficere recitationem quinque *Pater* et *Ave*, quibus quidam addendos esse vellent totidem *Gloria*: omnes notant recitari posse quaslibet preces quantitate æquivalentes. Forte hæc quantitas ex recenti S. Pœnitentiariæ responso videri poterit exigua 18; atque in hac re tutior videtur esse sequenda via.

Qu. 6. Utrum in peragendis operibus injunctis requiratur intentio eadem peragendi ad finem lucrandi indulgentiam?

Resp. Casus esset: Titius, postquam mane absque ulla indulgentiæ lucrandæ intentione communicavit, advertit ea die lucrabilem esse indulgentiam plenariam ab iis, qui sacra communione refecti ad mentem Pontificis quasdam recitent preces, et preces recitat: ab ea lucranda impeditur ne propter defectum intentionis in communicando? — Quidam theologi contendebant sufficere intentionem *interpretativam*: alii volebant *realem*, saltem habitualem, semel pro semper elicitam. Modo hæc altera sententia adoptanda esse videtur; eo magis quod hæc sola est practice tuta, et ideo fidelibus inculcanda.

Ceterum requiritur intentio saltem implicita orandi ad finem propositum ab Ecclesia, puta pro ejusdem exaltatione, ad mentem S. Pontificis, etc. Item intentio requiritur ad applicandam indulgentiam animabus defunctorum particularium, vel etiam defunctorum in genere: nam Ecclesia dat fidelibus facultatem applicandi; non ipsa eas applicat immediate.

16) Codex *Can. 934.* — Circa mutationes in Litaniis, cf. S. Pœnit, 21 julii a. 1919.

17) Codex *Can. 932.* — Cf. Genn. *Quest. mor. Num. 168.*

18) S. Pœnit. 10 jul. 1924, apud *Acta Apost. Sedis* XVI. 345.

Qu. 7. Quid agendum illi, qui impeditur præstare opus aliquod ad indulgentiam lucrandam injunctum?

Resp. Ex recenti concessione « pia opera ad lucrandas indulgentias injuncta, confessarii possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem præstare nequeunt ». Insuper « muti lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant; et, si agatur de privatis orationibus, satis est ut eas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant » 19.

547. **Scholion**. — *Quædam accessoria.* — 1. Clausula, qua dicatur indulgentia concedi *in forma Ecclesiæ consueta*, significat eam concedi illis, qui sint in statu gratiæ, saltem per contritionem: at, si agatur de indulgentia plenaria, significat requiri confessionem, communionem et preces ad intentionem Summi Pontificis.

2. Si cui facultas datur benedicendi objecta quædam eisque applicandi indulgentias, additâ clausulâ *in forma Ecclesiæ consueta*, id significat eadem benedicenda esse per simplex signum crucis cum intentione adnectendi illis objectis indulgentiam.

3. Omnes indulgentiæ, quæ dicebantur esse annorum mille, aut ultra, omnes revocatæ sunt 20.

4. Si S. Sedes sacerdoti concedit facultatem benedicendi coronas, cruces etc., cum applicatione indulgentiarum apostolicarum, additâ clausulâ *de consensu Ordinarii*, id significat sacerdotem illum necessario debere esse approbatum ad confessiones audiendas, ac insuper eum licite uti non posse accepta facultate, sine consensu saltem tacito, et in casu impossibilitatis prudenter præsumpto, Ordinarii loci, in quo objecta benedici debeant 21.

CAPUT II.

DE PRÆCIPUIS INDULGENTIIS IN SPECIE

548. Cum indulgentiæ particulares prope innumeræ sint et in dies multiplicentur, periculum sane habetur, quod quandoque indulgentiæ apocryphæ aut suspectæ inter fideles disseminentur. Ad hoc periculum avertendum S. Congregatio Indulgentiarum anno 1899 novem regulas dedit, quibus discerni queat quænam indulgentiæ habendæ sint tamquam apocryphæ aut saltem suspectæ 1. Ad simile periculum præcavendum in posterum Jus novissimum decernit: « Qui a Summo Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub pœna nullitatis gratiæ obtentæ, authentica exemplaria ea-

19) Codex *Can. 935, 936.*
20) S. Congr. Indulg. 26 maji a. 1898, apud *Monit. eccles.* X. P. II. 148.
21) S. Congr. Indulg. die 14 junii a. 1901, apud *Monit eccl.* XIII. 199.
1) S. Congr. Indulg. 10 aug. 1899, apud *Monit. eccl.* XI. 389-396.

rumdem concessionum ad Sacram Pœnitentiariam referendi » 2. Demum ad certiorandos aliquo modo fideles edita fuit Romæ *Collectio* authentica indulgentiarum, præsertim earum quas actuales appellavimus 3: at ab eo tempore jam datæ fuerunt aliæ quamplurimæ.

ART. I. — De Jubilæo

549. *Jubilæum*, seu annus remissionis, duplex distinguitur: *majus* seu *ordinarium*, quod conceditur quolibet anno vigesimoquinto; *minus* vel *extraordinarium*, quod Romani Pontifices concedere solent, tum anno suam exaltationem subsequente, tum circumstantiis quibusdam extraordinariis. Sensu magis proprio sub nomine *Jubilæi* primum venit, ejusque annus dici solet *annus sanctus* 4.

Duo sunt bona Jubilæi: *a*) Indulgentia plenaria, quæ in hoc tantum differt ab aliis, quod ejus consecutio propter communem impetrationem per preces Ecclesiæ certior est; *b*) favores Jubilæo adnexi, seu facultates ampliores confessariis a S. Sede tributæ in bonum animarum. Normæ præ utraque bonorum classe desumendæ sunt ex Bulla, qua Jubilæum quodcumque a R. Pontifice conceditur, et ex Constitutionibus Benedicti XIV *Inter præteritos* et *Convocatis*, quæ adhuc servandæ sunt, iis exceptis, in quibus quidpiam diversum in Bulla particulari decernatur. Nos heic breviter exponimus quæ, tum in hisce Constitutionibus, tum generatim in recentioribus Jubilæis statuta sunt: at præter hæc, et contra hæc, attendenda erunt quæ in Jubilæis futuris statuentur.

§ I. — Opera ad Jubilaeum praescripta.

550. Hæc opera communiter quinque sunt: Confessio, communio, visitatio ecclesiæ cum precibus, jejunium, eleemosyna.

1.° *Confessio* imponi solet ut opus injunctum: hinc facienda est ab iis quoque, qui sint in gratia; nec ab ea eximunt concessiones recentes; nec *per se* sufficit confessio annua ab Ecclesia præscripta: fieri autem debet tempore in Bulla determinato.

2.° *Communio* quoque est opus vere præscriptum; fieri debet tempore determinato; nec ad Jubilæum valet communio paschalis.

3.° *Visitatio Ecclesiæ;* communiter præscribitur multiplex ac diebus diversis; quoad reductionem et commutationem attendendum ad terminos Bullæ.

4.° *Jejunium* debet esse aliud ab iis, quæ ex lege Ecclesiæ præscribuntur, ac fieri quoque debet a pueris: consistit iisdem elementis, quibus ecclesiasticum: facile autem datur commutatio quoad infirmos et etiam quoad viventes in communitate.

2) Codex *Can. 920.*
3) *Raccolta di orazioni...* (Roma 1898). Edita appendix a. 1910.
4) Cf. ad eruditionem Prinzivalli *Gli anni santi.*

5.° *Eleemosyna*, si imponatur ut facienda *prout devotio suggesserit*, sufficit in qualibet quantitate; dummodo adeo exigua non sit, ut computanda sit pro nihilo: si dicatur facienda esse *secundum vires*, debet esse statui cujuscumque proportionata; opportune determinabitur a confessario, qui sit rerum pœnitentis conscius.

In operibus ponendis nullus ordo requiritur: tantum necesse est quod postremum fiat in statu gratiæ.

§ II. — Favores adnexi Jubilaeo.

551. Spectanda in primis est Bulla specialis. Generatim favores tres sunt; eisque concessionibus confessarii uti non possunt, nisi in sacramentali confesione, ac proinde prout sunt confessarii.

1.ª *Facultas confessariis concessa absolvendi a quibuscumque peccatis et censuris*, sive a jure, sive ab homine; etiam quæ reservatæ sunt R. Pontifici *speciali modo*.

2.ª *Facultas confessariis concessa commutandi vota quælibet;* etiam quæ de jure reservata sint Romano Pontifici. Generatim excipiuntur vota pœnalia præservativa, nisi mutatio fiat in votum æquo modo a periculo peccandi præservativum. At facultas commutandi non includit facultatem dispensandi.

Tum hac facultate, tum præcedenti, confessarii cum eodem pœnitente uti possunt semel; etsi indulgentia sit lucrabilis pluries.

3.ª *Facultas confessariis concessa commutandi ex justa causa opera ad Jubilæum lucrandum injuncta*. Cavendum ne commutatio fiat in opus adeo inferius, ut videatur esse dispensatio; hæc enim facultas confessariis non datur. Si indulgentia Jubilæi concedatur ut lucrabilis pluries, pluries quoque cum eodem pœnitente licebit opera commutare.

552. Ut fideles magis magisque excitentur ad fruendum bonis Jubilæi, præsertim *anni sancti*, eo perdurante omnes indulgentiæ, quas fideles sibi lucrari possent, pro ipsis suspenduntur; tamen eas omnes possunt applicare animabus defunctorum. Ab hac suspensione excipiuntur indulgentiæ quinque: *a*) Quæ sunt pro moribundis, et inter has indulgentia *in articulo mortis; b*) indulgentiæ pro recitatione *Angelus Domini; c*) indulgentiæ pro visitatione SS. Sacramenti solemniter expositi; *d*) indulgentiæ concessæ comitantibus SS. Sacramentum, dum ad infirmos defertur; e) demum, quæ sint ab alio concessæ, quam a Romano Pontifice.

ART. II. — De altari privilegiato

553. *Privilegium altaris* in hoc consistit, quod pro Missa in eo celebrata respondeat ex mente Ecclesiæ indulgentia plenaria in favorem animæ illius defuncti, pro quo celebrans intendit indulgentiam applicare. Hoc est privilegium altaris in sensu proprio, quod appellatur *reale* seu *locale*. At datur etiam privilegium *personale*, quod singulis sacerdotibus aut quibusdam piis sacerdotum unionibus datur; vi cujus

Missa ab his in quolibet altari celebrata habet indulgentiam altaris privilegiati. Si privilegium sit locale, Missæ in eo celebratæ sunt privilegiatæ ex se; si privilegium sit personale, applicatio privilegii pendet ab intentione celebrantis. At privilegium non potest applicari pluribus defunctis pro quibus Missa celebretur 4.

554. Ad hoc ut altare sit privilegiatum, necesse est ipsum esse fixum, hoc sensu, quod ejus basis parieti vel pavimento infixa sit, licet ejus mensa sit amovibilis; ac insuper hoc privilegio ditatum fuerit a S. Sede. Privilegium personale a S. Sede conceditur pro uno, aut ad summum pro tribus vel quatuor diebus per hebdomadam; nec sacerdos, qui ad plures dies ipsum habeat, eo quod sit pluribus piis unionibus adscriptus, ultra prædictos terminos eo uti potest: tantummodo qui actum heroicum caritatis erga defunctos emiserit, hoc privilegio gaudet pro omnibus diebus.

Ex parte Missæ, ut ea sit privilegiata, necesse amplius non est dici de *Requiem* 5. Insuper privilegium personale semper datur pro anima illius defuncti, pro quo applicatur fructus specialis: idem dicendum de privilegio locali, si indultum dicat: « qui pro defuncto ibi Missam dixerit, liberat animam ejus »; at privilegium applicatur etiam sine speciali intentione, sive offerentis stipendium, sive celebrantis 6.

555. Qui acceperit stipendium, etiam ordinarium, pro Missa privilegiata, obligationi justitiæ non satisfacit ipsam celebrando non privilegiatam. At, si cui id contigerit inculpabiliter, non videtur obligandus ad aliam Missam privilegiatam celebrandam. Hic, accepto stipendio aliquo pro Missa non privilegiata, eamque celebrans ad altare, cujus privilegium sit a fructu speciali separabile, poterit animæ illius defuncti applicare privilegium: imo adhuc probabile esse dicitur quod possit ei applicare indulgentiam plenariam quamcumque, dummodo hæc applicabilis sit defunctis 7.

556. **Scholion.** — *De Altari Gregoriano* 8. — Ita appellatur altare, quod exstabat in ecclesia monasterii montis Cælii jam a tempore S. Gregorii Magni; quodque Romani Pontifices privilegiis postmodum ditarunt et, saltem indirecte, indulgentiâ plenariâ. Progressu temporis alia quoque altaria alibi erecta sunt, *Gregoriana ad instar*, et iisdem privilegiis ditata, quibus altare montis Cælii. Privilegium horum altarium non differt a privilegio locali consueto: tota differentia est in speciali fiducia, ab Ecclesia probata, qua fideles retinent Missas super illis celebratas magis acceptas esse divinæ bonitati.

Huic accedunt *Missæ Gregorianæ;* de quarum essentia duo sunt:

4) S. C. Indulg. 29 febr. 1864, 19 jun. 1880; S. Pœnit. die 6 julii a. 1917.
5) E concessione S. off. die 20 febr. a. 1913. Id valet etiam pro Missis Gregoriauis. Cf. *Ephem. liturg. 1921* pag. 166, sequ.
6) S. C. S. Off. 16 junii 1915, apud *Monit. eccl.* XXVII. 438.
7) S. Ligorius *Num. 329;* Genn. *233, 3.*
8) Tum de Altari, tum de Missis Gregorianis Genn. *Cons. mor. CXXXVI.*

Primum, quod Missæ celebrentur diebus triginta absque ulla interruptione: tantum in triduo hebdomadæ majoris suspendantur, et mox resumantur usque ad trigesimam: alterum quod celebrentur in suffragium animæ defuncti determinati: non est necesse quod celebrentur ab uno eodemque sacerdote, vel ad idem altare 9. Non constat hisce Missis adnexam esse specialem indulgentiam: at ab Ecclesia recognita ac approbata fuit pia praxis et specialis fiducia, qua fideles retinent celebrationem triginta Missarum specialiter efficacem esse ex beneplacito et acceptatione divinæ misericordiæ 10.

ART. III. — De exercitio Viæ Crucis

557. Supposita erectione canonica stationum *Viæ Crucis* (quarum cruces sub pœna nullitatis debent esse ligneæ) duplex est modus a S. Sede probatus peragendi pium exercitium: alter privatus, alter publicus 11.

Si pium exercitium fiat privatim, duo sunt opera prorsus necessaria: Meditatio passionis D. N. Jesu Christi, et transitus localis ab una statione ad aliam. Quoad primum, necessaria est quidem meditatio, vel brevis, passionis; at non constat necessario meditandum esse mysterium a singulis stationibus repræsentatum; nec ulla necessaria est oratio vocalis. Quoad alterum, necessarium quidem non est ad singulas stationes prope accedere; sed sufficiens est quilibet motus erga ipsas; quare, si propter populi frequentiam quilibet motus possibilis non sit, tunc impossibile est ipsum exercitium *Viæ Crucis*. Si hoc exercitium peragatur publice, sufficit, ut « observetur methodus a S. Leonardo proposita; ut, videlicet, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis circumeat, sistens in qualibet statione, ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus »: pro communitatibus religiosis partes sacerdotis explere potest unus e fratribus non sacerdos 12.

Præter hæc nihil amplius præscribitur; nec confessio, nec communio: at qui sint in peccato mortali, aut confiteri debent, aut saltem conteri perfecte.

Indulgentiæ peragentibus hoc pium exercitium concessæ, sunt illæ eædem, quas lucrarentur visitantes stationes *Viæ Crucis* Jerusalem: at quæ et quales hæ sint, Deus novit; neque ulli licet publice in ecclesia eas determinare, ac si certo eas fideles lucrarentur. Neque constat utrum semel an pluries in die acquiri possint: certe applicabiles sunt animabus in purgatorio detentis.

558. **Scholion.** — *De Crucifixis cum indulgentiis Viæ Crucis.* Indulgentiæ *Viæ Crucis* adnecti quoque possunt Crucifixis, qui bene-

9) S. Congr. Indulg. die 14 jan. a. 1886.
10) S. Congr. Indulg. diebus 15 martii a. 1885, 24 aug. 1888.
11) Mocchegiani *Directorium S. Viæ Crucis* (Ad Aquas claras 1897).
12) S. C. Indulg. die 24 febr. a. 1901. — Censemus idem posse et sororem in communitate religiosa feminea.

dicti ad hoc fuerint ab aliquo Superiore franciscali subjecto Ministro generali domus Aræ Cœli, vel ab alio sacerdote habente undecumque legitimam facultatem. Ipsa effigies debet esse ex auricalco, vel ex alia materia non fragili. Ad indulgentias hoc supplemento lucrandas, necessaria sunt duo: Primum, quod quis legitime impediatur ab exercitio peragendo coram stationibus canonice erectis: alterum, quod corde saltem contrito (si est in statu peccati) et manibus tenens prædictum Crucifixum recitet viginti *Pater, Ave* et *Gloria;* unum, nempe, pro qualibet statione, quinque in sacrorum vulnerum memoriam, ac unum juxta mentem Summi Pontificis. Recentius concessum est, ut, si plures (utique impediti) in communi hoc exercitium peragant devote ad orationem compositi, omnes lucrentur indulgentias, etsi unus tantum Crucifixum manu teneat 16.

ART. IV. — De indulgentia Portiunculæ

559. Hæc indulgentia, per se propria sacelli de Portiuncula prope Assisium, modo competit omnibus ecclesiis et oratoriis ad aliquem Franciscalem Ordinem pertinentibus; item omnibus ecclesiis et oratoriis quæ ejus privilegium jam abtinuerint in perpetuum; demum aliis ecclesiis et oratoriis, quæ post diem 31 decembris anni 1924 per tramitem Ordinarii ipsum a sacra Pœnitentiaria impetraverint; quod tamen frustra peteretur pro ecclesiis et oratoriis, quæ ad ecclesiis et oratoriis franciscalibus vel aliis privilegiatis tria chilometra non distent 17.

« Ordinariis locorum, parochis, et ipsis rectoribus ædium sacrarum, in quibus privilegium insit, facultas esto, si quidem justis de causis id expedire judicarint, pro altero mensis augusti die, qui dominicus non sit, substituendi ad indulgentiam lucrandam diem dominicum proxime insequentem ».

Relate ad opera præscripta: *Confessio* institui potest qualibet die octidui ante diem secundam augusti vel ante Dominicam sequentem: sufficit confessio habitualiter bimensilis; nec indigent confessione, qui communicare soleant saltem quinquies vel sexies qualibet hebdomada. — *Communio* fieri debet alterutra die; nempe prima aut secunda augusti, vel (respective) sabbato aut Dominica. Imo tum confessio tum communio fieri possunt intra octavam subsequentem: utraque fieri potest ubique. — *Visitationes* fieri possunt a meridie diei primæ augusti usque ad mediam noctem diei secundæ, aut a meridie sabbati ad mediam noctem Dominicæ. — *Preces* fieri debent ad mentem Summi Pontificis; idest, saltem sexies *Pater, Ave* et *Gloria* in unaquaque earum visitationum, quas ad indulgentiam iterum iterumque impetrandam rite quis peragat.

16) S. Congr. Indulg. diebus 8 aug. a. 1859, 19 jan. a. 1884.

17) Sacra Pœnitentiaria die 10 julii a. 1924, apud *Acta Apost. Sedis* XVI. 345, *Monit. eccles.* XXXVI. 212.

ART. V. — De benedictione papali in articulo mortis

560. Hæc benedictio, quam nemo dare potest, nisi ex delegatione immediata aut mediata R. Pontificis, adnexam habet indulgentiam plenariam, quæ moribundo applicatur, non quando datur, sed momento pro quo datur, h. e., in vero *articulo mortis* [18]. Ad hanc hujus benedictionis efficaciam requiruntur plures conditiones:

1.ª Ex parte benedicentis, hic debet habere facultatem a R. Pontifice. Porro ex Jure novissimo « Parocho aliive sacerdoti, qui infirmis adsistat, facultas est eis concedendi Benedictionem Apostolicam, cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam; quam Benedictionem impertiri ne omittat » [19].

2.ª Ex parte subjecti requiruntur quinque: *a*) Potuerit peccare: *b*) versetur in vero, licet non imminenti, periculo mortis, adeo ut ei data fuerit vel dari potuerit Extrema Unctio; *c*) sit vere pœnitens et sacra communione refectus vel, quatenus id nequiverit, saltem contritus; *d*) nomen « Jesu » ore, si possit, invocet, sin minus, saltem corde; *e*) demum mortem, tamquam peccati stipendium, de manu Domini lubenti animo suscipiat [20].

3.ª Ex parte formulæ, hæc habetur, et quidem *præceptiva*, in *Rituali Romano*: alia pro casibus ordinariis, alia pro urgentioribus, quæ adhiberi quoque poterit tempore pestilentiæ vel alterius morbi contagiosi [21]. Quamvis benedictio eique adnexa indulgentia nonnisi semel infirmo applicetur, et præcise in instanti mortis, tamen ex sententia certe probabili licebit eidem infirmo ipsam pluries impertiri, saltem si ipse ad eam ex pluribus titulis jus habeat [22].

561. Aliquando hæc indulgentia jam antecedenter *lata* est: sive *a jure*, ut quæ conceditur detinentibus objectum indulgentiis apostolicis ditatum, aut alicui adscriptis confraternitati, vel deferentibus scapulare, etc.; sive *ab homine*, ut quæ favore speciali datur alicui a Romano Pontifice rescripto aut viva voce, aut etiam telegraphice: in hisce casibus nulla formula est necessaria.

Pius X indulgentiam plenariam lucrandam in articulo mortis concessit omnibus iis, qui die ab ipsis eligendo confessi et sacra communione refecti cum vero caritatis in Deum affectu sequentem actum emisserint: « Domine Deus meus, jam nunc quodcumque mortis genus, prout tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, pœnis ac doloribus de manu tua æquo ac libenti animo suscipio » [23]. Profecto hunc actum frequen-

18) Cf. Melata *De benedictione* (Romæ 1895).
19) Codex *Can. 468 § 2.*
20) Cf. Génicot *Num. 410, 3.*
21) Rituale Rom. *Tit. V. Cap. VII.* — S. C. Indulg. die 8 martii a. 1879.
22) Melata *An benedictio in art. mortis pluries possit impertiri;* Hilgers *Manuale di indulgenze I. 27;* Genn. *Quest. mor. Num. 64.* — Obstant plures.
23) Decreto S. Congr. Indulg. die 9 martii a. 1904. — At circa confessionem et communionem cf. dicta superius *Num. 546.*

ter iterare juvabit: cavendum, ne umquam urgente morbo doloroso revocetur.

ART. VI. — De actu heroico caritatis

562. Actus heroicus in hoc consistit, quod fidelis, sive formula abhibitâ, sive mente, offerat Deo pro animabus in Purgatorio exsistentibus, aut pro una vel pluribus determinatis: *a*) omnia opera satisfactoria (excepta satisfactione sacramentali), quæ ipse facturus est; *b*) omnes indulgentias, etiam quas sibi lucrari posset; *c*) omnia suffragia, quæ animæ suæ post mortem undecumque obvenient. Est *actus caritatis*, nedum erga animas Purgatorii, sed et erga ipsum Deum, qui magis glorificatur in Cœlo quam in Purgatorio. Est actus *heroicus;* quia ipsum fidelem exponit periculo manendi in Purgatorio quousque pœnas omnium suorum peccatorum luet usque ad ultimum quadrantem. Ceterum ipsi manet meritum, non modo aliorum operum bonorum, sed et ipsius actus heroici caritatis; manet ipsi omnis suarum precum vis impetratoria; manet ipsi jus confidendi in misericordia Dei, et in pollicitatione Christi: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur et vobis.* Speret itaque sibi ex hac ipsa oblatione breviandum esse statum purgationis: pro certo habeat sibi augendum esse præmium æternum in cœlo [24].

563. His, qui hunc actum emiserint ac non revocaverint, Ecclesia suos favores largita est. Potissimi sunt: *a*) Fideles lucrari possunt indulgentiam plenariam, utique jam animabus purgantibus devolutam, quacumque die sacra refecti communione ecclesiam visitent ibique aliquo temporis spatio orent ad mentem Summi Pontificis; item quacumque feria secunda audiant Missam et in ecclesia orent ad mentem Summi Pontificis. — *b*) Sacerdotes gaudent quotidie privilegio altaris. — *c*) Omnes indulgentiæ fiunt applicabiles defunctis.

ART. VII. — De præcipuis scapularibus

564. *Scapulare,* a scapulis, est insigne quoddam pium, constans duobus paniculis laneis simul per chordulas junctis, quorum unus ante pectus descendit, alter post tergum. Ex his, quædam sunt propria tertiorum Ordinum, quædam sunt tesseræ quarumdam piarum confraternitatum vel objecta pia benedicta: de hisce tantum et breviter.

Præcipua ex his scapularibus quinque sunt; nempe: *SS. Trinitatis* (album), *Passionis D. N. Jesu Christi* (rubrum), *B. Mariæ Virginis sub titulis Immaculatæ Conceptionis* (cæruleum), *septem Dolorum* (nigrum), *ac Montis Carmeli* (nigrum vel tanneum).

565. Indulgentiæ scapularibus adnexæ quamplurimæ sunt: quædam omnibus communes; quædam singulis propriæ. Ad eas lucrandas requiruntur in genere conditiones sequentes:

1.ª Ipsa scapularia sint benedicta a sacerdote sive regulari sive sæ-

24) Cf. Genn. *Cons. mor. CXXXV.* et *Quest. mor. Num. 79, 463, 502, 503;* item nostrum *Dell'atto eroico di carità* (Verona 1904).

cular habente facultatem, aut ex jure, aut ex delegatione; insuper eadem, sive omnia, sive quædam, sive unum, ab eodem sacerdote benedicente imponatur: formula benedicendi ac imponendi quinque scapularia recenter data fuit a S. Congregatione 25. Si plures simul fideles petant scapulare, poterit unum benedici ac dein singulis successive imponi; qui mox, ex dicendis, poterunt eidem substituere numisma benedictum.

2.ª Ipsa scapularia ad collum appensa teneantur. Verum recenter facultas data est, ut fideles, post accepta scapularia, loco ipsorum deferre possint numisma, et quidem unum pro singulis, aut etiam pro quibusdam aut omnibus: hoc numisma debet esse ex metallo, atque in parte recta referre effigiem D. N. Jesu Christi suum sanctissimum Cor ostendentis, in parte adversa effigiem B. Mariæ Virginis; debet esse benedictum ab habente facultatem, et tot benedictionibus, quot substituit scapularia; deferri debet « ad collum, seu aliter, decenter tamen, super propriam personam » 26. Ex quibus verbis censemus deferri posse assutum alicui vesti superiori, etiam quæ soleat noctu deponi, vel adnexum coronæ precatoriæ, quæ interdiu secum deferatur.

Hac facultate non comprehenduntur scapularia, quæ sint tesseræ tertiorum Ordinum.

3.ª Præstentur opera, quæ a statutis singularum confraternitatum vel piarum unionum pro lucrandis propriis indulgentiis imponuntur. Verum, si quis, duo gerens scapularia, amborum vult lucrari indulgentias, pro quibus identica opera præscribantur, hæc, præter confessionem et communionem, iterare debet.

566. Ex his, *Scapulare B. Mariæ V. de Monte Carmelo* adnexum habet privilegium *sabbatinum* 27: « Populus christianus potest pie credere B. Virginem animas fratrum et confratrum sodalitatis B. M. V. de Monte Carmelo in caritate decedentium, qui in vita habitum gestaverint officiumque parvum recitaverint, vel, si recitare nesciant, Ecclesiæ jejunia observaverint et feria quarta et sabbato a carnibus abstinuerint (nisi Nativitas Domini inciderit), suis intercessionibus continuis piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, præcipue in die sabbati, adjuturam ».

Scapulare cæruleum Immaculatæ Conceptionis specialem adnexum habet favorem, ut, qui ipsum defert, lucretur saltem unam indulgentiam plenariam, quoties recitat sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* in honorem SS. Trinitatis et B. Virginis sine labe conceptæ, et quidem absque confessione et communione, at semel in die 28.

25) Apud *Monit eccles.* Vol. XXIII. 14-18.

26) S. Congr. Indulg. decreto et ejusdem declarationibus datis die 16 dec. anno 1110 4 julii 1913, apud *Monit. eccles.* XXII. 485-487, XXV. 197: cf. et XXIII. 517.

27) Probatum fuit a C. S. Officii 20 jan. 1613, apud *Rescripta... Num. 34*, ac decreto S. C. Indulg. 4 julii 1908, quo privilegia ac indulgentiæ recensentur, apud *Mon. ecc.* XX. 299-301.

28) Dubitat LEHMKUHL *Num. 561.*

ART. VIII. — De coronis precatoriis

567. Coronæ frequentioris usus duæ sunt: Rosarium Fratrum Dominicanorum, et Corona Ordinis S. Crucis seu Crucigerorum.

568. Conditiones requisitæ ad lucrandas indulgentias rosarii tres sunt: *a*) Necesse est ipsam precum seriem recitare; scil., quindecim aut saltem quinque decades, constantes una Oratione dominica, ac decem Salutationibus angelicis: recitentur autem tractu moraliter uno [29]. — *b*) Recitationem comitetur (saltem pro spatio unius *Pater* et *Ave*) meditatio mysteriorum vitæ, passionis et resurrectionis D. N. Jesu Christi; excepto casu fidelis idiotæ, qui ea meditari non valeat. — *c*) Necesse est, quod hæc fiant manu tenendo rosarium. At, si, pluribus simul recitantibus, una tantum persona rosarium teneat, concessum est ut et alii recitantes simul indulgentias lucrentur, ab iis tantum occupationibus abstinendo, quæ internam attentionem impediunt ad devotam rosarii recitationem pro lucrandis indulgentiis præscriptam [30].

Insuper necesse est ipsum rosarium benedictum esse, aut a Fratre Ordinis S. Dominici, aut a sacerdote facultatem habente: formula benedicendi propria est et præscripta ad validitatem.

Indulgentiæ quamplurimæ sunt. Itaque pium hoc exercitium, toties a Romanis Pontificibus commendatum, frequenter ac devote peragamus, semel pro semper intendentes adnexas illi indulgentias lucrari, quæcumque et quot hæ sint. Certe confratres sanctissimi rosarii, qui confessi ac sacra Synaxi refecti, rosarium integrum, etiam divisim, die naturali pro triumpho sanctæ Ecclesiæ recitaverint, et aliquam ecclesiam vel publicum sacellum visitaverint, indulgentiam plenariam, etiam defunctis applicabilem, singulis diebus semel tantum lucrari possunt [31].

569. Facilioris acquisitionis sunt indulgentiæ adnexæ coronæ Crucigerorum. Quicumque enim eam manu tenens recitet *Pater* et *Ave*, toties acquirit indulgentias dierum quingentorum, quot *Pater*, quot *Ave*, recitavit [32]. Hujus benedictio propria est Fratrum Ordinis S. Crucis: at modo ejus facultas facile pluribus sacerdotibus, præsertim piarum unionum, conceditur: benedictio fit per simplex signum crucis.

570. Diximus has indulgentias *facilioris esse acquisitionis*: at nemo inde deducat eas simul esse fructus et meriti uberioris: quod intelligendum esse vellemus etiam quoad casus similes. Ecclesia enim, paucis casibus exceptis, in concedendis indulgentiis, ipsam spem remissionis pœnarum non habet ceu finem ultimum, sed ceu medium, quo fi-

29) Recenter indultum ut decades separari possint intra diem. S. Congr. Indulg. die 8 julii a. 1908, apud *Monit. eccles.* XX. 298.

30) S. Congr. Indulg. diebus 22 jan. a. 1858, 13 nov. 1893. — Cf. Gennari *Questioni mor. Num.* 57.

31) S. Congr. Indulg. 12 junii a. 1907; qua die concessum quoque fuit, ut indulgentiæ rosarii Mariani et Crucigerorum cumulari possint. *Monit. eccles.* XIX. pag. 263, sequ.

32) Hæc indulgentia authentica est. S. Congr. Indulg. die 15 martii anno 1884.

deles excitentur ad opera bona præstanda, ad frequentanda sacramenta, ad orandum, etc. Porro ea pœnarum remissio est quidem proportionata indulgentiæ concessæ; sed meritum operantis ejusque præmium in cœlo respondet bonis operibus præstitis; quæ, quo plura sunt et meliora et magis laboriosa, ipsi operanti uberius gratiæ sanctificantis augmentum afferunt in vita præsenti, et respondens augmentum gloriæ in futuro: indulgentia remittit pœnas temporales; at augmentum gloriæ erit æternum.

571. *Quæres*: Quid, si rosarium vel corona abrumpatur, et rursus reficiatur?

Resp.: *a*) Si abrumpatur chorda vel catenula, et duæ extremitates denuo nectantur, non cessat benedictio; nec cessat si pauca grana deperdita novis substituantur. — *b*) Si rosarium vel corona ex integro solvatur ut iterum novo filo vel catenula restauretur, benedictio cessasse videtur; eo quod, licet granula eadem sint, non est idem rosarium vel corona [33]: ideo saltem ad cautelam renovanda benedictio.

ART. IX. — De Indulgentiis apostolicis

572. Veniunt hoc titulo indulgentiæ, quæ a Romano Pontifice adnectuntur quibusdam objectis a se, vel a sacerdote ab eo specialem habente facultatem, benedictis: ejusmodi possunt esse numismata, cruces, coronæ precatoriæ, etc. Imagines representare debent Sanctos, qui jam fuerint consueta forma canonizati, aut in martyrologiis rite probatis descripti [34].

573. Conditiones vero ad has indulgentias lucrandas sunt sequentes:

1.ª Christifideles super proprias personas aliquod ex enunciatis objectis deferant.

2.ª Quod si id minime fiat, ipsum objectum in proprio cubiculo vel alio suæ habitationis loco decenti retineant, et coram eo devote præscriptas preces recitent.

574. Cum R. Pontifex vel S. Pœnitentiaria concedit facultatem benedicendi cruces, numismata, etc. eisque applicandi indulgentias, hanc apponere solet clausulam: « SS. tribuit oratori facultatem, dummodo ad excipiendas confessiones, saltem virorum, sit approbatus, ac de consensu Ordinarii loci ». Conditio prima requiritur ad validitatem facultatis; ad eam facultatem licite exercendam requiritur consensus Ordinarii loci, in quo quis ea uti velit; quod valet etiam relate ad regulares, excepto casu, quo prædicta facultas intra monasterium exerceatur [35].

Relate ad objecta, excluduntur a concessione imagines typis exaratæ vel depictæ, item cruces, Crucifixi, parvæ statuæ, numismata ex stamno, plumbo aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta [36].

33) Ita Alb. Blat *Comment. textus Juris canonici Lib. III. Tit. V. art. I.*

34) S. Congr. S. Off. 5 sept. a. 1914, apud *Monit. eccles.* XXVI. pag. 458, *Acta Apost. Sedis* VI. pag. 503.

35) S. Congr. Indulg. die 2 jan. a. 1888.

36) Cf. supra *Num. 539 Nota 6.*

Demum attendenda declaratio: « In benedicendis pluribus similibus aut diversis religiosis objectis, quæ sacerdoti pluribus facultatibus munito conjuncta vel commixta offeruntur, atque in ipsis vigore diversarum facultatum indulgentiis ditandis, sufficere unicum signum crucis pro pluribus benedictionibus atque indulgentiarum adnexionibus. Et declaratio non extendatur ad metallica numismata scapularibus substituenda, de quibus in decreto S. Officii dato die 16 decembris anno 1910 » 37.

37) S. Congr. S. Off. die 18 maji a. 1914, apud *Monit. eccles.* XXVI., pag. 208.

INDEX ALPHABETICUS

Indicantur numeri marginales

ABORTUS 196-201 ; censura in procurantes 467-469 irregularitas 526.
Abstinentia a carnibus 265-269.
Absolutio a censuris 378.
Absolventes complicem 403-405.
Absolventes sine jurisdictione 508, 509.
Actiones societatum num clericis permittantur 328.
Actus heroicus caritatis 562, 563.
Actus impudici 217-221. Actus interni num religiosis præcipiantur 371.
Adjuratio 49.
Adoratio quid sit et quotuplex 10-13.
Adsistentia divinis officiis negata excommunicatis 381.
Adulterium 215.
Alienantes bona ecclesiastica 450, 451.
Altare privilegiatum 552-554 ; Gregorianum 555.
Amor debitus parentibus 131-133 ; filiis 141, 142 ; consanguineis 151 ; conjugi 152-156.
Appelantes ad concilium 418, 419, 487, 488.
Apostatæ a fide 411-413.
Apostatæ a religione 470.
Apostolicæ Sedis Constitutio 363.
Attentio ad Missam audiendam 124 : ad horas recitandas 334.
Auctores v. Editores.
Audiens confessiones vel absolvens sine jurisdictione 508, 509.
BAPTISMUS quoad irregularitatem 525, 526.
Bellum 188, 189.
Benedictio in articulo mortis 560, 561.
Beneficia excommunicatis denegata 388, 389.
Beneficiati relate ad officium divinum 312, 315.
Bigamia causa irregularitatis 522, 523.
Blasphemia 93-98 : regulæ practicæ 99.
Bona et jura Ecclesiæ relate ad censuras 450, 451.
CÆLIBATUS 304-308.
Calumnia 242, 243, 248.
Canonis privilegium 401, 402, 426, 465, 466.
Carnifex irregularis 522, 523.
Castitas : ejus votum in clericis 304, 307; in regularibus et monialibus 363-366.
Casus occultus in criminibus 308.
Censura quid et quotuplex 375, 376 ; ejus subjectum 377, cessatio 378 censuræ hodie vigentes 397-518 ;
Cessatio a divinis 381, 382, 384.
Cives : eorum obligationes 170-175.
Clausura 367 : censuræ contra violantes 444-449.
Clerici 291 ; eorum vocatio 292-294, scientia 295-297 ; sanctitas 298-303; cælibatus 304-308 ; privilegia 332 ; habitus et tonsura 309, 310 ; recitatio officii 311. Clerici contrahentes matrimonium 454 ; exercentes artem medicam 524, 525.
Clericus in turpibus habituatus 302.
Cogentes ad statum clericalem vel ad religionem 483, 484.
Cohabitatio cum mulieribus clericis vetita 308.
Communicatio cum excommunicatis prohibita 380 ; censuræ contra communicantes 491, 492, 500, 501.
Communio paschalis 261-264 ; quando præscripta pro pueris 264 ; communio relate ad indulgentias 546.

Conclave quoad censuras 408, 409.
Condonandae injuriae 255.
Confessarii absolventes complicem 403-405 ; violantes sigillum 406 ; quoad facultatem absolvendi a censuris 378.
Confessarium falso denuntiantes 431, 432 ; scienter non denuntiantes 485, 486.
Confessio annua 257-260 ; confessio relate ad indulgentias 546.
Conjuges : eorum obligationes 152-156.
Consanguinei : eorum obligationes 151.
Contumelia 251-254.
Cooperatores quoad censuras 377.
Coronæ precatoriæ 567-570.
Craniotomia 196-201 : causa irregularitatis 525-526.
Crematio cadaverum 278-281; censura 489, 490.
Custodia secreti 235-240.
Crucifixus pro *Via Crucis* 632.
Cultus Deo indebitus 52.

DÆMONIS invocatio 57, 65.
Decalogus 1.
Decimæ earumque obligatio 274-277.
Defectus causa irregularitatis 522-523.
Delictum causa irregularitatis 254-256.
Deputati 165-168.
Detractio 241-249.
Devotio quid sit 4.
Dispensatio a votis 31-55 ; ab irregularitate 530-533.
Divinatio 60.
Domini : eorum obligationes 162-164.
Donationes factæ a religiosis 61.
Duellum 202-206 ; quinam causa duelli excommunicentur 535.

ECCLESIÆ potestas legifera 256.
Edentes leges, decreta, etc. 422, 423.
Editores sacrarum Scripturarum, librorum apostatarum, etc. 287, 288, 477, 478.
Educatio debita filiis 143-150, 462.
Ephemerides pravæ 286.
Episcopi quoad facultatem absolvendi a censuris 460-475.
Excommunicatio, quid sit et quotuplex 379 : ejus efectus 380-389.
Excommunicationes hodie vigentes 397-486.
Excommunicatus quotuplex 380.
Exemptionis privilegium 332.

FABRICATORES, falsarii, etc. 429, 430.
Fama, num ad eam jus homo habeat 241, læsio famæ 242-249.
Famuli : eorum obligationes 157-161.
Festa sanctificanda 104 : quinam teneantur 105-109.
Fetus; ejus occisio, abortus 195-201, censura 467, irregularitas 525-526.
Filii : eorum obligationes 131-140.
Fori privilegium 332, 424, 442, 443.
Fornicatio ejusque species ex circumstantiis 215.

HÆRETICI quoad excommunicationem 411-412, quoad irregularitatem 525, 526.
Homicidium 175 ; causa irregularitatis 525, 526.
Honor quid sit 251.
Horæ canonicæ v. Officium divinum.
Hypnotismus 63-67.

IDOLATRIA 54, 55.
Ignorantia relate ad censuras 377.
Illegitimi quoad irregularitatem 522 523.
Impedimenta quoad ordines 527-529.
Impendentes auxilium vel favorem 440, 441.
Impuberes quoad censuras 377.
Incestus 115.
Index librorum prohibitorum 289.
Indulgentia quid sit et quotuplex 536-539 : auctor 540 : subjectum et conditiones 542-546 : quoad excommunicatos 385 ; quænam apocryphæ 288 ; quæstum ex eis facientes 434, 435.
Indulgentiæ apostolicae 572-574.
Infamia causa irregularitatis 522, 523.
Ingressus in religionem 348-351.
Inhabilitas ad beneficia 388.
Insequestrabilitatis privilegium 332.
Intentio ad lucrandas indulgentias 546.
Interdictum, quid sit et quotuplex 390, 391 ; effectus 392 ; interdicta hodie vigentia 487-493.
Irregularitas quid sit 519 : ex defectu 522, 523 ; ex delicto 524-526 ; cessatio 530-533.

Irritatio voti 25-30.
Jejunium 270-272: causæ ab eo excusantes 273.
Jubilæum 549.
Judicium temerarium 250.
Judex irregularis 522, 523.
Jura porochorum 345.
Juramentum quid sit, et an liceat 36-38: requisita ad validitatem et liceitatem 39-43; juramenti promissorii efficacia 44-48.
Jurisdictio excommunicatis ablata 387.

LAUS Dei 50.
Libri prohibiti 282-284; per Canones Codicis 286-288; per Indicem 289: sub censura 414, 415.
Locus sacer 73; quibus modis violetur 76.
Luxuria, quid et quotuplex 208-221: interrogationes circa ipsam 222.

MAGIA, maleficium 60.
Magnetismus 63-67.
Manus violentas injicientes in R. Pontificem 401, 402, in Cardinales etc. 426, in clericos 465.
Massonica secta 436, 437.
Matrimonium ineuntes coram ministro acatholico, vel liberos in hæresi educantes 461, 462. Causa irregularitatis 601, 602.
Mendacium 225-228: utrum quandoque liceat 233.
Metus an excuset a censura 377.
Militia, num sit obligatoria 174.
Missa audienda 120-125: causæ excusantes 126-128.
Missæ Gregorianæ 556.
Moniales quoad clausuram 367: eam violantes relate ad excommunicationem 447-449: matrimonium contrahentes 454, 455.
Mutilatio causa irregularitatis 525.

NATALIUM defectus causa irregularitatis 522, 523.
Negotiatio clericis vetita 323-330.
Novitiatus 348-351.

OBEDIENTIA filiorum 136-139: religiosorum 368-371.
Observantia vana 60.
Occisio sui 176-180; occisio delinquentis 181-184; aggressoris 185-187; innocentis 190-195; fetus 196-201: irregularitas 525, 526.
Officia sæcularia clericis interdicta 331.
Officia divina vetita excommunicatis 381.
Officium divinum 311: obligatio quoad substantiam 312, quoad accessoria 319, 320: causæ excusantes 321, 322.
Onanismus 216.
Opera relate ad sanctificationem dierum festorum 110-115; causæ excusantes 116-118.
Opificum obligationes 157-160.
Oratio: ejus necessitas et efficacia 5-6.
Oratorium relate ad præceptum Missæ audiendæ 125.
Ordinantes et ordines recipientes illegitime 479-503.
Ordinis actum ponentes illegitime 525, 526.

PARENTES eorum obligationes erga filios 140-150, 461, 462.
Parochus 333: obligationes 334-344; jura 345; quid possit circa sanctificationem festorum 105, 108.
Paupertas religiosorum 358-362.
Perfectio christiana religiosis obligatoria 353-356.
Perjurium 39, 43.
Persona sacra 73-76.
Pietas quid sit 131.
Pœna reincidentiæ 378, 398.
Pollutio 216.
Portiuncola 559.
Preces pro indulgentiis 546.
Prædicatio parochis imposita 340, 341.
Prælati institutorum religiosorum quos admittere debeant, quos debeant rejicere 350.
Privilegia clericorum 332; religiosorum 372.
Professi præsumentes contrahere matrimonium 454, 455, 472, 473.
Professio religiosa 352, 353, 355, 356;
Publici officiales num a Missa diebus festis audienda excusentur 128.

QUÆSTUM facientes ex indulgentiis 434, 435.

RAPTUS 215.
Rebellio contra Principes an umquam liceat 174.

Recipientes ordines ab excommunicato, etc: 500, 501.
Recurrentes ad laicam potestatem 420, 421.
Refectiuncula vespertina 272.
Regulæ: obligatio quoad religiosos 356.
Regulæ praticæ circa sextum præceptum 222.
Regulares quoad chorum 356.
Religió 3.
Religiosi 352: obligationes 353-371; privilegia 372.
Religiosus fugitivus 507.
Reliquias falsas conficientes, etc. 463, 464.
Res sacra 73-76.
Residentia parochis imposita 336-339.
Restrictio mentalis 229-234.
Reverentia debita parentibus 135, 136.
Rosarium 568.

SACRAMENTA a parochis ministranda 343: excommunicatis interdicta 382-384.
Sacrificium 14.
Sacrilegium quid sit et quotuplex 73-77.
Sanctificatio dierum festorum 104-129.
Sanctitas clericis necessaria 298-303.
Scapularia 564-566.
Scientia clericis necessaria 295-297.
Schismatici excommunicati 411-412.
Scripturæ libri, versiones etc. quoad prohibitionem 287, 288; quoad censuras 414, 415.
Secretum 235-240.
Sectae damnatae sub censura 436, 437.
Sepultura ecclesiastica quibus neganda 180, 206, 383; censura 479, 489.
Sigillum sacramentale violantes 406, 407.
Simonia quid sit et quotuplex 78,79; ejus essentia 80-82; reatus 83-88; pœnæ contra simoniacos 88, 89, 452, 453, 498, 499.
Simulantes Missæ celebrationem, aut confessionem 426, 427.
Sodomia 216.
Species sacras abjicientes vel abducentes 399, 400.
Spectacula clericis prohibita 331.
Spiritismus 63-67.
Stuprum 215.
Subditi: eorum obligationes 169-174.
Suffragia excommunicatis negata 285.
Suicidium 176-180; causa irregularitatis 525, 526.
Superiores civiles: eorum obligationes 165-168.
Superstitio quid sit 56-59; superstitiones antiquæ 60-62; recentes 63-67.
Suspensio quid sit et quotuplex 393-395; ejus effectus 396; suspensiones hodie vigentes 495-518.

TABULÆ rotantes 63-67.
Tentatio Dei 69-72.
Thesaurus Ecclesiæ quid sit 536.
Tonsura clericorum 309, 310.
Trahentes personas insignitas privilegio fori ad judices laicos 424, 425, 442, 443, 507.
Tributa num ex obligatione solvenda sint 174.

USURPANTES terras R. Ecclesiae 427, 428; bona ecclesiastica 450, 451.
Usurpatio vana nominis Dei 100-103.
Uxor, ejusque obligationes 152-156.

VESTIS clericalis 309, 310.
Via Crucis 557, 558.
Vicarius capitularis concedens illegitime litteras dimissorias 517, 518.
Visitatio ecclesiæ pro indulgentiis 546.
Vita conservanda 176-179.
Vitiati corpore irregulares 522, 523.
Vocatio clericalis 292-294; religiosa 350-351.
Votum quid sit et quotuplex 15; ejus essentia et obligatio 16-22; cessatio 23-35; vota religiosa 357-371, paupertas 358-362; castitas 363-367; obedientia 368-371; vota reservata 34.

EXPLICIT LIBER TERTIUS

CASA EDITRICE MARIETTI
TORINO (118)

CURSUS
THEOLOGIÆ MORALIS

CURSUS

Theologiæ Moralis

ad usum Scholarum Theologicarum

AUCTORE

Can. J. B. PIGHI S. Theol. Doct.

ANTISTITE URBANO

Editio quarta

in nonnullis emendata - in pluribus aucta

LIBER QUARTUS

DE SACRAMENTIS

VERONÆ
SORORES CINQUETTI FILIÆ FELICIS
Bibliopolæ Editoris Pontificii
In Via « Croce Verde » N. 6
MCMXXVI

Quæ jura a lege sunt, auctor, et J. B. Cinquetti Sac. sibi reservarunt.

VERONÆ, TYPOGR. BETTINELLI

INDEX

DE SACRAMENTIS

Tractatus praevius

De Sacramentis in genere pag. 1
Cap. I. de notione sacramentorum novæ legis » »
Cap. II. De veritate sacramentorum novæ legis » 4
Cap. III. De elementis objectivis sacramentorum » 6
Art. I. De elementis objectivis certis » 7
Art. II. De elementis objectivis dubiis » 8
Cap. IV. De ministro sacramentorum » 10
Art. I. De requisitis ad confectionem validam » 11
Art. II. De requisitis ad confectionem licitam » 13
Art. III. De obligatione ministrandi sacramenta » 16
Art. IV. De obligatione denegandi sacramenta » 19
Cap. V. De subjecto sacramentorum » 24
Art. I. De requisitis ad susceptionem validam » 25
Art. II. De requisitis ad susceptionem licitam » 26
Cap. VI. De effectibus sacramentorum » 28

Tractatus primus

De Baptismo » 31
Cap. I. De natura et necessitate Baptismi » »
Cap. II. De elementis objectivis Baptismi » 33
Art. I. De materia Baptismi » »
Art. II. De forma Baptismi » 35
Cap. III. De ministro Baptismi » 36
Cap. IV. De subjecto Baptismi » 39
Cap. V. De effectibus Baptismi pag. 45

Tractatus secundus

De Confirmatione » 47
Cap. I. De veritate et effectibus Confirmationis » »
Cap. II. De elementis objectivis Confirmationis » 48
Cap. III. De ministro Confirmationis » 49
Cap. IV. De subjecto Confirmationis » »

Tractatus tertius

De SS. Eucharistia » 52
SECTIO PRIMA. De Eucharistia ut sacramento » »
Cap. I. De natura et veritate Eucharistiæ » »
Cap. II. De elementis objectivis Eucharistiæ » 54
Art. I. De materia Eucharistiæ » »
Art. II. De forma Eucharistiæ » 59
Cap. III. De ministro Eucharistiæ » 60
Art. I. De ministro consacrationis Eucharistiæ » »
Art. II. De ministro quoad asservationem Eucharistiæ » 61
Art. III. De ministro distributionis Eucharistiæ » 62
§ I. De potestate ministrandi Eucharistiam » »
§ II. De obligatione ministrandi Eucharistiam » 63
§ III. De modo ministrandi licite Eucharistiam » 64
Cap. IV. De subjecto Eucharistiæ » 66
Art. I. De capacitate subjecti relate ad Eucharistiam » »
Art. II. De obligatione suscipiendi Eucharistiam » 67

Art. III. De dispositionibus requisitis ex parte animæ pag. 71
§ I. De dispositionibus requisitis ad susceptionem licitam » »
§ II. De requisitis ad susceptionem fructuosam, ac speciatim de communione frequenti » 76
Art. IV. De dispositionibus requisitis ex parte corporis » 82
§ I. De servando jejunio naturali » »
§ II. De corporis decentia » 86
Cap. V. De effectibus Eucharistiæ » 87
SECTIO ALTERA. De Eucharistia ut sacrificio » 88
Cap. I. De natura et veritate sacrificii Eucharistici » 89
Cap. II. De efficacia sacrificii Missæ » 92
Art. I. De efficacia sacrificii Missæ in se » »
Art. II. De efficacia Missæ quoad ejus applicationem » 94
Cap. III. De ministro sacrificii Missæ » 99
Art. I. De obligatione celebrandi ratione sacerdotii » »
Art. II. De obligatione celebrandi ratione officii » 100
Art. III. De obligatione celebrandi ratione stipendii » 102
§ I. De obligatione celebrandi, spectato jure naturali » »
§ II. De obligatione celebrandi, spectatis legibus Ecclesiæ » 105
Punct. I. De cavenda quacumque specie mercimonii » »
Punct. II. De curanda certa onerum impletione » 107
Cap. IV. De præscriptionibus liturgicis circa Missam » 109
Art. I. De tempore celebrationis » »
Art. II. De loco celebrationis » 111
Art. III. De sacris utensilibus » 112
Art. IV. De ritibus in ipsa celebratione servandis » 113

Tractatus quartus

De Pœnitentia pag. 116
SECTIO PRIMA. De ipso sacramento Pœnitentiæ » »
Cap. I. De veritate et necessitate hujus sacramenti » »
Cap. II. De materia sacramenti pœnitentiæ » 118
Cap. III. De forma sacramenti pœnitentiæ » 121
SECTIO SECUNDA. De subjecto sacramenti pœnitentiæ » 124
Cap. I. De obligatione suscipiendi sacramentum pœnitentiæ » 125
Cap. II. De contritione ac proposito » 126
Art. I. De ipsa contritione » »
Art. II. De proposito » 131
Cau. III. De confessione » 133
Art. I. De necessitate integritatis » 134
Art. II. De mediis procurandi integritatem » 141
Art. III. De causis excusantibus ab integritate » 143
Cap. IV. De satisfactione » 147
Art. I. De imponenda satisfactione sacramentali » 148
Art. II. De acceptatione et impletione satisfactionis » 151
Cap. V. De effectibus sacramenti pœnitentiæ » 153
SECTIO TERTIA. De ministro sacramenti pœnitentiæ » 155
Cap. I. De jurisdictione » 156
Art. I. De necessitate jurisdictionis » »
Art. II. De subjecto jurisdictionis » 158
Art. III. De restrictione jurisdictionis quoad peccata » 160
§ I. De peccatis reservationi obnoxiis » 161
§ II. De facultate absolvendi a reservatis » 165
Art. IV. De jurisdictione relate ad religiosas » 167
Cap. II. De officiis ministri » 170

Art. I. De officiis ministri xercitium ministerii prævenientibus pag. 170
Art. II. De officiis exercitium ministerii comitantibus » 173
§ I. De officio judicis » 175
Punct. I. De causa cognoscenda » »
Punct. II. De judicio faciendo » 178
Punct. III. De sententia ferenda » 181
§ II. De officio medici » 184
§ III. De officio doctoris » 186
Art. III. De officiis exercitium ministerii subsequentibus » 190
§ I. De sigillo sacramentali » 191
Punct. I. De ipsa obligatione sigilli » »
Punct. II. De materia sigilli » 193
Punct. III. De læsione sigilli » 195
§ II. De corrigendis erroribus » 198
Cap. III. De abusibus in ministerio pœnitentiali occurrentibus » 201
Art. I. De absolutione complicis in peccato turpi » 202
Art. II. De sollicitatione ad turpia » 206
Cop. IV. De modo agendi cum variis classibus pœnitentium » 211
Art. 1. De modo agendi cum occasionariis » »
Art. II. De habituatis et recidivis » 216
Art. III. De modo agendi cum pueris » 220
Art. IV. De modo agendi cum personis devotis » 222
Art. V. De modo agendi cum moribundis » 224

Tractatus quintus

De Extrema Unctione » 230
Cap. I. De materia Extremæ Unctionis » »
Cap. II. De forma Extremæ Unctionis » 232
Cap. III. De ministro Extremæ Unctionis » 233
Cap. IV. De subjecto Extremæ Unctionis pag. 234
Cap. V. De effectibus Extremæ Unctionis » 238
Appendix. De cura infirmorum post collata sacramenta » 239

Tractatus sextus

De Ordine » 242
Cap. I. De materia et forma Ordinum majorum » 243
Cap. II. De ministro Ordinis » 246
Cap. III. De subjecto Ordinis » 248
Cap. IV. De effectibus Ordinis presbyteratus » 252
Cap. V. De accessoriis sacræ ordinationis » 253

Tractatus septimus

De Matrimonio » 256
Præliminaria theoretica » »
SECTIO PRIMA. De Matrimonio contrahendo » 258
Cap. I. De sponsalibus » »
Art. I. De elementis essentialibus sponsalium » »
Art. II. De effectibus sponsalium » 262
Art. III. De dissolutione sponsalium » 264
Cap. II. De impedimentis in genere » 265
Art. I. De investigatione impedimentorum » 266
Art. II. De revelatione impedimentorum » 268
Cap. III. De impedimentis prohibentibus Matrimonium » 269
Art. I. De causis prohibentibus contractum Matrimonii » »
Art. II. De causis prohibentibus sacramentum Matrimonii » 271
Cap. IV. De impedimentis dirimentibus Matrimonium » 272
Art. 1. De ætate » 275
Art. II. De impotentia » »
Art. III. De vinculo » 278
Art. IV. De cultus disparitate » 280
Art. V. De Ordine sacro » 281
Art. VI. De voto solemni » 282
Art. VII. De raptu » »

Art. VIII. De crimine pag. 283
Art. IX. De consanguinitate » 285
Art. X. De affinitate » 288
Art. XI. De publica honestate » 290
Art. XII. De cognatione spirituali » 291
Art. XIII. De cognatione legali » 292
Cap. V. De dispensatione ab impedimentis » 293
Art. I. De auctore dispensationis » »
Art. II. De causis et de petenda dispensatione » 297
Art. III. De exsecutione dispensationis » 300
SECTIO SECUNDA. De ipso contractu matrimoniali » 301
Cap. I. De celebratione Matrimonii » 302
Art. I. De personis contrahentibus » »
Art. II. De consensu » 304
Art. III. De forma canonica contrahendi » 306
Art. IV. De liturgia matrimoniali » 313
Cap. II. De convalidatione matrimonii invalidi » 315
Art. I. De convalidatione modo ordinario pag. 315
Art. II. De convalidatione per sanationem in radice » 317
Cap. III. De sic dicto matrimonio civili » 318
SECTIO TERTIA. De Matrimonio contracto » 322
Cap. I. De proprietatibus matrimonii » »
Art. I. De unitate matrimonii » »
Art. II. De indissolubilitate matrimonii » 323
§I. De indissolubilitate quoad vinculum » »
§ II. De indissolubilitate quoad torum et habitationem » 325
Cap. II. De mutuis conjugum officiis » 328
Art. I. Quænam sibi ad invicem conjuges debeant » »
Art. II. Quænam conjugibus liceant » 330
Art. III. Quæ conjugibus non liceant » 332
Regulæ practicæ » 336
Appendix » 338

Liber IV.

DE SACRAMENTIS

Supremas et generales scientiæ moralis normas dedimus Libro I.: sequentibus proposuimus officia sive immediate sive mediate hominibus imposita, quibus satisfacientes suum ultimum finem, vitam æternam, consequerentur. Verum « arcta est via, quæ ducit ad vitam »: quare divinæ caritati tribuendum est, quod Christus Sacramenta instituit, quibus homines ad eam viam aggrediendam et ad finem usque percurrendam efficacissime juvarentur. De hisce agendum hoc Libro IV.: nempe primo de Sacramentis in genere, dein de singulis.

TRACTATUS PRÆVIUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

1. Tractatio de sacramentis immediate et per se ad theologiam dogmaticam pertinet; mediate et per consequens spectat etiam ad theologiam moralem. Cum enim sacramenta a Christo instituta fuerint ad sanctificationem animarum, necessario eorum institutio præcepta quædam importat, tum quoad eos, quibus eorum ministratio commissa est, tum quoad eos, qui ea accipere debent aut volunt. Nos, obiter partem dogmaticam attingentes, diserte tractabimus partem moralem et practicam.

CAPUT I.

DE NOTIONE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS

2. Dominus Jesus Christus propter eamdem caritatem suam, qua tradidit semetipsum pro nobis, ut omnes salvi essemus per ipsum, nobis opportuna media paravit, quibus, virtute passionis ipsius efficaciter nobis communicatâ, finem ejusdem passionis consequamur, vitam æternam. Sacramenta novæ Levis « ex Christi latere manantia, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundant conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi » [1]: hæc uni-

1) Catechismus Conc. Trid. *P. II. Num. 29.*

verso generi humano præbent eas aquas, quas Isaias de fontibus Salvatoris hauriendas esse prædixit. Juxta S. Thomam, dum Christi incarnatio et passio fuit medicina universalis, sacramenta sunt medicinæ particulares ab eadem procedentes et eidem conformes, quibus virtus universalis medicinæ proveniat ad infirmos; in sacramentis enim ipsa divina virtus sub tegumento rerum visibilium secretius operatur salutem [2]. Quæ postrema verba Doctoris Angelici indicant aliam sacramentorum dignitatem ex persona Christi; qui, nedum fuit eorumdem institutor, sed et eadem ipse operatur, quoties singula conficiuntur. Sicut enim Christus in sua vita mortali peccata remittebat, dona Spiritus sancti conferebat, etc.; ita, quoties ejus ministri ponunt ritum sacramentalem, ipse peccata remittit et confert gratiam sanctificantem. Exinde est ea efficacia propria sacramentorum novæ Legis *ex opere operato* ut per ea omnis justitia in nobis incipiat, vel cœpta augeatur, vel amissa reparetur [3].

3. Ex dictis duo consectaria practica deducuntur.

1. Episcopi, parochi et generatim sacerdotes, tum quoties ministraturi sunt sacramenta, tum sæpe inter Missarum solemnia, sacramentorum dignitatem et efficaciam et usum fidelibus explicare debent; ut hi ad ea majori cum devotione et animi reverentia accedant, et, quæ sæpius suscipi possunt, avidius et frequenter suscipiant, et sic abundantius eorumdem fructus participent.

2. Iidem summa cum reverentia, interiori pietate ac exteriori gravitate, conficere debent sacramenta; sive propter eorumdem infinitam dignitatem; sive, quia ipsi in iis conficiendis Christum repræsentant, sive, ut iisdem fidelium devotionem et in suscipientibus necessarias dispositiones concilient; sive demum, quia ipsa sacramentorum ministratio, si sancte fiat, efficacissimum medium est ipsis sacerdotibus ad perfectiorem sanctitatis gradum assequendum [4].

4. **Parergon.** — **I.** *De sacramentis veteris Legis.* — Omissa periodo status innocentiæ, de cujus œconomia salvifica nonnisi conjecturas habere licet, in periodo legis naturæ, seu patriarchali, certe debuerunt esse quædam remedia pro peccato originali in infantibus delendo, ut colligitur ex voluntate Dei salvifica universali: at de indole eorumdem non habentur nisi hypotheses et conjecturæ.

In lege Mosaica hoc remedium masculis Israëlitis apponebatur per circumcisionem, quæ fiebat octavo die a nativitate. Profecto *circumcisio*, primum veteris Legis sacramentum, gratiam non infundebat, nec delebat peccatum originale; cum ea elementa, testante S. Paulo, infirma essent ac egena; tamen significabat gratiam per Christum conferendam, ac in-

2) S. Thomas *Prologus in Lib. IV. Sententiarum.*

3) Tractant S. Thomas *P. 3. Qu. 60-90,* et *Supplem. Qu. 1-68;* S. Lig. *Lib. VI.;* Ball. V. ol. IV. *Tract. X.;* Arregui *507-515,* et omnes in tractatu hujus tituli.

4) Ex Conc. Trid. *Sess. XXIV. Cap. VII. De reform.;* Catech. Conc. Trid. *P. II.; Cap. I.* Cf. Berengo *Enchir. par. P. II. Cap. III.;* Frass. *Manuale del parr. nov. P. III.;* Dubois *Il santo Prete P. III. Cap. XI.;* etc.

fantem adunabat populo Dei, cui Deus intuitu meritorum Christi venturi gratiam infundebat. Pro adultis alia exsistebant sacramenta: *Agnus paschalis*, figura Eucharistiæ; ritus *initiationis sacerdotalis*, figura sacramenti Pœnitentiæ. Accedebant *panes propositionis*, quædem *expiationes* et forte alia incerta 5.

5. **II.** *De sacramentalibus.* « Sacramentalia sunt res aut actiones, quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus præsertim spirituales » 6. Similitudo sacramentalium cum sacramentis triplex est: *a*) Ratione institutionis sicut sacramenta exigunt institutionem a Christo, ita sacramentalia institutionem, aut saltem recognitionem, ab Ecclesia. — *b*) Ratione essentiæ: etiam sacramentalia exigunt determinatam materiam et formam, et determinatum ministrum, qui agat nomine Ecclesiæ 7. — *c*) Ratione efficaciæ: sacramentalia quoque participant quamdam efficaciam *ex opere operato;* adeo ut, sicut in sacramentis agens principalis Christus est, ita in sacramentalibus Ecclesia, ut impetrans; unde, sicut in illis indignitas ministri valori sacramenti non obstat, ita in istis non obstat valori et efficaciæ sacramentalis.

Effectus sacramentalium duplicis classis sunt. Effectus immediatus et omnibus communis, non est quidem collatio gratiæ, sed est gratiæ impetratio a Deo nomine Ecclesiæ. Effectus mediati et singulorum sacramentalium proprii recensentur communiter quinque: *a*) Excitatio in animo alicujus boni motus gratiæ actualis. — *b*) Vis coërcendi et expellendi dæmones. — *c*) Remissio peccatorum venialium, « quantum ad culpam, tum virtute alicujus satisfactionis, tum etiam virtute caritatis cujus motus per prædicta (sacramentalia) excitantur » 8. — *d*) Remissio pœnæ debitæ peccatis quantum ad culpam remissis; « reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum motum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur quandoque magis, quandoque autem minus ». — *e*) Postremus effectus potest esse assecutio alicujus boni temporalis; cum et ad hæc bona impetranda Ecclesia sacramentalia quædam instituerit.

In usu sacramentalium maxime cavendum est, ne superstitiones foveantur, præsertim quoad exaggeratam fiduciam et quoad finem a fidelibus petentibus intentum: speciatim « nemo, exorcismos in obsessos proferre potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinerit 8. Item absit ex parte ministri quælibet excommunicatio aut suspensio ».

Præcipua sacramentalia habentur sex hoc versiculo expressa:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedictus.

5) S. THOMAS *1. 2. Qu. 102 art. 5.* — Cf. FRANZELIN *De sacram. in genere Thesi I. P. II.*; BILLOT *De Eccl. sacram. Disput. prævia Thesi IX.*; PRÜMMER *Num. 3, 26-28.*

6) CODEX *Can. 1144.*

7) S. THOMAS *P. 3. Qu. 87 art. 3 ad 3.* — Cf. ARENDT *De sacramentalibus* (Romæ 1900).

8) CODEX *Can. 1151 § 1.* — Formula in RIT. ROM. *Tit. XI. Cap. 1, 2.*

CAPUT II.

DE VERITATE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS

6. Cum in usu sacro et ecclesiastico multiplici sensu vox « sacramentum » accipiatur, proprie in re nostra *sacramentum* a Concilio Tridentino definitur « symbolum rei sacræ, et invisibilis gratiæ visibilis forma »; in Catechismo ejusdem Concilii « res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis et justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet »; et brevius « ritus efficax gratiæ » [1].

Verum ad usum theologicum forte opportunior est definitio communis, qua *sacramentum* dicitur esse « signum sensibile a Christo institutum ad significandam et conferendam gratiam ». Dicitur: *a) Signum;* h. e., actio, vel dictio, vel res, quæ aut naturâ suâ, aut humana conventione apta sit aliquid significare: ita ablutio in Baptismo, consensûs expressio in Matrimonio, species panis in Eucharistia. — *b) Sensibile;* h. e., quod sensibus objiciatur, ut in exemplis allatis: dum character sacramentalis signum quidem est, at spirituale. — *c)* Sit *a Christo institutum;* quippe solus Deus signo ab hominibus posito adnectere potest vim causativam gratiæ. — *d)* Dicitur demum: *ad significandam et conferendam gratiam;* quorum primum est ex ipso signo sensibili, alterum ex divina institutione [2].

Præmittimus præcipuas veritates theoreticas in re sacramentali; quarum demonstrationem ac expositionem supponimus ex theologia speculativa.

7. **Quae sunt de fide**[3]**: I.** Christus Dominus noster instituit septem novæ Legis sacramenta; nec plura, nec pauciora. Sunt autem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

II. Sacramenta novæ Legis continent gratiam, quam significant; eamque, quantum est ex parte Dei, conferunt semper et omnibus [4].

III. Tria sacramenta, Baptismus, Confirmatio et Ordo, imprimunt characterem in anima; h. e., signum quoddam spiritale et indelibile, unde ea iterari non possunt.

1) Concilium Trid. *Sess. XIII. Cap. III.*; Catech. Conc. Trid. *P. II. Cap. I. 11.*

2) Institutionem a Christo, quam pro duobus vel tribus sacramentis concesserunt protestantes, negant modernistæ quod omnia: cf. in Syllabo *Lamentabili Prop. 40.* Vim effectivam gratiæ negant utrique; cf. Leonis X Bullam *Exsurge Propp. 1, 10-15;* Syllabum *Lamentabili Prop. 41, seqq.*

3) Ex Concilio Trid. *Sess. VII. De sacramentis in genere. Can. 1-12.*

4) Hæc efficacia dicitur esse *ex opere operato;* nempe vi ipsius signi sensibilis, non merito ministrantis aut suscipientis.

IV. In ministro, ut vere conficiat aut conferat sacramentum, non requiritur immunitas a peccato mortali, nec quoad Baptismum fides; requiritur vero, quod habeat intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, et servet omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent.

8. **Quae sunt theologice certa: I.** Christus omnia sacramenta instituit per se et immediate.

II. Sacramenta, præter gratiam sanctificantem, conferunt gratiam sacramentalem cujuscumque sacramenti propriam; h. e., auxilium speciale ad obtinendum finem proprium cujuscumque sacramenti.

III. Sacramenta gratiam sanctificantem et sacramentalem producunt tamquam causæ instrumentales, per quas homini non ponenti obicem gratia ipsa immediate confertur.

IV. Ad sacramenta valide conficienda non requiritur in ministro fides.

9. Præcipuæ divisiones sacramentorum: Alia dicuntur esse sacramenta *mortuorum;* alia *vivorum*. Priora sunt ea, quæ ex natura sua et ex primaria Christi intentione ordinata sunt ad conferendam gratiam subjecto, quod supponunt vita gratiæ destitutum. Posteriora sunt ea, quæ item ex natura sua et ex primaria Christi intentione ordinata sunt ad conferendam gratiam subjecto, quod jam supponunt vita gratiæ ornatum. Itaque priora *per se* ordinata sunt ad conferendam gratiam primam; posteriora, item *per se,* ad conferendam gratiam secundam, seu augmentum gratiæ præexsistentis.

Sacramenta, omnia aut fere omnia, possunt esse *formata,* vel *informia*. Cum sacramentum, dummodo ab idoneo ministro elementa essentialia ponantur, certissime exsistat, et proinde quantum est ex parte Dei certissime valeat gratiam homini suscipienti conferre, ut eidem eam realiter conferat, necesse est quod hic capax sit gratiæ recipiendæ. Si hoc verificatur, sacramentum dicitur esse *formatum,* seu gratiam simul continens et realiter conferens; si forte homo gratiæ recipiendæ impedimentum seu obicem opponat, sacramentum gratiam quidem continet, at eam subjecto realiter conferre non valet; in eo casu sacramentum dicitur esse *informe*.

A ceteris sacramentis distinguuntur tria: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ appellantur *characteristica* seu *characterem imprimentia,* vel *non iterabilia;* dum cetera *iterabilia* dicuntur.

Demum quædam dicuntur singulis *necessaria,* quædam *non necessaria*: ceterum ex Christi voluntate omnia necessaria sunt, aut singulis, aut communitati fidelium et humanæ societati.

10. Institutio sacramentorum a Christo hoc importat, quod Christus

ritum aliquem sensibilem instituerit, eidem vim inserens causativam gratiæ. Sub hoc respectu, sacramentum dici potest « ritus ad producendam et conferendam gratiam institutus a Christo, constans rebus et verbis, ponendis et proferendis actione vicaria Christi ab idoneo ministro ». Quapropter tria sunt elementa cujuscumque sacramenti constitutiva: *a*) Res aliqua sensibilis, quæ usu theologorum ab ipsa Ecclesia probato appellari solet *materia; b*) verba, quæ dici solent *forma*: hæc sunt elementa objectiva. At, quia Christus dispensatores mysteriorum suorum voluit esse homines, ideo *c*) requiritur *minister*, qui vice Christi materiam ponat et formam proferat, intendens per hæc id facere, quod Christus fieri voluit. — Demum, quia Christus sacramenta instituit pro hominibus, ut singulis hominibus remedia suæ redemptionis applicaret, ideo ad perfectam efficaciam sacramenti in actu secundo requiritur *subjectum* capax recipiendi, tum sacramentum, tum gratiam per ipsum sacramentum conferendam.

11. **Monitum.** — *Principia*, quæ inferius ponimus, certa quidem sunt et omnibus sacramentis applicanda. Tamen, quia singula sacramenta proprium habent finem, ideo singulis competunt quidem notiones essentiales, at ipsa elementa in singulis alia et alia sunt; ac proinde non semper pronum erit *Principia* singulis sacramentis applicare. Hinc paucas modo *Principiis* adjicimus *Resolutiones;* potius ad explicanda *Principia*, quam ad ea applicanda: plures et clarius dabimus in propria de singulis sacramentis tractatione.

CAPUT III.

DE ELEMENTIS OBJECTIVIS SACRAMENTORUM

12. Hæc elementa duo sunt: *Materia* et *forma*. Porro materia seu res, si consideretur prout in se exsistit independenter ab ejus usu in ritu sacramentali, dicitur *remota;* puta, aqua quoad Baptismum, oleum quoad Confirmationem: si consideretur in ipso usu sacramentali, dicitur *proxima;* puta, ablutio, unctio. Forma communiter consistit in verbis, quæ magis aperte demonstrant quod jam materia aliquatenus significat: ejusmodi sunt verba « ego te baptizo », dum aqua corpus abluit: vel « ego te confirmo », dum oleum ungit corpus.

13. Patet tum in materia, tum in forma, dari posse mutationes duplicis generis. Aliæ ita materiam vel formam mutant, ut juxta communem hominum sensum materia dicatur esse alia a præcedente non mutata; forma dicatur significare aliud a præcedente. Aliæ sunt, quæ mutant quidem; ita tamen, ut juxta communem hominum sensum materia dicatur esse eadem ac præcedens, at nonnihil variata seu modificata; forma dicatur idem significare, sed modo diverso. Ita, non modo aliud ab aqua est merum; sed etiam, si parvæ quantitati aquæ magnam meri copiam superaddas, nemo dicit id, quod resultat, aquam esse; dum quisque dicit esse aquam, si magnæ aquæ quantitati paucas vini guttulas infundas.

Item de forma, non modo aliud significant verba « ego te baptizo », et « ego te percutio » ; sed et « ego te baptizo », et « ego baptizo » ; dum aliter quidem, at non aliud, significant duæ phrases « ego te baptizo », et « io ti battezzo ». Mutationes prioris generis dicuntur *substantiales;* alterius generis dicuntur *accidentales* 1. Quisque videt sæpe in casibus practicis arduum esse definire, utrum mutatio, sive in materia, sive in forma, substantialis fuerit an accidentalis : præcipuas ex his perpendemus agentes de sacramentis singulis.

ART. I. — De elementis objectivis certis

14. **Principia. I.** Ut sacramentum exsistat, necesse est ritum a ministro positum quoad substantialia eumdem illum esse, quem Christus instituit. Positio autem ritus sacramentalis, sacramentum non conficiens, *per se* est peccatum grave, tum contra religionem, tum contra justitiam vel caritatem.

II. Ad valorem sacramenti necesse est, quod ea materia ac ea forma adhibeatur, quæ in substantialibus eadem sit ac ea, quam Christus determinavit.

III. Item necesse est, quod materia et forma, pro cujuscumque sacramenti natura, ita quoad ministrum, tempus et locum moraliter uniantur, ut juxta communem æstimationem censeatur hæc forma hanc materiam afficere, et simul cum ipsa unum signum sensibile constituere, quod minister applicat subjecto.

15. **Expositio.** *Princ. I.* — Ratio prioris partis ea est, quod Christus vim causativam gratiæ indidit illi tantum ritui, quem ipse instituit : quapropter ritus ab eo in substantialibus diversus gratiam non continet. Quia vero ritus ponendus est ab hominibus, et ex elementis usui hominum accomodatis, ideo ritus non cessat esse idem, si nonnihil in accidentalibus differat.

Ratio alterius partis ea est, quod positio ritus illius inefficacis et inepti est ejusdem sacramenti profanatio, et Christi sacramentorum auctoris quædam irrisio ; est sacrilegium grave. Insuper homo, cui sacramentum conferendum est, sacramentum et gratiam se accipere utique censet, at neutrum accipit ; porro gratia jam in se « infinitus thesaurus est hominibus » : at ejus pretium in immensum augetur, quando sit suscipienti peccatori necessaria ad justificationem, vel aliunde necessaria sit ad bonum communem vel privatum aliorum 2. Quare minister, sacramentum illud valide non conferens, peccat *per se* graviter contra caritatem ; quod si sa-

1) Exempla plura apud Tanquerey *Num. 27, sequ.;* Génicot *110.*

2) Conferantur theologi in tractatu *De gratia;* ex. gr., Hurter *Theol. dogm.* III. *243, sequ.;* Nieremberg *De inæstimabili pretio gratiæ divinæ.*

cramentum conferre tenebatur ex contractu vel quasi-contractu, peccat contra justitiam.

16. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis baptizans, aut non utatur aqua, aut corpus non abluat, aut omittat verba « ego te baptizo », hic non baptizat; sive sciens et volens id egerit, sive inscius et prorsus involuntarie: nec infans ille (si in infantia moriatur) salvatur, nec deinceps reliqua sacramenta valide suscipiet.

2.ª Qui ita egerit sciens et volens, duo peccata mortalia committit: unum contra religionem; alterum contra caritatem, et simul contra justitiam, si ad baptizandum tenetur ex officio.

3.ª Sacerdos, qui absolutionis verba proferat super pœnitentem confessum tantum venialia, at certe non dolentem, hic sacramentum non conficit; si id faciat advertenter, peccat graviter contra religionem, at *per se* non graviter contra caritatem vel justitiam.

4.ª Si quis baptizans utatur aqua non pura, vel (contra morem Ecclesiæ latinæ) corpus infantis in aquam mergat, aut verba baptismalia proferat sermone vulgari, hic vere baptizat.

5.ª Si confessarius, dictis verbis « ego te absolvo », pœnitentem digressum revocet et paucis verbis increpet, ac dein prosequatur « a peccatis tuis », valide ipsum absolvit.

17. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si femina infantem manibus tenens dicat verba « ego te baptizo » etc , dum alia super caput infantis aquam versat, Baptismus invalidus esse censetur; cum neutra femina materiam et formam ponat, et proinde verba formæ non verificentur.

2.ª Si sacerdos, prolata forma baptismali, immediate aquam fundat, Baptismus valet; minime vero valet, si, advertens aquam nimis calidam esse, interim exspectet frigidam e sacrario afferendam [3].

3.ª Sacramentum Pœnitentiæ validum esse potest, etsi inter peccatorum confessionem et sacramentalem absolutionem mora etiam diuturna interjiciatur: ratio est, quia hoc sacramentum judicium est, et proinde naturam judiciorum tenet.

4.ª Matrimonii validitati non obstat, sive consensûs unius contrahentis dilatio quousque moraliter permanere censetur consensus alterius, sive distantia localis inter unum alterumque contrahentem: ratio est, quia hoc sacramentum contractus est, et proinde naturam contractuum tenet.

ART II. — De elementis objectivis dubiis

18. **Principia. 1.** Si in sacramento conficiendo adhibeatur materia vel forma dubia vel probabilis, vel non certa habeatur materiæ et formæ conjunctio moralis, ipsa validitas sacramenti et productio et collatio gratiæ dubia est. Hinc hujusmodi dubia ca-

3) Mora unius *Pater* a quibusdam habetur sufficiens ad invalidandum sacramentum. S. Ligorius *Num. 9;* Tanqu. *Num. 32.*

venda sunt; tum ex religione ob reverentiam erga sacramentum et ipsum Christum, tum ex justitia aut caritate erga suscipientem [4].

II. Si ex parte subjecti habeatur necessitas recipiendi sacramentum, simul vero impossibile sit sacramentum certe validum conficere, minister potest et debet conficere sacramentum dubie validum, ipsius majorem certitudinem pro viribus curando. Ratio est, quia finis a Christo intentus in sacramentis instituendis est bonum spirituale hominum.

III. Si de valore sacramenti collati dubium prudens habeatur, ac interim possibile sit sacramentum certe validum conficere, id præstare tenetur minister, quoties sacramentum conferri necesse erat ex justitia, aut ex caritate, aut ex religione: idem præstare potest, si sacramentum conferri, utile quidem erat, at non necessarium.

19. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª In sacramento conficiendo, si præsto sit materia duplex, una certe valida, altera valida probabiliter, minister *sub gravi* tenetur uti priore. Ita dicatur de aqua pura præ aqua lacti commixta in Baptismo, de oleo infirmorum præ chrismate in Extrema Unctione, etc.

2.ª Graviter peccaret Episcopus, qui in ordinatione sacerdotali non curaret calicem et hostiam aut patenam physice tangi ab ordinando: ratio est, quia hujusmodi tactus physicus probabiliter spectat ad validitatem ipsius ordinationis.

20. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si, infante vita periclitante, non habeatur nisi aqua lacti commixta, cum ea Baptismus est conferendus: item, si unica habeatur persona, hæc vero dubitet num modum baptizandi et verba baptismalia recte sciat, ea tenetur infantem baptizare certiori modo, quo potest. Idem dicatur de conferenda infirmo Extrema Unctione, de absolvendo infirmo (quandoque etiam sano) peccata mortalia confesso.

2.ª Si in casu præcedenti duplex aquæ commixtio habeatur, quarum prior probabilius aqua est, quam altera, *sub gravi* utendum est priori; etiam si altera quoque commixtio probabilius sit aqua, quam non aqua.

3.ª Nullus casus datur, quo liceat Eucharistiam in materia dubia vel sub dubia forma consecrare: ratio est, quia hoc sacramentum cetera antecellit perfectione, et ideo maximam meretur reverentiam; numquam vero habetur ejusdem tanta necessitas, quæ permittat ipsum exponere periculo invaliditatis.

21. *Ex Princ. III.* — 1.ª In dubio licet non gravi de valore Baptismi collati, infantem rebaptizare debet parochus ex justitia; quilibet

4) Patet etiam ex *Prop. I* damnata ab Innocentio XI: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi ».

homo saltem ex caritate. Id valet, non modo si infans vita periclitetur, sed etsi constaret ipsum ad senectam perventurum esse.

2.ª Quoties dubium prudens habeatur, num quis valide ordinatus fuerit sacerdos, gravissima obligatione tenentur et ipse et Episcopus, imo et quicumque dubii particeps sit, curare ut sacra ordinatio iteretur: id enim postulat religio et bonum publicum fidelium.

3.ª Si sacerdos ex quocumque titulo dubitat, num valide collata fuerit Extrema Unctio infirmo moribundo, eam ex justitia (vel ex caritate, si non habet officium) iterare omnino debet in casu, quo infirmus nonnisi sacramentum illud et absolutionem conditionatam accipere potuit. Eam iterare potest, imo ex aliquali obligatione tenetur, aut certe laudabiliter iterabit, si infirmus et rite confiteri potuit et sacro viatico muniri.

4.ª Si confessarius cum fundamento dubitet, num valide absolverit pœnitentem reum peccati mortalis, ipsum iterum absolvere debet ex justitia; si dubitet circa pœnitentem reum peccatorum venialium, iterum quandoque absolvere poterit, at non tenebitur.

5.ª Iteratio sacramenti vel repetitio formæ sacramentalis, quando de valore præcedentis dubium vere prudens non habetur, *per se* est peccatum mortale contra religionem propter irreverentiam in sacramentum et Christum. Dicimus: *per se;* quia practice id proprium est scrupulosorum, qui generatim certe a peccato mortali, quandoque et a veniali, eximuntur propter mentis imbecillitatem aut anxietatem.

CAPUT IV.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM

22. *Minister* sacramentorum dicitur « ille, qui nomine Christi ritum sacramentalem perficit ». Distinguitur duplex: Alius est *ordinarius;* qui, nempe, vi muneris accepti sacramentum conficit: porro, si Matrimonium excipias, ministri ordinarii sacramentorum sunt sacerdotes. Alius est *extraordinarius;* qui sacramentum ministrat propter aliquam necessitatem, vel propter peculiare privilegium. Sic Baptismi minister ordinarius est sacerdos; minister extraordinarius potest esse quilibet homo capax actus humani: Pœnitentiæ minister ordinarius est Episcopus vel parochus: minister extraordinarius est quilibet sacerdos ab Episcopo *delegatus.* Inter ministros ordinarios, alius dicitur *legitimus,* cui nempe munus conferendi illud sacramentum competit ex jure proprio: alius est *non legitimus,* cui facultas ministrandi sacramentum datur a ministro legitimo; quo non concedente, sacramentum valide quidem conficeret, at non licite. Ita quoad Baptismum, minister legitimus parochus est; non legitimus, at simul ordinarius, quilibet sacerdos.

Agemus: *a*) De requisitis in ministro ad validam sacramentorum confectionem; *b*) de requisitis ad confectionem vel administrationem licitam; *c*) de obligatione ministrandi sacramenta; *d*) de obligatione denegandi.

ART. I. — De requisitis ad confectionem validam

23. Supponimus modo idoneitatem subjectivam ministri, de qua agendum est, ubi de singulis sacramentis. Circa requisita in actu conficiendi vel ministrandi sacramentum hæc statuimus:

Principia. I. Ad validam sacramentorum confectionem duo requiruntur: *a*) Attentio mentis, quæ sufficiens sit ad ponenda elementa ritus sacramentalis essentialia, et quidem actu humano; *b*) intentio saltem virtualis et implicita faciendi sacramentum; quæ intentio *c*) determinata sit, tum quoad materiam, tum quoad subjectum.

II. Ad validam sacramentorum confectionem, in ministro nec fides requiritur, nec status gratiæ.

24. **Expositio.** *Princ. I.* — Attentio est « applicatio mentis ad ea quæ fiunt ». Quare in re nostra, attentio est applicatio mentis ad ponendam debitam materiam, ad proferendam debitam formam, ad habendam inter eas unionem moralem requisitam. Sicut ergo ad validitatem sacramenti necesse est hæc tria verificari, ita necesse est haberi attentionem ad hæc habenda necessariam. Profecto id securius præstat attentio nunc actu exsistens; at idipsum satis certe præstare potest et attentio, quæ posita fuit antecedenter et nunc evanuit: quare positio trium elementorum compossibilis est cum actuali distractione, seu cum defectu actualis attentionis. Ceterum, si quis defectu attentionis unum ex elementis essentialibus omittat, sacramentum non conficit.

Dicimus eam attentionem requiri, qua positio ritus sacramentalis fiat *actus humanus;* nempe, procedens ex vera et seria voluntate faciendi quod Christus fieri voluit. Hæc voluntas dicitur *intentio;* ejusmodi, nempe, volitio, quæ tamquam finem velit confectionem et administrationem sacramenti.

Juxta ea, quæ dicta sunt suo loco, hæc intentio, considerata quoad ipsam voluntatem in actu ponendi ritum sacramentalem, potest esse *actualis, virtualis* (virtute intentionis olim positæ), mere *habitualis.* Patet esse actum humanum positionem ritus sacramentalis, quæ fiat intentione, sive actuali, sive tantum virtuali; minime vero, quæ fiat intentione mere habituali; quippe quæ quoad positionem illius ritus nihil influit [1].

Objectum hujus intentionis debet esse sacramentum conficiendum; hoc autem intendere potest voluntas, non modo explicite, sed etiam implicite, seu quando velit id facere quod Christus fieri voluit; quod facit Ecclesia, quod faciunt christiani, etc. — Hinc dicimus requiri intentionem saltem virtualem et implicitam facienda sacramentum.

1) Quæ dicitur a S. Thoma *P. 3. Qu. 64 art. 8 ad 3* intentio *habitualis* ad valorem sacramenti sufficiens, proprie est *virtualis;* nam *ex ejus virtute* perficitur sacramentum.

25. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Invalida est administratio sacramenti facta ab eo, qui omnia essentialia ritus sacramentalis ponat in ebrietate, somno, amentia, etc.; et hoc, etsi antecedenter sacramentum conficere voluerit.

2.ª Sacerdos, qui in celebrando verba consecrationis proferat mente prorsus distracta, valide consecrat; sive distractio fuerit involuntaria, sive voluntaria. Idem dicatur de parocho in actu baptizandi, de confessario in actu absolvendi.

3.ª Cum in casibus præcedentibus sacerdos, parochus, confessarius, careant intentione actuali, quæ sine actuali attentione impossibilis est, patet absque actuali intentione consistere posse validitatem sacramentorum.

4.ª Sacerdos, qui in celebranda Missa de SS. Sacramento legat ex Epistola S. Pauli ad Corinthios verba consecratoria, hostiam præsentem non consecrat; licet non careat intentione (nunc habituali) eam hostiam per eadem verba consecrandi in Canone.

5.ª Sacerdos, qui, habens super corporale duas hostias, intendat consecrare alterutram, neutram consecrat; item, qui e tribus in nosocomio ægrotis intendat absolvere unum vel duos: at, qui putat hanc pœnitentem esse Titiam, dum est ejusdem soror Caja, valide Cajam absolvit pro Titia.

26. *Ex Princ. II.* — 1.ª Femina infidelis (item medicus incredulus), quæ a christiana nuper enixa rogatur ut prolem editam baptizet, si essentialia servet, baptizat valide: non ita, quæ facere velit quod feminæ christianæ faciunt, simul existimans eas per illud lavacrum medicinam corporalem neonato præbere.

2.ª Si sacerdos apostata aliquem fidelem absolvat, negans quidem mente aut etiam verbis valorem absolutionis, tamen voluntate intendens. id, quod ab ipso vult pœnitens confessus, eum valide absolvit.

3.ª A fortiori valide baptizat, absolvit, consecrat, etc., sacerdos exsistens in peccato mortali.

27. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum ad valorem sacramenti sufficiat in ministro intentio ponendi ritum externum?

Resp. a) Certissime *negative*, si intentio ponendi ritum externum simul excludat intentionem veri sacramenti; hoc autem est de fide. Hac de causa (non unicâ) invalidæ sunt ordinationes anglicanæ, ex quarum ritibus essentialiter aliis et ex historia « palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem imo haberi sacramento adversam et repugnantem » 2. — *b) Negative*, saltem probabilissime, si intentio ponendi ritum externum negative se habeat quoad verum sacramentum; ita ut pro objecto non habeat facere id, quod facit Ecclesia. Hæc sententia fulcitur communi consensu theologorum 3.

2) Leo XIII Const. *Apostolicæ curæ* 13 sept. 1886, apud *Monit. eccles.* IX. P. I. pag. 180. — Cf. Brandi *Le ordinazioni anglicane.*

3) Sententiæ contrariæ « vulnus inflictum fuit » damnatione *Prop. 28* ab Alexandro VIII. Bened. XIV. *De synodo Lib. VII. Cap. IV. Num. 8.*

Qu. 2. Utrum objectum intentum a ministro debeat esse explicite ipsum sacramentum?

Resp. Negative. Satis est quod illud intendat implicite, intendendo facere quod Christus voluit, vel quod facit Ecclesia, aut quod fidelis petit, etc.: in his enim objectis explicite intentis habetur inclusa intentio ipsius sacramenti. Imo, si quis, existimans Ecclesiam romanam non esse veram Ecclesiam Christi, simul tamen intendat facere id, quod facit vera Ecclesia, adhuc valide conficit sacramentum.

Qu. 3. Utrum valeat sacramentum collatum cum intentione conditionata?

Resp. a) Affirmative, si conditio sit de præterito vel de præsenti, et hæc vere impleta sit, cum ponitur ritus sacramentalis. Ratio est, quia in hac hypothesi intentio transit in absolutam; quod si conditio non sit impleta, jam ipsa intentio cessat. Ita, si impleta est conditio, valet absolutio sub conditione « si vivis,... si es baptizatus », vel « si doles ». — *b) Negative* vero, si conditio sit de futuro, sive hæc sit contingens, sive sit necessaria, at adjiciatur animo suspendendi efficaciam ritus sacramentalis. Ita nulla est absolutio sub conditione « si per hebdomadam non peccabis », vel « si cras sol orietur ». Excipitur Matrimonium, de quo suo in loco. — *c)* Quod si apponatur conditio præsens quidem, at humano modo incognoscibilis, ex diversa theologorum opinione sacramentum dubium est 4; quare numquam sub his conditionibus conferendum est; quod si collatum fuerit, iterandum erit. Ita, si femina privatim infantem baptizet, sub ea conditione: « si Deus novit, quod non poteris ed ecclesiam vivus deferri ».

Qu. 4. Quid, si minister duas habeat intentiones contrarias?

Resp. Quæstio theoretice facilis, difficilis practice. E duabus intentionibus illa habenda est ut efficax, quæ attentis omnibus circumstantiis, habetur ut prædominans: juxta hanc sacramentum fit, vel non fit, Sit casus: Confessarius jam mente statuerat Liviam habituatam et facile recidivam proxima vice non absolvere relapsam, etsi dispositam inveniret: accessit illa, confessa est, et quidem relapsa erat; confessarius, non advertens eam pœnitentem esse Liviam, absolvit et dimisit. Num absolvit valide? Affirmandum esse videtur. Non enim voluisset Liviam dispositam dimittere inabsolutam, quin saltem eamdem de non data absolutione moneret; maneret enim inscia in statu peccati, et forte etiam tempore diuturno; et, si in eo statu ad sacram Synaxim accedat, materialem irreverentiam in SS. Eucharistiam committet; et, si in eo statu decedat, non salvatur. Præ his incommodis, prædominans debuit esse in confessario intentio absolvendi. — At est evidens?

ART. II. — De requisitis ad confectionem licitam

28. **Principia.1.** Ut minister sacramentum licite conficiat, requiritur in eo *sub gravi* status gratiæ, saltem probabiliter exis-

4) Cf. S. Ligorium *Num. 26;* Palm. apud Ball. *27;* Gen. *113.*

timatus; dummodo minister sit ad illud sacramentum consecratus, et sacramentum conficiat ex officio ac solemniter. Hujusmodi enim ministri « impure et indigne sacramenta ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt » [5]. Requiritur quoque immunitas a censura, quæ, et prout, sacramentorum ministrationem prohibeat.

11. Idem minister tenetur *a*) sacramentum conficere cum attentione mentis, diligentia et reverentia dignitati ipsius sacramenti respondente; *b*) servare debet ritus et cæremonias præscriptas ab Ecclesia [6]. Utraque obligatio est ex religione, et proinde *per se* gravis.

29. **Expositio.** *Princ. I.* — Minister, qui sit ad sacramentum conficiendum consecratus, nempe (quoad Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem) sacerdos, quoties sacramentum conficit ex officio ac solemniter, personam ipsius Christi gerit ac repræsentat; ideoque injuriam ipsi Christo irrogat, et quidem gravem, si eam repræsentationem gerat in mortali [7]. Accedit quod ipsum sacramentum res sacra est, cujus violatio per confectionem in peccato mortali verum est sacrilegium: at hujus sacrilegii malitia ex hoc capite non ab omnibus habetur tamquam gravis. — Dicimus statum gratiæ requiri saltem *probabiliter existimatum;* eo quod status gratiæ non requiritur ad validitatem sacramenti, sed ad ejus liceitatem in conficiendo. Hinc pro ministro exsistente in peccato mortali sufficit contritio existimata.

30. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Certe peccat graviter sacerdos, qui in statu peccati mortalis celebret, aut pœnitentem absolvat, aut infantem solemniter baptizet, aut Extremam Unctionem cum omnibus suis cæremoniis infirmo ministret: at confessarius, qui pœnitentem non absolvat, sacramentum non conficit; item nec parochus adsistens Matrimonio.

2.ª Sacerdos, quodcumque ex his sacramentis confecturus, tenetur antea *sub gravi* sese justificare per confessionem, aut per actum caritatis vel contritionis perfectæ: at, si Missam celebraturus sit, justificare se debet per sacramentalem confessionem; non quia confecturus, sed quia sumpturus est Eucharistiam.

3.ª Juxta S. Alphonsum, sacerdotes curam animarum habentes tenentur esse habitualiter in statu gratiæ, ne sese exponant periculo ministrandi sacramenta indigne [8].

4.ª Laicus, sive vir, sive femina, qui ex necessitate baptizare de-

5) Ita RITUALE ROM. *Tit. I. Caput unic. Num. 4* (Edit. typica a. 1925).
6) CODEX *Can. 731 § 1, 733 § 1.*
7) Hæc est ratio S. THOMÆ *P. 3. Qu. 64 art. 6,* et locis infra citandis.
8) S. LIGORIUS *Num. 33;* cui adhærent D'ANN. *248, 6,* et alii.

beat infantem, non tenetur seipsum antea justificare, nec baptizans in statu peccati nullatenus peccat. Secus, quis ex his baptizaret ?

5.ª Sacerdos in statu peccati mortalis ministrans Eucharistiam non videtur peccare mortaliter, eo quod Christum non repræsentat. At certe saltem venialiter peccat propter irreverentiam erga SS. Sacramentum : item plus minus peccat SS. Eucharistiam immediate vel mediate tangendo, exponendo transferendo, etc.

31. *Ex Princ. II.* — 1.ª Sacerdos, qui Baptismum vel Extremam Unctionem ministret, aut Missæ sacrificium celebret cum distractione mentis voluntaria, cum levitate ac præcipitatione, dato etiam quod nihil ex essentialibus et ex accessoriis omittat, peccat peccato *per se* gravi contra religionem : tamen hujusmodi peccatum facile erit veniale ex materiæ parvitate, aut ex defectu perfectæ advertentiæ et consensus. At peccato irreverentiæ accedere potest peccatum scandali, quod, iterum *per se*, grave est.

2.ª Tenetur sacerdos cognoscere quæ ad rectam sacramentorum administrationem pertinent ; nempe ritus, cæremonias, verba : quod si verba plura recitanda sunt, suæ memoriæ non facile confidens, omnia legat ex libro.

3.ª Idem in sacramentorum administratione longissime cavere debet « ab omni simoniæ atque avaritiæ suspicione, nedum crimine » 9.

32. **Quæstiones.** *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum graviter peccet sacerdos (seu minister consecratus), si in mortali sacramentum ministret, at non solemniter ?

Resp. Quæstio proprie reducitur ad Baptismum, quem sacerdos quandoque in articulo necessitatis ministrare debet privatim. Itaque respondent satis communiter theologi : *negative*. Ratio affertur, quod in eo casu sacerdos agit, non ut consecratus seu ex officio, sed ut laicus ex caritate erga proximum indigentem 10.

Patet hanc solutionem extendi non posse ad casum, quo sacerdos in mortali ministret sacramentum Pœnitentiæ, aut Etremæ Unctionis ; quippe quæ semper ministrantur solemniter. Tamen quidam dicunt in hisce quoque sacramentis ministrandis dari posse causam excusantem ab eliciendo actu caritatis vel contritionis : nempe defectum temporis ad hunc actum necessariis ; at hypothesis difficilis ; nam, si vult, « in instanti homo a divina gratia emendatur » 11.

Qu. 2. Quot peccata committat sacerdos, qui in mortali plures pœnitentes absolvat, aut pluribus Eucharistiam ministret ?

Resp. Probabiliter in absolvendo tot peccata committit, quod vicibus in tribunali pœnitentiæ sedet, vel actu distincto intentionem renovat audiendi et absolvendi pœnitentes ; non quot pœnitentes absolvit. Item

9) Rituale *Tit. I. Num. 13.* — Cf. et Codex *Can. 736;* Tanqu. *Num. 67,* Nota *1.*

10) Cf. S. Thomam *IV. Dist. V. Qu. 2 art. 2 qu. 4,* et *Dist. XXIV. Qu. 1. art. 3 qu. 1. 5,* et *P. 3. Qu. 64 art. 6.* — Fuse Ball. *Num. 32-40.*

11) S. Thomas *loc. cit.* ex *Dist. XXIV. qu. 5 ad 3.*

in distribuenda Eucharistia toties peccat (de gravitate modo non quærimus), quoties hanc functionem peragit, non quot sunt fideles communicantes. Tot enim sunt peccata quot sunt actiones morales, seu quot sunt objecta totalia quoad ipsum agentem. Idem dicendum de Episcopo confirmante.

Quidam eamdem solutionem applicandam esse volunt sacerdoti pluries successive baptizanti, vel pluribus infirmis in nosocomio Extremam Unctionem ministranti [12]: quod nobis perdifficile est.

33. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Utrum in confectione et administratione sacramentorum præceptivus sit usus Ritualis Romani?

Resp. Affirmative, quoad Ecclesias in quas ejusdem usus legitime introductus fuerit. In hisce Ecclesiis adeo præceptivus est, ut deinceps nemo possit illæsâ conscientiâ ejusdem Ritualis regulas præceptivas infringere aut omittere, etsi Episcopus aliter quidpiam permiserit aut statuerit [13].

Qu. 2. Utrum sacerdos, sacramenta ministrans, teneatur servare omnes et singulas rubricas Ritualis?

Resp. Tenetur sacramenta ministrare secundum normas Ritualis. Porro in ipso Rituali dantur rubricæ plures expresse præcipientes ritus sub vera obligatione servandos; quos proinde peccatum est, nedum contemnere, sed et omittere aut in novos mutare. Simul vero dantur et rubricæ, quæ ad rectam sacramentorum administrationem sacerdotem dirigunt aut instruunt, quin eumdem stricte obligent sub peccato. Priores rubricæ dicuntur *præceptivæ;* posteriores *directivæ*. Itaque utrasque ad apicem servare optimum est: non servare priores, peccatum est, et quidem *per se* grave, at facile ex parvitate materiæ vel ex inadvertentia veniale: quoad posteriores, peccatum quidem est eas contemnere, minime vero easdem ad apicem non servare.

Porro rubricam aliquam esse præceptivam vel directivam, dignosci potest: *a*) Ex forma rubricæ, quæ modo præceptivis verbis exprimitur, modo verbis facultativis tantum: *b*) ex materia; quæ esse potest essentialis, aut saltem spectare ad integritatem ritus, aut ad debitam reverentiam; vel secus: *c*) ex declaratione S. R. Congregationis, quæ non raro edixit alicujus rubricæ obligationem non urgere; *d*) ex interpretationibus probatorum auctorum [14].

Inter requisita ad debitam sacramentis reverentiam generatim habetur usus sacrarum vestium.

ART. III. — De obligatione ministrandi sacramenta

34. **Principia. 1.** Parochi, ceterique sacerdotes cu-

12) Cf. D'Annibale *Num. 234, 13;* Gen. *115 NB.;* Zanin. *1916 IV.*

13) Ita S. R. Congr. 10 jan. a. 1852. — Cf. Pighi-Ferrais *Liturgia sacerd. P. III. Num. 414, sequ.*, et nostrum *Dell'autorità del Rituale Rom. Qu. I.*

14) Barin *Commentarium liturgicum ad Canones C. J. C. de Sacramentis et de Sacramentalibus* (Rhodigii 1922).

ram animarum habentes, tenentur obligatione *per se* gravi ministrare sacramenta fidelibus suæ curæ commissis, non modo quando hi versantur in necessitate accipiendi sacramenta, sed etiam quoties ea rationabiliter petunt : ad utrumque enim sese obligarunt quasi-contractu inito in ea cura suscipienda.

II. Sacerdotes curam animarum non habentes tenentur ministrare proximo sacramenta ex caritate, quoties hic est in necessitate accipiendi, ipsi vero ministrare possunt absque incommodo relative gravi.

35. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Sacerdotes curam animarum habentes tenentur ex justitia ministrare sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis infirmis vita periclitantibus; hoc vero, etiamsi certo scirent eos esse in statu gratiæ.

2.ª Iidem ex justitia tenentur ministrare sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ fidelibus ad ea accedentibus tempore paschali; imo tenentur et eorum fidelium confessionem excipere, qui confiteri petunt, etiamsi peccato mortali non graventur.

3.ª Iidem ex justitia tenentur confessionem excipere subditi particularis, qui sit in necessitate confitendi, sive ad superandas tentationes, sive ad indulgentiam lucrandam, sive etiam ad eximendum se a statu peccati mortalis.

4.ª Iidem *per se* graviter peccant, si per modum consuetudinis morosos ac difficiliores sese ostendant in sacramentis concedendis; præsertim in audiendis confessionibus ac SS. Eucharistia dispensanda. Inde enim fit, ut fideles quidam grave damnum subeant, alii notabili emolumento spirituali priventur, omnes a sacramentis frequentandis alienentur.

5.ª Hoc peccatum fieri potest veniale ex levitate materiæ; puta, si aliqua vice ex causa insufficienti, aut uni vel alteri fideli extra casum necessitatis, sacramentum non facile concedatur.

6.ª Ab omni peccato immunes sunt sacerdotes animarum curam habentes, si sacramentum confessionis quandoque negent fideli petenti irrationabiliter, puta scrupuloso; imo et si negent Eucharistiam petenti hora incongrua, puta hora undecima, qua parochus quandoque ecclesiâ abesse cogitur.

36. *Ex Princ. II.* — 1.ª Sacerdos simplex, qui suam operam recuset audiendis christifidelium confessionibus tempore paschali, contra justitiam quidem non peccat: at peccare facile potest contra caritatem, si ipse suam operam præstare possit, ac propter sacerdotum penuriam cogantur illi fideles sacram communionem eo tempore omittere; quod maxime timendum est temporibus nostris.

2.ª Certe contra caritatem graviter peccaret sacerdos simplex, qui, audiens prope in via vel in domo adesse quempiam moribundum, præsertim si ex syncope, aut homicidio vel suicidio, ei suam adsistentiam

non exhibeat; aut multo magis, si inde aufugiat: forte a peccato formali excusari poterit propter imbecillitatem.

37. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Quandonam parochus peccet graviter, si se difficilem ostendat in conferendis sacramentis extra periculum mortis ac tempus paschale?

Resp. Difficilis omnino solutio, eo quod difficile sit limites signare *a*) inter petitionem rationabilem et non rationabilem, *b*) inter materiam gravem et non gravem.

Quoad primum: Fideles absque dubio rationabiliter petunt confiteri omnibus diebus solemnioribus; diebus specialis devotionis, puta erga sacratissimum Cor Jesu, vel Virginem, aut Sanctos in regione specialiter veneratos; diebus, quibus habetur indulgentia; imo, plus minus, viri saltem quolibet mense, feminæ alternis hebdomadis. Communionem petunt rationabiliter, non modo iisdem diebus, sed et longe pluribus; imo, post monita Pii X, etiam quotidie. At neutrum sacramentum fidelis aliquis peteret rationabiliter horis sibi commodis, parocho rationabiliter incommodis. — Quoad alterum, dicunt materiam gravem in hac re habendam esse eam parochi difficultatem ac morositatem, ex qua sequatur notabilis deminutio frequentiæ sacramentorum inter parochianos; præsertim, si jampridem sacramenta frequentare consueverant [15]. Ceterum in materia etiam gravi quandoque parochus subjective a reatu peccati mortalis excusabitur propter levitatem aut inconsiderationem.

Itaque parochi aliique sacerdotes curam animarum habentes (imo et non habentes), potiusquam sophisticentur circa extensionem et gravitatem obligationis suæ, meminerint illud Ritualis Romani « se omni fere temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratos esse oportere ».

Qu. 2. Quandonam parochus (vel sacerdos quilibet habens curam animarum) graviter peccet non ministrando sacramenta suis parochianis in periculo mortis exsistentibus?

Resp. Spectanda est extensio, tum obligationis ex justitia a parocho assumptæ in cura suscipienda, tum juris, quod inde acquisitum fuit parochianis.

1.° Loquendo de conditionibus ordinariis, sub ea obligatione (et jure) continetur collatio omnium sacramentorum, quæ parochiani communiter pro eo periculo maxime cupiunt et exigunt, etiam quando non sint absolute necessaria; hæc sunt Baptismum (pro suis infantibus), Pœnitentia, Extrema Unctio, SS. Eucharistia. Hinc censemus graviter peccare parochum, qui negligentiâ suâ voluntariâ causa sit, qua unus parochianus absque hisce sacramentis decedat; quod verum esse putamus etiam quoad Eucharistiam, præsertim si infirmus eam postulaverit, aut certe desiderasse interpretative censeatur. — Ceterum alibi monuimus haud facile esse judicium ferre de gravitate subjectiva alicujus pec-

15) VERMEERSCH III. *Num. 190.*

cati, quando voluntarium est in causa, et hæc est negligentia aut incuria.

2.° Si agatur de casu singulari, quo parochus ministrare non posset sacramenta infirmo moribundo, quin ipse suam vitam periculo exponat, puta, quia ille peste aut variola laborat, obligatio assumpta a parocho ex justitia (et jus parochianorum) videtur extendi ad sola sacramenta absolute necessaria; quæ sunt Baptismus, Pœnitentia, et Extrema Unctio, quando infirmus confiteri non possit. Certe ad hæc sacramenta ministranda, etiam cum periculo suæ vitæ, sese obligavit; et quidem, non modo pro casu extremæ necessitatis infirmi, qui secus esset in proximo periculo damnationis æternæ, sed et pro casu necessitatis gravis ejusdem, cujus salus æterna ex circumstantiis difficilis redderetur [16]. Non videtur vero sese obligasse ad ministrandam sub tanto discrimine Eucharistiam, aut etiam Extremam Unctionem infirmo confesso et absoluto; cum hæc sacramenta non sint ei absolute necessaria ad vitam æternam [17]. Nec videtur absolute teneri ad priora sacramenta cum tanto sui periculo ministranda, quando probabile sit infirmum esse in statu gratiæ, aut sibi posse facile subvenire per actum contritionis; imo nec tenetur collationem sacramentorum sub eodem periculo tentare, quando spes non habeatur prosperi successus; puta, si probabiliter ipse perire debeat antequam ad infantem in flammis baptizandum perveniat, aut si pro certo habeat se ab infirmo adulto irreligioso repellendum fore [18]. Hæc dicuntur spectato stricto jure; ceterum « bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ».

38. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum ad hoc, ut sacerdos simplex teneatur alicujus fidelis confessionem excipere ex caritate, sufficiat istius necessitas sese liberandi a peccato mortali?

Resp. Affirmandum esse videretur, quando, nisi sacerdos illum audiat et absolvat, hic sese non posset infra breve tempus justificare per confessionem apud alium confessarium aut per contritionem: gravissimum est homini malum quod invitus maneat in peccato mortali etiam per unum diem [19]. Ceterum sacerdos in eo casu tenetur ex sola caritate, ac proinde non cum incommodo gravissimo.

Qu. 2. Utrum sacerdos simplex teneatur cum periculo vitæ propriæ ministrare infirmo sacramenta ad vitam æternam necessaria?

Resp. Affirmative; dummodo infirmus ille sit in necessitate spirituali vere extrema, et alium non habeat, a quo ab eadem sublevetur, et insuper spes moraliter certa habeatur efficaciter juvandi.

ART. IV. — De obligatione denegandi sacramenta

39. **Principia. 1.** Minister debet esse mysteriorum

16) S. Ligorius *II. Num. 27.* Quænam sit necessitas *gravis*. D'Ann. *166.*
17) S. Ligorius *Lib. V. Num. 233;* Gury *25 Qu. 2.*
18) Berardi *De parocho Num. 339-241;* Gury *26.*
19) S. Ligorius *Lib. VI. Num. 490.* — Cf. Ball. ad Gury *433, 23.*

Christi « dispensator fidelis » ; ideoque *sub gravi* prohibetur suum ministerium exhibere subjecto suscepturo sacramentum indigne.

II. Minister, sacramentum concedens subjecto suscipienti indigne, immunis est a peccato dispensationis infidelis, non modo si eam indignitatem invincibiliter ignoret, sed etiam quoties denegatio sacramenti gravissima damna allatura esset, sive subjecto, sive ipsi ministro, sive aliis.

III. Numquam licet sacramentum conferre illi, qui ipsum petat in contemptum religionis et odium fidei catholicæ.

40. **Expositio.** *Principiorum.* — 1.° Quod quis suscipiat sacramentum indigne, hoc est intrinsece et per se malum malitiâ sacrilegii realis, et proinde grave peccatum contra religionem; cui peccato accedere quandoque potest peccatum grave contra caritatem ratione scandali aliorum. Propter hanc intrinsecam malitiam susceptionis indignæ, et propter hanc tantummodo, fit mala sacramenti ministratio; nempe fit mala extrinsece malitiâ cooperationis proximæ et necessariæ ad sacrilegium susceptionis indignæ. Quod canes manducent sanctum, hoc est intrinsece malum; inde malum est quod sanctum canibus præbeant ministri, quibus dictum est a Christo: « Nolite sanctum dare canibus » [20].

2.° Consequenter immunis est a peccato minister, non modo, quando suscipientis indignitatem inculpabiliter ignoret, sed etiam quando, ejusdem indignitatis conscius, sacramentum ministret indigno propter gravissima damna, quæ ex denegatione sequerentur. Tantum necesse est, ut hæc sint proportionata profanationi objectivæ sacramenti et scandalo inde forte secuturo penes alios: nempe, sint adeo gravia, ut, juxta dicta de voluntario indirecto, permittant positionem causæ in se bonæ, ex qua effectus adeo funesti secuturi esse prævidentur. Generatim ea sacramenti concessio licita esse habetur ad sequentia damna vitanda: *a*) Ne publica fiat indignitas hucusque occulta petentis; *b*) ne sigillum sacramentale violetur; *c*) ne ceteri fideles a sacramentis petendis amoveantur; *d*) ne ipse minister periculo gravissimorum malorum objiciatur [21].

3.° Verum, si sacramentum petatur in contemptum, ad ipsum formaliter profanandum, et per ejus profanationem suum odium significandum in religionem et fidem catholicam, sacramentum omnino negandum est; quidquid secus incommodi sequuturum sit. Ratio est, quia nec infamia petentis, nec offensio fidelium, nec damnum quodcumque ministri compensare potest profanationem formalem sacramenti [22]: hoc in primis tenendum, si agatur de SS. Eucharistia.

20) Communiter S. Scripturæ interpretes censent Christum SS. Eucharistiam Judæ proditori dedisse: contra putat KNABENBAUER *Super Matth. XXVI.* — Ceterum hanc esse unicam hujus ministrationis malitiam, admittunt omnes theologi.

21) Cf. NOLDIN *Num. 36, 3;* VERM. *191-195.*

22) Cf. DE LUGO *De Sacram. in gen. Disp. VIII. Num. 179.* — At obligatio sigilli sacramentalis nullam patitur umquam exceptionem.

41. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Vetitum est sacramenta Ecclesiæ ministrare hæreticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus rejectis, Ecclesiæ reconciliati fuerint » 23.

2.ª Quotiescumque aut nulla aut non gravis habeatur ratio recedendi a regula generali, semper graviter illicitum est conferre sacramentum subjecto indigno. — Hinc:

3.ª Graviter peccat confessarius absolutionem impertiens pœnitenti, quem judicat esse indispositum; puta, ad ejus gratiam captandam, aut ne ab eo nimis austerus habeatur, etc.

4.ª Si Eucharistiam, nemine præsente, exigat a parocho vir, quem ille privatim, sed certissime novit esse atheum, aut massonem, aut concubinarium, parochus eam concedere non debet, et concedens gravissime peccaret.

5.ª Item Eucharistiam parochus denegare debet illi, qui eam petit publice, tamen publice et ab omnibus ut certe atheus, aut francomurarius, aut concubinarius cognoscitur.

42. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si communionem publice petat quispiam, quem parochus certe novit esse atheum, massonem aut concubinarium, sacramentum concedere debet, quotiescumque ceteri parochiani de hac ejusdem indignitate vel parum sciunt, aut tantummodo dubitant. Secus enim iste infamaretur, et fideles, timentes ne forte propter crimen occultum aut sibi ab adversariis affictum, aliquid simile sibi contingat, a sacramentis recipiendis arcerentur.

2.ª Si Eucharistiam petat a parocho aliquis, quem ipse indignum esse novit unice ex negata eidem, utpote indisposito, absolutione, parochus Eucharistiam illi concedere debet, et gravissime *per se* peccat eam denegando; et hoc, etsi nemo præsens adsit.

3.ª Episcopus in nulla hypothesi ad sacros Ordines admittere potest clericum occulte vel publice Ordines petentem, quem ipse certe novit a Deo vocatum non esse. Ratio est, quia numquam possunt esse adeo gravia mala ex negatione Ordinum timenda, quæ sacramenti profanationem et publica damna futura compensare valeant 24.

4.ª Tamen Episcopus quandoque conferre poterit Ordines clerico publice petenti, quem ipse a Deo vocatum esse judicat, nunc vero novit esse peccato mortali inquinatum.

5.ª Qui grave scandalum publicum removere aut reparare tenetur, habendus est a parocho tamquam publice indignus, etsi forte ille per sacramentalem confessionem modo justificatus sit: hinc, quousque ille scandalum non removerit aut non reparaverit, ei debet Eucharistiam denegare, sive occulte eam petat, sive etiam publice 25.

23) Codex *Can. 731 § 2.* — Cohæret Rituale Rom. *Tit. I. Cap. un. Num. 14.*

24) Cf. Concilium Trid. *Sess. XXIII. De ref. Cap. 5, 6;* S. Thomam *Suppl. Qu. 36 art. 4;* Bened. XIV. *De synodo diœc. XI. Cap. II. 16.*

25) D'Annibale *Num. 363;* Lehmk. *Casus 33-36.*

43. *Ex Princ. III.* — 1.° Si ad communionem accedat femina, de qua parochus occulte, at certissime, novit quod sacram Particulam allatura est in aliquem massonum cœtum profanandam, eidem communionem omnino denegare debet. Nulla est enim proportio inter famam hujuscemodi feminæ et adeo sacrilegam SS. Eucharistiæ profanationem 26.

2.° Si quis impius in contemptum religionis exigeret a parocho suam prolem baptizari cum materia dubia, puta cum tenui cerevisia, parochus annuere omnino non debet. Quod si periculum sit prolem forte numquam baptizandam fore, baptizabit quidem cum ea materia, simul protestans se id præstare tantum intuitu salutis æternæ infantis.

44. **Quæstiones.** *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Quomodo se gerere debet minister, qui circa dignitatem petentis dubius sit?

Resp. Juxta normas generales, debet dubium pro viribus solvere; præsertim quoad Baptismum, Pœnitentiam et Ordinem; circa quæ sacramenta ad officium ministri pertinet explorare, num qui sacramentum petit dignus sit 27. Si facta exploratione, nihil dignoscere possit, sacramentum concedere debet, ubi dubium versatur circa solam liceitatem susceptionis ex parte subjecti petentis: si dubium versetur circa validitatem, sacramentum concedet *sub conditione*, quando habeatur necessitas; de qua re dicemus agentes de singulis sacramentis. Quoad alia sacramenta, minister generatim præsumet ea a subjecto suscipi et licite et valide.

45. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quid agendum, si crimen aut mala vita petentis nonnullis tantum civibus innotescat, aut si civibus loci propinqui, aut si petitioni sacramenti pauci adsint criminis aut malæ vitæ alterius prorsus inscii?

Resp. Videndum quantâ famâ adhuc ea persona gaudeat, quamque famæ jacturam ex negato sibi sacramento subire cogatur. Si ex his elementis comparatis patet jacturam famæ ex negato sacramento futuram esse gravem, profecto hoc negari non debet; si patet jacturam futuram esse levem, sive quia crimen publicum est, licet ab una vel altera persona ignoretur, sive quia unus vel alter vir probus et prudens, qui præsens est, cognitum ex negato sacramento crimen nemini revelabit, sacramentum videtur esse negandum. In primo casu proportio habetur: non habetur in altero. Ceterum in dubio de minori vel majori famæ detrimento sacerdos inclinabit in sacramentum concedendum, potiusquam negandum. Imo quidam theologi dicunt tunc tantum esse neganda sacramenta petentibus, cum ex denegatione nullum prorsus illi patiuntur famæ detrimentum; inde concludunt rarissimum esse casum, quo sint neganda 28.

26) Ratio ex S. THOMA *Qu. 80 art. 5 ad 3.*

27) S. LIGORIUS *Num. 43.* Ceterum, ut numquam quis præsumitur peccasse, ita, ubi peccasse constat, generatim non præsumitur pœnituisse.

28) Cf. BERARDI *Num. 4086-4090;* FRASS. II. *Dissert. IX.*

Qu. 2. Quid agendum parocho, si, qui sacramentum petit, teneatur quidem scandalum reparare, at non possit ?

Resp. Curandum ut scandalum reparetur saltem ex parte, si ex parte reparari possit. Prout vero reparari omnino non possit, cum ad impossibilia nemo teneatur, non sunt neganda sacramenta ei, qui id tantum omittit, quod omnino præstare non potest. In eo casu ipsa susceptio sacramentorum erit quædam reparatio indirecta, qua majorem nec parochiani, nec parochus exigere possunt. Casus possunt esse plures : *a*) Femina jamdium actu mere civili conjuncta viro, qui rem cum Ecclesia componere renuit, si a S. Sede impetraverit sanationem *in radice*, eo quod inde scandalum non reparatur, non videtur esse a sacramentis Ecclesiæ rejicienda [29]. — *b*) Neque sunt deneganda sacramenta viro, qui, cum sub nomine ancillæ penes se haberet concubinam publice hoc titulo notam, nunc graviter infirmus eam domo expellere nititur, at non valet. — *c*) Qui hucusque publice incredulus et catholicæ religionis osor fuit, si graviter infirmans sacerdotem accersat, sufficienter per hoc scandala reparavit ; ac proinde potest, nedum absolutionem, sed et Viaticum et Extremam Unctionem accipere. — *d*) Non est deneganda communio paschalis viro, quem omnes hucusque noverunt bibulum, blasphemum, legum Ecclesiæ violatorem, etc. : hæc scandala sufficienter reparasse videtur, non modo, si, ceteris in sacrario præsentibus, confessarium adeat, sed etiam, si ad septa presbyterii genuflexus accedat ; censendus est enim alibi confessus esse.

Qu. 3. Utrum metus mortis sit ratio sufficiens conferendi sacramentum indigno ?

Resp. Duplex habetur auctorum sententia ; quin et ipse S. Alphonsus, dum prius sententiæ affirmanti adhæserat, posterius amplexus est negantem [30].

Itaque conveniunt quidem omnes denegandum esse sacramentum, si petatur in contemptum religionis et in odium fidei. Item conveniunt licere sacramenti dissimulationem materialem ; at, si hæc fieri nequeat absque periculo vel scandalo, admitti debet saltem tamquam certe probabilis sententia, quæ affirmat in eo casu licitam esse sacramenti collationem. Sane conferre sacramentum indignis non est malum in se, sed tantum propter malum effectum ; ex altera parte, si ratio sufficiens non denegandi sacramentum indigno est, ut hujus fama salvetur, sufficiet et altera, ut minister suam vitam conservet [31]. At hæc dicuntur spectato stricto jure ; nam certe « ædificationi esset populo minister, qui ad reverentiam sacramento servandam periculo mortis se exponeret » [32].

29) Cf. GENNARI *Cons. mor. CXXIV.* — Simul cf. BERARDI *De occasion. Num. 182.*

30) S. LIGORIUS *Num. 49;* cui adhæret LEHMK. *Num. 43.*

31) D'ANNIBALE *Num. 264;* PALM. apud BALL. *57;* NOLDIN *36, 3 b;* GÉN. *122.*

32) GURY *Casus Num. 177.* — Cf. S. Jo. CHRYS. *Hom. VI. ad pop. Antioch.*

Qu. 4. Utrum aliquando liceat sacramentum simulare, ne ipsum ministretur indigno ?

Resp. Ad præcavendam omnem confusionem : aliud est sacramentum *simulare proprie*, seu *fingere;* aliud est sacramentum *simulare improprie*, seu, ut plures dicunt, *dissimulare.*

1.° Sacramentum proprie simulat seu *fingit* minister, qui ponit elementa objectiva essentialia, ideoque debitam formam super materiam profert, at excludit intentionem applicandi formam materiæ. Ita fingit sacramentunm pœnitentiæ sacerdos, qui super pœnitentem confessum profert verba absolutionis, simul intendens non absolvere. Hujusmodi simulatio dici posset « mendacium reale, sacrilegum et per se nocivum suscipienti ». Est ergo intrinsece mala, malitiâ per se levi mendacii, et malitiâ semper gravi sacrilegii ; malitia damni quandoque accedere potest gravis vel levis, quia suscipiens se sacramentum accepisse putat ; at hæc quandoque potest abesse. Patet hanc simulationem numquam licere : quod confirmatur ex *Prop. 29* damnata ab Innocentio XI. Hinc ad evitandam communionem sacrilegam non licet umquam porrigere particulam non consecratam : nec ad evitandam sacrilegam celebrationem licet proferre verba consecratoria sine intentione consecrandi ; imo nec licet ritum Missæ peragere, verba consecratoria omittendo ; saltem ex eo quod decipiuntur adstantes et inviti coguntur hostiam non consecratam adorare.

2.° Sacramentum simulat improprie seu dissimulat minister, qui super materiam non profert debitam formam, at a subjecto et a ceteris protulisse facile censetur. Dissimulat sacramentam Pœnitentiæ sacerdos, qui super pœnitentem confessum dicit verba : « ego te non absolvo », vel « Pater noster », etc. ; ita tamen submisse, ut id a pœnitente non advertatur. Hæc dissimulatio dici potest « æquivocatio realis, speciem habens sacramenti ». Ea ergo non habet malitiam, sive mendacii, sive sacrilegii ; unice potest esse mala ex ejus effectu, qui est deceptio subjecti aut aliorum ; ac proinde tunc licita erit, cum habetur ratio sufficiens permittendi hanc deceptionem [33]. Ita ex causa gravi licebit eâ uti cum pœnitente indisposito, vel etiam cum disposito dubie ; item coram persona ad septa presbyterii genuflexa licebit proferre verba : « Corpus Domini nostri » etc., eidem vero sacram Particulam non porrigere. At Baptismum simulare adhibitâ debitâ materiâ sine debita forma, ad postulationem infidelium hoc lavacrum ceu medicinam in morbos ac dæmones exigentium, numquam licet, propter significationem et effectus : Baptismum enim est *protestatio fidei catholicæ* et *janua sacramentorum* [34].

CAPUT V.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM

Nomine subjecti intelligitur is, qui sacramentum suscepturus est.

33) S. Ligorius *Num. 61;* D'Ann. *262;* Noldii *38;* Tanqu. *58;* Ball. *63.*
34) Benedictus XIV Epist. *Postremo mense Num. 21,* die 28 febr. 1747.

Porro de eo duo sunt quærenda: *a*) Quid in eo requiratur ad validam susceptionem sacramentorum. *b*) Quid requiratur ad susceptionem licitam.

ART. I. — De requisitis ad susceptionem validam

46. **Principia. I.** Ad validam susceptionem cujuscumque sacramenti requiritur capacitas habitualis accipiendi effectum ejusdem. Hinc subjectum *a*) quoad omnia sacramenta debet esse homo viator; *b*) quoad omnia, præter Baptismum, debet esse baptizatus; *c*) quoad Ordinem debet esse masculus; *d*) quoad Pœnitentiam et Matrimonium debet esse capax actus humani; *e*) quoad Extremam Unctionem debet esse graviter infirmus et peccator.

II. In infantibus (aut perpetuo amentibus) quoad sacramenta, quorum sunt capaces, nihil requiritur præter capacitatem habitualem.

III. In adultis, usum rationis adeptis, non requiritur fides [1], nec status gratiæ; ut patet ex praxi Ecclesiæ: requiritur intentio saltem habitualis implicita suscipiendi sacramentum, eo quod non convenit adultum recipere donum a Deo, quin velit.

47. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui invalide baptizatus fuit, hic numquam fuit valide absolutus, nec fuit valide ordinatus sacerdos, nec valide Matrimonium contraxit: hinc, iterato Baptismo, hæc quoque sacramenta iteranda sunt, præter Pœnitentiam.

2.ª Si de valore Baptismi dubia oriantur, hic est sub conditione iterandus; simul vero iteranda sacra ordinatio; non iterandæ absolutiones; item nec habendum ut nullum Matrimonium, pro quo Baptismus dubius pro valido habetur.

3.ª Invalida est Extrema Unctio, quæ conferatur homini non infirmo mox capite plectendo, item quæ conferatur infanti moribundo.

48. *Ex Princ. II.* — 1.ª Infantes valide et cum effectu *ex opere operato* accipiunt Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam.

2.ª Iidem valide acciperent Ordinem sacrum, et ejus effectus, nempe gratiam sacramentalem et characterem: non tamen tenerentur obligationibus Ordini sacro adnexis; nisi post adeptam earumdem claram cognitionem eas libere assumere intendant.

49. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens sacramentum, sed ludum aut dolum facere, non esset baptizatus.

1) Quoad Pœnitentiam fides requiritur *per accidens;* nempe ratione actuum, qui sine fide elici non possunt. Quoad Baptismum non requiri actum fidei, est definitum a Conc. Trid. *Sess. VII. Can. 13 De Baptismo.*

2.ª Qui numquam in vita sua, ne implicite quidem, voluit Extremam Unctionem ante mortem suscipere, si, dum ritus sacramentalis super ipsum peragitur, negative se habeat, puta quia delirans est, hic nullatenus suscipit sacramentum.

3.ª Valide baptizatur adultus, qui post postulatum Baptismum in amentiam perfectam inciderit: valide Extrema Unctio confertur infirmo, qui, cum semper optaverit christiane mori, nunc usu sensuum ipsiusque rationis destitutus est.

4.ª Si quis duas videatur habere intentiones contrarias, unam qua habitualiter desiderat sacramentum, alteram qua ipsum actu recusat, sacramentum valet vel non valet, prout illa vel ista prædominatur. Casus potest esse de infirmo christiano et pio, qui nunc videtur recusare Extremam Unctionem, existimans se non adeo morbo gravari: in eo casu habitualis intentio prædominatur actuali.

5.ª Qui in Ecclesia græca schismatica ordinantur presbyteri, sunt veri sacerdotes, licet nonnullos fidei articulos negent.

6.ª Qui coram Ecclesia Matrimonium contrahunt, vere fiunt legitimi conjuges, licet alteruter vel uterque in actu contrahendi fuerit lethali peccato inquinatus.

ART. II. — De requisitis ad susceptionem licitam

50. Ad licitam sacramentorum susceptionem in adultis requiritur saltem ea dispositio, quæ removeat obicem impedientem infusionem gratiæ sanctificantis. Hinc, qui scienter hunc obicem non removet, peccat graviter contra reverentiam debitam sacramento, quod suo effectu contra Christi voluntatem frustratur: acciperet itaque sacramenum illicite et infructuose; et ideo illicite, quia infructuose. Insuper defectus illius dispositionis præter irreverentiam immediatam contra sacramentum, quod est res sacra, contineret etiam mediatam contra ipsum Christum; quæ irreverentia eo gravior est, quo sacratius est sacramentum, et ideo gravior ipsi Christo irrogatur injuria.

51. **Principia. I.** Ad licite suscipienda sacramenta mortuorum requiritur dolor saltem imperfectus de peccatis commissis, sine quo nullum peccatum a nobis commissum remittitur, sive mortale, sive veniale: hinc requiruntur actus saltem impliciti fidei ac spei, sine quibus haberi nequit conversio ad Deum ac dolor.

II. Ad licite recipienda sacramenta vivorum requiritur status gratiæ: hic vero ab adulto peccatore recuperandus est per sacramentalem absolutionem pro suscipiendo sacramento Eucharistiæ; per eamdem vel per contritionem perfectam aut per actum caritatis, pro ceteris.

52. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Adultus, qui nullum peccatum grave admiserit, ad Baptismum valide et fructuose accipiendum non eget dolore. Quod si, habens Baptismi intentionem, careat fide theologica circa necessaria necessitate medii, baptizatur valide, sed informiter.

2.ª Adultus, qui, post commissa peccata mortalia, de his nihil dolens, Baptismum suscipiat, baptizatur quidem valide, at reus manet, tum peccatorum actualium, tum ipsius originalis; ac insuper novum contrahit reatum peccati mortalis, quod est sacrilegium. Quod si bona fide id agat, nullum novum reatum contrahit, valide baptizatur; at gratiam non accipit. Baptismus informis esse dicitur.

3.ª Reus fit gravis sacrilegii, qui absolutionem absque attritione advertenter accipiat; et hoc, nedum si mortalia, sed etiam si venialia tantum confessus, de nullo ex his ullatenus dolet.

53. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui cum conscientia peccati mortalis suscipiant sacramenta Confirmationis, Ordinis aut Matrimonii, valide sacramenta suscipiunt; at non accipiunt gratiam, sive sanctificantem, sive sacramentalem; imo committunt grave sacrilegium. Id multo magis dicendum de suscipiente SS. Eucharistiam.

2.ª Qui aliquod e prædictis sacramentis suscipiant in statu peccati mortalis, at sine conscientia ejusdem, ac de suis peccatis ne imperfecte quidem doleant, hi immunes sunt a formali reatu sacrilegii, at gratiam non recipiunt: in eo casu sacramenta dicuntur esse *informia*.

54. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum liceat sacramentum petere a ministro indigno?

Resp. Minister indignus ille est, qui prævidetur in sacramento ministrando peccaturus esse graviter. Hoc vero contingere potest dupliciter: *a*) Quia cognoscitur esse in peccato mortali, et petitur ab eo sacramentum ministrandum solemniter; *b*) quia est excommunicatus aut suspensus. — Si primum, caritas et religio postulant ut sacramentum non petatur, nisi ex causa gravis necessitatis aut utilitatis, proportionata sacrilegio, quod ab illo committendum prævidetur. — Si alterum; siquidem minister ille est excommunicatus vitandus, vel excommunicatus aut suspensus per sententiam, fideles in solo periculo mortis possunt petere, tum abolutionem sacramentalem, tum, si alii desunt ministri, cetera sacramenta et sacramentalia: ab excommunicato tolerato vel a suspenso absque sententia licite petunt sacramenta ex qualibet justa causa [2]. At, si est quidem excommunicatus toleratus, at simul hæreticus aut schismaticus notorius, non licebit sacramenta ab eo petere, nisi et causa gravissima habeatur, et impossibile sit ea habere a ministro digno; ratio est, quia periculum semper habetur frustrationis sacramenti et scandali [3].

2) Codex *Can. 2261, 2284.* — Cf. *Lib. III. Num. 384, 396.*

3) Cf. S. Inqu. 7 julii 1864; item decretum S. C. Conc. die 23 maji 1874, occasione schismatis in Italia superiori, apud Scav. IV. *App. LXXXI.*

Qu. 2. Utrum peccet ille, qui sacramentum suscipit, quin sit moraliter certus se habere dispositiones requisitas ?

Resp. a) Quantum spectat ad validitatem, debet esse moraliter certus quoad sacramenta Baptismi, Ordinis et Matrimonii; quia, si forte sacramentum suscipiatur invalide, damna spiritualia aut temporalia provenient suscipienti et aliis. Num requiratur certitudo propter ipsam reverentiam sacramentis debitam, et proinde quoad omnia, controvertitur: opinio affirmans, communior et certe gravis, innititur damnationi *Prop. 1* ab Innocentio XI; at certa et communis non est. *b*) *Quantum* ad liceitatem, generatim dispositio probabilis sufficit, ut quis sacramentum suscipiens non peccet 4.

Hæc applicanda sunt et iis, de quibus minister dubitat, num sciant quæ cognoscenda et credenda sunt explicite necessitate medii aut præcepti 5.

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM

55. **Principia. I.** Sacramenta quælibet, si valide et licite suscipiantur, infallibiliter conferunt gratiam sanctificantem ex *ipso opere operato* : Baptismus et Pœnitentia conferunt *per se* gratiam primam; cetera secundam; insuper tum illa, tum ista conferunt gratiam sacramentalem.

II. Sacramenta quælibet, si valide et simul materialiter illicite suscipiantur, quantum est in se, gratiam producunt; at propter obicem in subjecto hanc eidem non conferunt; tunc *informia* esse dicuntur.

III. Sacramenta characteristica, quotiescumque conferantur valide, characterem indelebilem imprimunt in anima, ex quo fiunt initerabilia.

56. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum sacramenta subjectis suscipientibus licite, at inæqualiter dispositis, conferant gratiam æqualem ?

Resp. Negative; sed pro majori vel minori dispositione conferunt majorem vel minorem gratiæ mensuram. Sane Tridentinum Concilium de justificatione generalissime accepta, sive sit *ex opere operantis,* sive sit *ex opere operato,* docet nos justitiam recipere « unusquisque secundum mensuram; quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum

4) S. Ligorius *Lib. I. Num. 51.* — De suscipienda Eucharistia dicimus *Num. 143.*

5) Cf. D'Annibale *Num. 262.*

propriam uniuscujusque dispositionem et cooperationem » [1]. Quapropter efficacia sacramentorum *ex opere operato* excludit in subjecto actus, qui de condigno vel de congruo gratiam mereantur; dispositiones vero non excludit, sed imo præexigit et supponit, juxta quas mensura gratiæ definitur. Ita causa nutriens est cibus; nutritio tamen respondet dispositionibus corporis nutriendi. — Inde monitum practicum pro suscipientibus.

Qu. 2. Utrum sacramenta mortuorum aliquando conferre possint gratiam secundam ?

Resp. Affirmative; nempe, quando suscipiantur ab homine justo. Baptismus hunc effectum habet, si adultus ante Baptismum seipsum per actum caritatis justificavit. Eumdem effectum habet Pœnitentia, si pœnitens reus est tantummodo peccatorum venialium, aut si mortalium reus de iisdem doleat perfecte. Hæc dicitur eorum sacramentorum efficacia *per accidens;* quæ certissima est, imo, juxta quosdam, *salva fide* negari non potest.

Qu. 3. Utrum sacramenta vivorum conferre possint gratiam primam ?

Resp. Generatim affirmandum esse videtur. Casus ille est, quo quis, exsistens in peccato mortali et simul existimans se esse in gratia, ea sacramenta accipiat attritus. Præter auctoritatem S. Thomæ [2], ratio intrinseca affertur ex Concilio Tridentino, docente quod « sacramenta semper gratiam conferunt *ex opere operato* non ponentibus obicem »; porro obicem non ponit qui, licet in statu peccati inveniatur, tamen bona fide et cum attritione sacramentum suscipit: quæ ratio non omnibus probatur. Hæc horum sacramentorum efficacia *per accidens* certa est quoad Extremam Unctionem; quoad Eucharistiam et alia est probabilis [3].

57. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Utrum sacramenta informia, remoto obice infusionem gratiæ impediente, *reviviscant,* seu gratiam in subjecto producant ?

Resp. Certe *affirmative,* quod sacramenta characteristica, quæ iterari non possunt. Probabiliter affirmatur quoque de Matrimonio et Extrema Unctione, quæ iterari non possunt durante eodem vinculo vel eodem morbo: item de Eucharistia, quousque species sacramentales incorruptæ exsistunt; ac demum de Pœnitentia, si contigerit hoc sacramentum valide suscipi, sed absque infusione gratiæ inculpabiliter; de qua re, suo loco.

Qu. 2. Quid requiratur, ut sacramentum informe reviviscat ?

Resp. Necesse est removeri obicem; seu requiritur ea dispositio, cujus defectus infusionem gratiæ impediebat. Hinc requiritur attritio quoad sacramenta mortuorum, generatim recuperatio gratiæ quoad sacramenta vivorum.

1) Concilium Trid. *Sess. VI. Cap. 1, 4.* — Cf. S. Thomam *P. 3. Qu. 96 art. 8.*

2) S. Thomas *3. Qu. 72 art. 7 ad 2,* et *Qu 79 art, 3.*

3) Cf. S. Ligorium *Num. 6;* Gen. *130;* D'Ann. *242, 2;* Palm. apud Ball. *78;* Noldin *7.*

58. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Quid sit character sacramentalis ?

Resp. Notio characteris datur a Concilio Tridentino, docente ipsum esse « signum quoddam spiritale et indelebile, unde ea (tria sacramenta) iterari non possunt » [4]. Verum quid sit entitative signum illud, vel quænam sit propria characteris definitio, inter theologos non constat : non incongrue dici potest « hominis consecratio in membrum, militem, ministrum Christi. Certe non est « Esse reale infinitum per se manifestum » ; non est « ipsum Verbum secunda SS. Trinitatis Persona » ; ceu schola recens docuit [5].

4) Concilium Trid. *Sess. VII. Can. 9 De sacr. in genere.*
5) *De Prop. 28* rosminiana cf. *Trutina theol. Num. 206-213* (Romæ 1892).

TRACTATUS PRIMUS

DE BAPTISMO

CAPUT I.

DE NATURA ET NECESSITATE BAPTISMI

59. *Baptismus*, etymologice *ablutio per immersionem*, facile ablutionem significat, quocumque modo fiat. Quoad rem nostram, *Baptismus* definitur in Cathechismo Concilii Tridentini « sacramentum regenerationis per aquam in verbo » [1]; a theologis communiter « sacramentum novæ Legis a Christo institutum per exteriorem corporis alterius ablutionem per aquam sub invocatione SS. Trinitatis ». Hoc sacramentum Christus instituit probabiliter ante passionem [2]; ejus vero ministrandi præceptum Apostolis imposuit ante suam ascensionem in cœlum [3]; ceterum veritatem hujus sacramenti, et proinde ipsius institutionem a Christo semper et ubique professa est theoretice et practice Ecclesia, eamque definivit Tridentinum Concilium.

60. Propter analogiam in effectu principali, qui est animæ justificatio per gratiam, nomen Baptismi tribuitur etiam martyrio, quod generatim dicitur *Baptismus sanguinis*. Ad essentiam martyrii saltem hæc tria requiruntur: *a*) Mors, vel cruciatus ex se lethalis, alicui illata in odium Christi, vel fidei aut alterius virtutis christianæ; *b*) mortis vel hujus cruciatus acceptatio ac toleratio voluntaria; *c*) saltem attritio de peccatis mortalibus actualibus. Posteriores duæ conditiones requiruntur tantum in adultis; et quidem secunda absolute, tertia conditionate. Quoad adultos *martyrium* est « actus caritatis imperantis et fortitudinis elicientis » [4].

Propter eamdem analogiam dicitur *Baptismus flaminis*, seu desiderii, actus caritatis perfectæ, seu amoris Dei; in quo necessario includitur votum seu desiderium suscipiendi sacramentum Baptismi, in hypothesi quod Deus ipsum ut medium ad vitam æternam necessarium instituerit.

61. **Principia. 1,** Sacramentum Baptismi ex voluntate Dei positiva necessarium est in nova Lege omnibus hominibus necessitate, tum præcepti, tum medii, ad vitam æternam. Patet ex

1) Catechismus Conc. Trid. *P. II. Cap. II. Num. 5.*
2) Baptismi necessitas a Christo declaratur ante passionem in sermone ad Nicodemum Jo. *III. 5.* — Cf. Billot *Op. cit. Th. XXIII. § 1.*
3) Matth. *XXVIII. 19.*
4) S. Thomas *2. 2. Qu. 124 art. 2.*

verbis Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* [5].

II. Vices Baptismi ad effectum justificationis gerit martyrium, tum quoad infantes, tum quoad adultos. Patet, quoad infantes ex sensu Ecclesiæ circa sanctos Innocentes occisos pro Christo : quoad adultos, idem ut certissimum habetur, eo quod martyrium mortem Christi imitatur, vi cujus imitationis culpam et pœnam remittit *ex opere operato* [6]. Tamen justificatio per martyrium *per se* non tollit necessitatem Baptismi.

III. Vices Baptismi quoad adultos supplet actus caritatis perfectæ cum voto suscipiendi sacramentum Baptismi. Caritas enim perfecta conjungit hominem Deo ; at non independenter a sacramento, quod Christus voluit esse medium non baptizatis necessarium ad justificationem.

62. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si baptizans ex errore etiam involuntario erraverit quoad substantialia, infans non baptizatur; qui si decedat, non salvatur; si supervivat, non recipit valide cetera sacramenta.

2.ª Inde necessitas assecurandi valorem Baptismi, sequendo viam tutam, et, si hæc non habeatur, tutionem. Inde et necessitas iterandi Baptismum quoties habeatur vel tenuis probabilitas de invaliditate Baptismi [8] : iterationem religio non prohibet, caritas præcipit.

63. *Ex Princ. II.* — 1.ª Martyrium justificat quidem peccatorem, imo præter præmium essentiale beatitudinis æternæ justificato concedit *aureolam;* at characterem non imprimit.

2.ª Si quis, accepto in odium Christi vulnere lethali, ab eo divinitus convalescat, hic tenetur sacramentum Baptismi suscipere, tum ex divina voluntate positiva, tum ut aggregetur corpori Ecclesiæ et capax fiat aliorum sacramentorum.

64. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si adultus nondum baptizatus peccata mortalia commiserit, ut per Baptismum flaminis justificetur, debet certe elicere actum caritatis, vel contritionis perfectæ.

2.ª Adultus, qui Baptismi necessitatem et forte exsistentiam igno-

5) Jo. *III. 5.* — Veritas de fide ex Conc. Trid. *Sess. VII. Can. 5 De Baptismo*: item valide baptizari infantes *Can. 12, 13;* Codex *Can. 737.*

6) S. Ligorius *VI. Num. 97.* — In adultis, præter quemdam motum doloris imperfecti super culpas actuales, quidam exigunt contritionem caritate formatam; quam opinionem probabiliorem esse censet S. Lig. *Num. 98.* — Cf. Palm. ad Ball. *Sect. II. Num. 3* Nota *a;* Tanqu. *73.*

7) Concilium Trid. *Sess. XIV. De Pœnit. Cap. IV.*, coll. *Sess. VI. De justif. Cap. IV.*

8) S. Ligorius *Num. 103;* item theologi fere omnes.

ret, certe per actum caritatis vel contritionis justificatur, quin Baptismum explicite desideret: qui ejus necessitatem novit, impossibile est quod, ad Deum per veram caritatem conversus, Baptismum non desideret explicite: ceterum causa justificans est caritas, non votum Baptismi.

3.ª Adultus, qui per actum caritatis vel contritionis consecutus fuerit justificationem et proinde remissionem ipsius peccati originalis, adhuc Baptismum suscipere debet, tum ex divina lege positiva, tum ut corpori Ecclesiæ aggregetur et capax fiat aliorum sacramentorum.

CAPUT II.

DE ELEMENTIS OBJECTIVIS BAPTISMI

ART. I. — De materia Baptismi

65. **Principia. I.** Materia remota valida Baptismi est omnis et sola aqua naturalis [1]: materia licita est aqua naturalis pura, quæ pro Baptismo solemni sit insuper specialiter ad usum Baptismi benedicta.

II. Materia proxima valida est ablutio corporis alieni, aut totius, aut partis principalis ejusdem: materia licita pro Baptismo solemni est ablutio per trinam aquæ effusionem in modum crucis super caput baptizandi.

III. In casu necessitatis, si impossibile sit uti materia (sive remota, sive proxima) certe valida, utendum est dubia; numquam invalida: deficiente vero materia licita, utendum est illicita. Agitur enim de sacramento maximæ necessitatis.

66. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Materia valida est, nedum aqua fontis, fluvii, pluviæ, etc., sed et aqua resoluta ex nive, ex glacie, aut concreta ex vaporibus condensatis; etsi turbida sit, aut pulveri aliisve materiis aliquatenus inquinata.

2.ª Materia invalida sunt lac, vinum, oleum, lotium, sanguis, saliva, jus densum ex carnibus.

3.ª Materia dubia est aqua quantitati non notabili materiæ alienæ commixta; puta lacti, vino, cafæo, cerevisiæ, etc.; item et tenue jusculum aut vinum [2]; imo et nives, grando, glacies.

4.ª Qui extra casum necessitatis baptizet aquâ immundâ, peccat

1) Ratio conveniente triplex: Maxima commoditas aquæ, facilitas utendi, aptitudo ad effectum Baptismi significandum. — Cf. Catech. Conc. Trid. *P. II. Cap. II. Num. 10;* S. Thomam *Qu. 66 art. 3.*

2) Ad dubium solvendum, attendatur ad communem hominum æstimationem, magis quam ad chymicorum placita. Palm. apud Ball. *Num. 8;* Gen. *133.*

contra religionem, plus vel minus graviter pro graviori vel leviori aquæ immunditia.

67. *Ex Princ. II.* — 1.ª Invalide baptizat, qui manum madefactam applicet corpori baptizandi, vel corpus tangat gossypio vel linteamine madefacto.

2.ª E cotra baptizat valide, qui manum vel gossypium aut linteamen madefactum ita corpori applicet, ut simul ab una corporis parte ad aliam deducat.

3.ª Si aqua vestes tantummodo tangat, aut si una vel altera aquæ guttula per aspersionem ipsum corpus attingat, Baptismus non valet: in neutro enim casu habetur corporis ablutio.

4.ª Si quis per modum unctionis in fronte digito aqua madefacto infantem baptizet, baptismus dubius est; quia non certa ablutio 3.

5.ª Licet Baptismus valide tribus modis conferri valeat, *immersione, infusione, aspersione,* in Ecclesia latina juxta usum communem conferri debet infusione.

6.ª Certe peccat sacerdos, qui in Baptismo solemni non ter aquam effundat, aut non in modum crucis, aut non super caput baptizandi: imo tria hæc habentur satis communiter ut gravia.

68. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si infans in periculo moriendi versetur, et nullus liquor habeatur, nisi aqua lacti vel vino aut jusculo commixta, Baptismus cum hujusmodi liquore conferri potest ac debet.

2.ª Si infans nondum plene editus aquâ tangi non possit, nisi parte alia a capite, in hac baptizari potest ac debet; item, si secundinâ involutus est in utero, quæ disrumpi non possit. Imo, etiamsi ope instrumenti aqua ipsi corpori fetus applicari possit, si postea infans nascatur, debet iterum sub conditione baptizari 4.

3.ª Si non habeatur aqua baptismalis et periculum impendeat, sacerdos (in ipso Baptismo solemni) uti potest aqua simplici.

69. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum valeat et liceat Baptismus, pro quo ad baptizandam prolem utero matris inclusam adhibeatur aqua hydrargyro bichlorato commixta?

Resp. Affirmative; dummodo usus aquæ puræ verum morbi periculum matri inferat, hydrargyri autem immixta habeatur pars una pro mille partibus aquæ 5.

Qu. 2. Utrum usus aquæ baptismalis in Baptismo solemni sit præceptivus; et quidem *sub gravi?*

Resp. Affirmative: ad primum certe; ad alterum probabilissime. Utrumque evincitur potissime ex eo, quod Ecclesia præcipit, et quidem cum magna insistentia, benedictionem fontis baptismalis, quam ritibus vere solemnibus exornat. Accedit consensus fere omnium theologorum:

3) S. Inquis. die 14 dec. 1898. apud *Monit. eccl.* Vol. X. P. II. 243.
4) S. C. Conc. 16 mart. 1897, apud *Monit. eccl.* X. I. 49. — Codex 746.
5) Congr. S. Officii 21 aug. 1901, apud *Monit. eccles.* XIII. 385. — Cf. et XX. 84.

« Generatim loquendo omissio aquæ benedictæ est mortale » 6. Deficiente aqua baptismali, decenter adhibebitur lustralis; at licitus semper est usus aquæ naturalis 7.

Obligatio adhibendi in Baptismo solemni aquam in hunc usum benedictam infert parochis obligationem benedicendi suis temporibus aquam baptismalem; insuper renovandi fontem baptismalem formula in Rituali præscripta, si forte aqua jam benedicta corrupta fuerit, aut defecerit.

70. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Utrum validus sit Baptismus, si ablutio fiat in alia parte, quam in capite ?

Resp. Si hæc fiat in parte minima vel minus principali, ut in digito manus, in extremitate pedis, aut etiam in crinibus capitis, probabiliter *negative;* si fiat in parte principali, ex gr., in pectore, in scapulis, in collo, probabilissime, imo et vix non certe (saltem ex auctoritate doctorum) *affirmative.* Hinc in utroque casu, si infans supervivat, sub conditione rebaptizandus est: in primo casu certe *sub gravi;* in altero quidam dicunt *sub levi,* alii ne *sub levi* quidem 8; omnes id fieri posse concedunt.

Qu. 2. Utrum valeat Baptismus, si infans in flumen projiciatur ?

Resp. Duplex habetur sententia; utraque probabilis. Juxta quosdam, ad ablutionem satis est immersio; juxta alios, requiritur quoque emersio. Ceterum id illicitum esse videretur, etiamsi secus infans moriturus sit absque Baptismo: alii tamen affirmant, id licere eadem ratione, qua licitum est infantem aqua gelida baptizare, licet inde mors acceleretur 9.

Qu. 3. Utrum valide baptizet, qui infantem subjicit aquæ desuper decidenti ?

Resp. Si eum subjiciat aquæ decidenti ex stillicidio, aut ex tecto vel e cœlo, *affirmative;* si aquæ ab altera persona urceo effusæ, communius negatur; cum magis hæc abluat, quam qui infantem subjicit; quidam tamen affirmant. Quare ab hoc modo baptizandi abstinendum est; ac Baptismus hoc modo collatus iterandus.

ART. II. — De forma Baptismi

71. **Principia. I.** Forma typica Baptismi, ex præcepto in Baptismo solemni adhibenda, est ea, quam Christus proposuit : «Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

II. Valida est omnis alia forma, quæ juxta formam typicam

6) S. Ligorius *Num. 102;* Gen. *134;* Tanqu. *76;* etc. — Codex *Can. 757 § 1.*

7) S. Inqu. die 22 jun. a. 1883. — In Baptismo privato ex necessitate, sacerdos laudabiliter utetur aqua baptismali, vel lustrali.

8) S. Thomas *Qu. 68 art. 11;* S. Lig. *Num. 107;* Gen. *135;* Noldin *61;* Lehmk. *62.*

9) S. Ligorius *Num. 106;* Tanqu. *77;* Zanin. *1946 V;* Noldin *l. c.;* Verm. *219.*

significet personam baptizandi, professionem unitatis naturæ ac distinctionem Personarum SS. Trinitatis.

III. Ad valorem Baptismi necesse est, quod forma a baptizante pronuntietur tempore moraliter eodem, quo aqua super corpus baptizandi effunditur. Ad liceitatem in Baptismo solemni præscribitur, ut tres effusiones fiant, dum singulæ SS. Trinitatis Personæ nominantur.

72. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Valida est forma, qua omittatur pronomen « ego »; item et qua omittatur particula « et », ante invocationem Filii, aut adjectivum « sancti »: item qua quis dicat « baptizo vos » (majestaticum), vel « dominationem vestram ».

2.ª Invalida est forma: « ego baptizo in nomine » etc.; item « ego tibi volo ministrare Baptismum in nomine Patris », etc. [10].

3.ª Invalidæ habentur communissime formæ « ego te baptizo in nomine Jesu Christi »; vel « ego te baptizo in Patre et Filio et Spiritu sancto ».

4.ª Dubiæ sunt formæ «ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis»; vel « in nomine genitoris et geniti et spirati ».

5.ª Forma « ego te baptizo in nomine Patris et in nomine Filii et in nomine Spiritus sancti » habetur communiter ut ambigua, et proinde practice non tuta [11]; item et alia « ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti et B. Virginis Mariæ ».

6.ª Valida est forma in lingua vulgari prolata, quæ omnem et solum præferat sensum formæ typicæ: imo illa opportunius adhibenda est a baptizante laico vel femina.

CAPUT III.

DE MINISTRO BAPTISMI

73. Minister relate ad hoc sacramentum distinguitur triplex: *Ordinarius*, et *extraordinarius;* ille autem *legitimus*, aut *non legitimus*.

Principia. 1. Baptismi solemnis minister ordinarius est sacerdos, extraordinarius diaconus. At jus baptizandi in suo territorio competit parocho loci, tamquam ministro legitimo; item cuilibet sacerdoti de ejusdem parochi vel Ordinarii licentia, quæ in casu necessitatis legitime præsumitur: iisdem competit jus bapti-

10) S. Offic. 23 junii 1840. — Exempla apud GURY *Casus Num. 191-194.*
11) Ita S. LIGORIUS *III.* — At cf. NOLDIN *Num. 63.*

zandi peregrinum, qui a parocho proprio in sua parœcia facile et sine mora baptizari nequeat [1].

II. Quilibet homo potest esse minister extraordinarius Baptismi; adeo ut semper baptizet valide; licite autem, et quidem ex obligatione, in casu necessitatis.

III. Minister, ut valide baptizet, dum ponit elementa objectiva, debet habere intentionem conferendi sacramentum Baptismi. Ut vero baptizet licite Baptismo solemni, servare debet cæremonias ab Ecclesia præscriptas, et quidem obligatione *per se gravi;* a qua ne Ordinarius quidem dispensare potest extra mortis periculum [2].

74. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si familia urbana feriis autumnalibus per duos vel tres menses in oppido rurali moretur ibique prolem habeat, hæc pro Baptismo ad proprium parochum in urbe deferenda est; dummodo et facile et sine mora fieri possit.

2.ª Si ea familia in oppido rurali jam a semestri moretur, vel ultra semestre morari intendat, proles solemniter baptizanda est a parocho oppidi illius, non ab alio absque ejusdem licentia.

3.ª In utroque casu parochus urbanus non potest ad oppidum rurale se conferre ibique prolem solemniter baptizare, nisi ex licentia parochi illius vel Ordinarii loci.

4.ª Si agatur de filio vagorum, hic solemniter baptizandus est a parocho loci nativitatis; si de exposito, a parocho loci in quo inventus est.

5.ª Si, postquam inter parochum et parentes de die et hora Baptismi conferendi convenerit, parochus forte immemor, nulla data licentia, parœcia absesserit, poterit sacerdos Baptismum solemniter conferre, licet nulla habeatur stricto sensu necessitas; adhuc enim ipse poterit licentiam legitime præsumere.

75. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum graviter peccet parochus, vel sacerdos, illegitime baptizans?

Resp. Affirmative, nisi justa causa habeatur; quia jus legitimi ministri violat in re gravi. Hinc graviter peccant sacerdotes vel parochi, qui infantes ex aliena parœcia sibi delatos baptizant; item et parentes, qui, excepto casu necessitatis, absque licentia parochi proprii prolem baptizandam deferunt ad sacerdotes alienos. — Nullum habetur peccatum, si licentia parochi rationabiliter præsumatur.

Qu. 2. Quid requiritur, ut diaconus baptizare possit solemniter?

Resp. Requiritur causa justa: ejusmodi certe habetur, si parochus ceterique sacerdotes in confessionibus audiendis detineantur. Insuper requiritur licentia parochi, ad quem de jure pertinet Baptismi illius col-

1) CODEX *Can. 738.* — Exceptio 2 applicando videtur vago et exposito. De Baptismo adulti cf. CAN. *744; Tit. II. Cap. III.* RITUALE.
2) CODEX *Can. 759 § 2;* RITUALE *Tit. II. Cap. II. 28.*

latio, vel Ordinarii loci: hæc præsumi poterit si necessitas urgeat, licet sensu minus proprio [3]. — Etsi diaconus solemniter baptizet, tamen non potest sal aut aquam benedicere [4].

76. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quinam ordo inter diversos ministros servandus sit in Baptismo privato?

Resp. Ille, qui in Rituali statuitur. Nempe sacerdos præferatur laico; et quidem *sub gravi*: diaconus præferatur laico, forte *sub gravi;* subdiacono et clerico, probabiliter *sub levi*: vir præferatur feminæ; at forte ne *sub levi* quidem. Tamen femina præferatur viro, etiam sacerdoti, quando id exigat pudor, aut securior feminæ præ viro peritia in baptizando. Demum parentes infantem proprium baptizare non debent, præterquam in mortis articulo, quando alius præsto non est, qui baptizet [5].

Etsi Baptismum ministret clericus vel subdiaconus, semper conferre debet privatum: aquam infundat simul proferens formam; et satis: a fortiori id servandum a ministrante laico, viro vel femina.

77. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum intentio conferendi sacramentum Baptismi consistere possit cum opinione et doctrina efficaciam sacramentalem Baptismi negante?

Resp. Affirmative; eo quod intentio ad voluntatem pertinet; opinio et doctrina ad intellectum. Ita haberi debent ut valida Baptismata collata ab hæreticis, qui cum materia et forma debita baptizant, tamen tenent et docent Baptismum non habere effectum ullum in anima, sed esse signum mere externum aggregationis ad sectam christianam [6]. Idem valet de ministro pagano, hebræo, incredulo. — Evidenter excipiendus est casus, quo minister, puta femina pagana, nihil religiosi in ea ablutione esse putet.

Qu. 2. Quænam sit materia gravis in omissione cæremoniarum in Baptismo solemni?

Resp. Certe materia gravis est complexus omnium cæremoniarum, vel alicujus partis notabilis earumdem; pars autem potest esse notabilis, tum dignitate, tum quantitate Hinc: *a*) Certe graviter peccat sacerdos, qui sine gravi causa omnes cæremonias omittat; item, qui omittat omnes cæremonias Baptismum præcedentes, aut omnes sequentes. — *b*) Quoad singulas, dicunt esse mortale baptizare extra ecclesiam, excepto casu necessitatis aut privilegii; item omittere vel unam e cæremoniis, quæ, nedum significant, sed et aliquid efficiunt; ut sunt exorcismi, unctio cum oleo catechumenorum, usus aquæ baptismalis, unctio cum chrismate; demum uti oleo vel chrismate veteri, excepto casu, quo recens desit.

Communiter habetur ut gravis obligatio supplendi quamprimum cæ-

3) Codex *Can. 741.* — Noldin *Num. 64, 2;* Verm. *232.*
4) S. R. C. die 10 febr. a. 1888.
5) Rituale *Tit. II. Cap. I. Num. 16;* Codex *Can. 742 § 3.*
6) S. Inquis. 18 dec. 1872, ex Benedicto XIV *De synodo VII. Cap. VI. Num. 9.*

remonias, quando infans absque cæremoniis baptizatus fuerit in domo privata: suppleri autem debent in ecclesia.

Qu. 3. Quinam possint esse casus necessitatis, in quibus liceat infantem solemniter baptizare in domo privata?

Resp. Omissis principum filiis et nepotibus, « si infans non versatur in periculo mortis, sed sine periculo ad ecclesiam transferri nequit, Ordinarius permittere potest pro suo prudenti arbitrio et conscientia, justa ac rationabili de causa, in aliquo casu extraordinario, quod domi baptismus solemniter administretur; æstimare autem casus extraordinarii gravitatem est remissum prudentiæ et conscientiæ ipsius Ordinarii in singulis causis » 7. Hinc in singulis casibus parochus rem remittere debet Ordinario: quod agere debet etiam in casu, quo infans ad ecclesiam deferri non possit sine infamia parentum 8, aut ex protervia vel incuria parentum parochus videat infanti differendum esse Baptismum indefinite.

Habito Ordinarii responso affirmativo, parochus in baptizando adhibere debet omnes ritus ac cæremonias; a quibus frustra dispensationem peteret ab Ordinario: hic enim eam concedere non potest extra periculum mortis.

Facilius, et absque Ordinarii licentia, Baptismus solemnis propter locorum distantiam aliave adjuncta conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio privato, licet hæc baptismali fonte careant 9.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO BAPTISMI

78. **Principia. I.** Valide baptizari potest omnis et solus homo viator, sive adultus, sive infans, nondum baptizatus.

II. Ut valide baptizetur infans, nulla in eo dispositio requiritur [1]: ut valide baptizetur adultus, qui usum rationis habuerit, requiritur in eo voluntas, saltem habitualis, recipiendi Baptismum.

III. Ut infans licite baptizetur, requiritur consensus parentum ejusdem; vel, eo deficiente, consensus Ecclesiæ, quæ a Christo Deo munus accepit baptizandi « *omnes gentes* ».

IV. Ut adultus Baptismum fructuose suscipiat, requiritur in eo fides et cognitio earum veritatum, quarum fides explicita est de necessitate medii ad justificationem; item de peccatis gravibus ab eo commissis contritio vel attritio supernaturalis.

7) Codex *Can. 776;* Rituale *Num. 26;* S. Congr. *De Sacram.* die 22 julii a. 1925, apud *Acta Ap. Sedis* XVII. 452. — Cf. *Monit eccles.* XXVII. 238.

8) S. Ligorius *Num. 142;* Noldin *82.*

9) Codex *Can. 775.*

1) Ad obtinendam gratiam in parvulis sufficere debet Ecclesiæ fides; per quam ipsi credunt. S. Thomas *Qu. 69 art. 6* ad *3.*

79. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Validus est Baptismus fetus editi viventis, licet immaturus sit et non vitalis. Quia vero valde probabile est fetum mox ab ipsa conceptione informari anima rationali, ideo baptizandi sunt omnes fetus abortivi: absolute, si vel levissimum vitæ signum præbeant; conditionate, si nullum signum vitæ præbeant, at non clare appareant indicia putrefactionis 2.

2.ª Quoniam ex theologia nihil vetat regenerari spiritualiter per Baptismum hominem nondum genitum corporaliter, ideo, si periculum sit quod fetus vivus edi non valeat, baptizari debet in utero; eo magis quod ars chirurgica hodierna hunc Baptismum in utero ita perficere valet, ut de ejus valore moraliter certo constet 3.

3.ª Monstra et ostenta semper baptizentur saltem sub conditione — si tu es homo —. In dubio autem unus ne an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione « si non es baptizatus » 4.

4.ª Conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter; et ubi, re diligenter investigata, prudens dubium exsistat num revera, vel num valide sacramentum Baptismi collatum fuerit; inclinandum in iterationem.

80. *Ex Princ. II.* — 1.ª Adultus qui necessitatem Baptismi cognovit, tenetur hoc sacramentum suscipere quamprimum moraliter potest 5; tum, ut se justificet, tum (etsi justus) ex necessitate præcepti et medii, qua tenetur sese aggregare Ecclesiæ Christi.

2.ª Si contingat graviter infirmari et usu sensuum destitui adultum, qui se inter catechumenos adscripserat, vel quacumque ratione Baptismum postulaverat, vel se optare manifestaverat, hic valide in eo statu baptizatur. Idem dicendum de eo, qui, postquam Baptismum optaverat, in amentiam forte perpetuam inciderit.

3.ª Si adultus Baptismum postulet a sacerdote ea intentione ut a catholicis in sua egestate sublevetur, baptizatur valide.

81. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Si baptizatus fuerit adultus, qui mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis ignorabat, et forte nec ullam habebat Dei remuneratoris notionem, hic, si baptizari voluit, valide quidem baptizatus fuit, at non fuit justificatus.

2.ª Si baptizatus fuit adultus, qui fidem quidem habebat, at nihil de peccatis a se commissis dolebat, hic baptizatus fuit, at non justificatus; quod si dolore carebat advertenter et voluntarie, novum contraxit reatum sacrilegii.

82. **Quæstiones** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum, si Bapti-

2) Codex *Can. 747.* — Cf. Ferr. *Num. 326;* Noldin *70;* Tanqu. *Suppl. 63, sequ.;* Ball. *51.*

3) Cf. S. Ligorium *Num. 107;* Ferrares *321, sequ.;* Tanqu. *Suppl. 63-67.*

4) Rituale *Tit. I. Cap. un. Num. 22.* — Quoad casus extraordinarios, cf. Capellman *Medic. pastor. De Bapt. subjectum.*

5) Definire limites hujus « quamprimum », impossibile est: lex Ecclesiæ non habetur nec haberi potest. Cf. S. Thomam *Supplem. Qu. 6 art. 5.*

smus in utero fieri non possit, habeatur vera obligatio perficiendi operationem cæsaream, per quam proles utero extrahi et baptizari possit ?

Resp. Theoretice et per se, *affirmative*, et quidem *sub gravi*: agitur enim de procuranda illi fetui vita æterna, quæ est maximum hominis bonum 6.

1.° Hoc valet in primis, si mater jam defuncta sit; tunc enim operatio nihil matri nocet, fetui autem vitam spiritualem procurat, et quandoque etiam corporalem 7. Cum hæc obligatio in isto casu certa habeatur, parochus de ea monere debet familiares et medicum; at prudenter. Si enim prævideat suam monitionem nihil profuturam esse, et forte conscientiæ familiarium inutiliter obfuturam, in ea urgenda non nimis insistat. Facile continget, quod hi timeant ne operatio mortem allatura sit matri forte nondum defunctæ: hinc difficile parochus consequetur prolem eo tempore extrahi. quo certus possit esse valor Baptismi conferendi; quin et non raro continget fetum jam mortuum reperiri.

2.° Quousque mater vivit, ea uteri excisio, *per se* et *objective* loquendo, certe obligatoria est, quando nullum afferat matri moriendi periculum: porro periculum hodie longe remotius est, quam olim. Quamvis vero non omne periculum penitus excludatur, ac insuper ea operatio generatim secum ferat aliquam mortis accelerationem, tum matri, tum proli, tamen salus æterna prolis bonum est tanti momenti, ut ei pericula illa posthabenda esse videantur.

Tamen non desunt auctores, qui negent hanc matris obligationem exsistere objective 8. Quapropter non licebit eam nimis urgere: fatentibus enim theologis, qui ejus objectivam exsistentiam admittunt, « vix umquam mater tenebitur hanc operationem subire, si ab ea multum abhorreat » 9. Caveat ergo parochus aut confessarius, ne eam in eo præsertim discrimine in malam conscientiam conjiciat; cujus malæ conscientiæ effectus poterit esse ejusdem matris æterna damnatio, quin salus æterna prolis obtineatur. Ceterum « ex nova medicorum arte, infans moraliter certo baptizari potest in utero matris, quin ad operationem cæsaream recurrendum sit » 10.

Qu. 2. Quandonam peccent graviter parentes differendo proli neonatæ Baptismum ?

Resp. 1.° Si proles videatur esse in periculo moriendi, gravis est dilatio etiam unius horæ vel quadrantis. — 2.° Quando nullum appareat esse periculum, adhuc Jus novissimum jubet infantes baptizandos esse *quamprimum*. Leo XIII de consuetudine differendi Baptismatis in hebdomadas, menses, et annos, dicit: « nihil hac consuetudine iniquius,

6) Cohæret CODEX *Can. 746 § 4.*

7) Cf. GENICOT *Num. 145;* NOLDIN *71, 3;* ALBERTI *Theol. past. I. 73.*

8) Cf. NOLDIN *De præceptis Num. 344;* TANQU. III. *Suppl. 68;* VERM. *238, 3.*

9) Ita FERRERES *Num. 346.* — Cf et. GEN. *144.*

10) GURY *Num. 69.* — Tamen « fetus, in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet ». CODEX *Can. 746 § 5.*

nil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium » 11. At nulla habetur determinatio positiva per legem generalem Ecclesiæ; ex lege autem naturali theologi in diversas abeunt sententias 12. Hinc parochus urgeat quidem quantum potest; præsertim, si videat parentes desides esse ac sine causa notabili Baptismum nimis differre: at conscientiam peccati mortalis non ingerat, nisi merito timendum sit periculum mortis.

Qu. 3. Utrum rebaptizandi sint infantes, qui baptizati fuerunt ab obstetrice, vel a medico, aut a persona quacumque laica?

Resp. 1.° Si Baptismus collatus fuerat infanti nondum edito, generatim *affirmative;* excepto casu, quo infans caput emiserit et a persona perita in capite baptizatus fuerit.

2.° Si infanti perfecte edito Baptismus collatus fuerit propter periculum mortis, approbari nequit praxis eorum, qui ad modum regulæ generalis velint iterandum semper esse Baptismum: sed in singulis casibus instituendum est examen. Si ex eo constet Baptismum collatum fuisse invalide, erit iterandus absolute; si, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate supersit, tunc iterandus erit sub conditione. Ita S. Inquisitio respondit circa baptizatos ad hæreticis 13. — Evidenter eadem praxis observanda erit circa infantes expositos; item circa pueros, qui, alibi nati, in patriam reducuntur a parentibus; exceptis iis, pro quibus habeatur testificatio moraliter certa.

83. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Utrum validus possit esse Baptismus adulti, qui judicatur habere ipsius suscipiendi voluntatem implicitam, nempe animum procurandi sibi salutem æternam et bene operandi?

Resp. Theologi plures ita sentiebant, dummodo ille adultus de peccatis a se commissis habeat attritionem. Verum negabant alii; eo quod voluntas illa non sit nisi voluntas interpretativa Baptismi et non exsistens, atque ex ea opinione sequantur absurda 14. Huic sententiæ accedit nunc gravior auctoritas ex responsis Apostolicæ Sedis. Declaravit enim, nec absolute, nec sub conditione, dari posse Baptismum mahomedano adulto, qui in suis erroribus supponitur esse in bona fide, ipsum ad dolorem et confidentiam adhortando: mahomedanis autem moribundis et sensibus destitutis, si antea dederint signa se velle baptizari, vel nunc aut nutu aut alio modo eamdam dispositionem ostenderint, dari posse Baptismum sub conditione; quatenus missionarius, cunctis rerum adjunctis inspectis, ita prudentes judicaverit. Hinc hodie communior evasit sententia negativa 15.

11) Codex *Can. 770;* Leo XIII Epist. ad Episc. anglonen. apud. *Monit. eccles.* XI. *261.* Cf. etiam Catech. *Conc. Trid. Num. 32, 34.*

12) S. Ligorius *Num. 118* docet probabilius habendam ut gravem dilationem ultra undecim dies. — Alii gravem habent dilationem ad mensem. Ferr. *324.*

13) S. Inqu. 20 nov. 1878; simul decernens « casum P. Gury (*Num. 207,2*) esse corrigendum ». Cf. Genn. *Quest. mor. 630;* Frassin. *Nota 101 ad Num. 316.*

14) Lacroix apud S. Ligorium *Num. 81;* Suarez *De sacram. in gen. XIV. II. 4.*

15) Cf. Ballerini *De sacram. in gen. Num. 73;* Noldin *73, 1;* Verm. *342;* Gen. *150.*

Sufficere autem videtur ad valorem Baptismi, et proinde ad licitam ejusdem collationem saltem conditionatam, voluntas amplectendi religionem christianam; in qua voluntate jam habetur implicita voluntas suscipiendi Baptismum.

84. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum licite baptizari possit filius parentum infidelium, hæreticorum, apostatarum, massonum, etc.; qui, cum habeat usum rationis, Baptismum postulat?

Resp. Re in se spectata, *affirmative;* cum filius in re ad suam æternam salutem pertinente sit sui juris, quamvis minor sit 16. Tamen hæc ratio agendi hodie nimis gravia secum ferret incommoda; eo quod Ecclesia de facto uti non possit suo jure subtrahendi filium illum e potestate parentum ipsumque in loco tuto educandi. Hinc parochus, sacerdos, infirmarius, etc., illum baptizet, si prævideatur mox moriturus: secus, ipse nihil faciet inconsulto Episcopo.

Qu. 2. Utrum baptizari possint infantes filii infidelium aut hæreticorum?

Resp. Ex jure in se spectato, *affirmative.* Ecclesia enim hoc jus et officium accepit a Christo baptizandi omnes gentes. Imo, si agatur de filiis hæreticorum, jure obligare potest ipsos parentes, utpote sibi subjectos, ad Baptismum filiis procurandum. Si agatur de filiis infidelium, Ecclesia nequit obligare parentes; at nullam iisdem immediate infert injuriam, si eorum filios baptizet; tantummodo causam ponit, qua, si filii adolescant, conflictus in posterum orientur inter jus parentum habendi penes se suos natos, et jus Ecclesiæ præservandi a periculo perversionis baptizatos 17. Hinc baptizari possunt, et ex caritate debent, infantes hæreticorum et infidelium, si prævidentur mox morituri. Extra hunc casum, juxta normas traditas Jure novissimo, infantes baptizentur, etiam invitis parentibus, si prudenter prævideatur mors secutura ante usum rationis; item (dummodo prolis educationi catholicæ cautum sit), si parentes, vel tutores, vel unus eorum consentiat, aut nemo sit qui jus in illam habeat aut exercere queat 18. At opportune parochus consulet Episcopum.

Idem cum proportione dicendum de baptizandis filiis (infantibus aut adolescentibus) catholicorum, si eorum parentes reluctent. Nam « hæc olim solis missionariis; hodie, proh dolor! nobis quoque scitu necessaria sunt » 19.

85. **Scholion.** — **I.** *De Patrinis.* Ad supplendas quodammodo vices subjecti baptizandi, a primis temporibus Ecclesiæ introducti fuerunt

16) S. Thomas *2. 2. Qu. 10 art. 12,* et *P. 3, 68 art. 10.*

17) Hoc sensu censemus esse « contra justitiam pueros infidelium baptizare, invitis parentibus; ut habet D'Ann. *Num. 275.* Ceterum nemo arguet de peccato gravi injustitiæ, qui baptizet infantem certe mox moriturum. — Cf. Frass. *Nota 103 al Num. 323.*

18) Codex *Can. 750.*

19) D'Annibale *Num. 274, 43.* — Cf. Genn. *Cons. can. LXV.*

patrini, qui pro infante baptizando *sponderent* ac *fidejuberent*, eumque e sacro fonte *susciperent* 20. — De patrinis notamus præcipua ex Jure novissimo 21.

1.° Quod patrini in Baptismo solemni adhibeantur, aut unus, aut unus et una, hoc de præcepto est, et quidem gravi: « Nemo solemniter baptizetur, nisi suum habeat, quatenus fieri possit, patrinum: etiam in Baptismo privato, patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis Baptismi cæremoniis ».

2.° Ut quis sit patrinus, oportet: *a*) Sit baptizatus, rationis usum assecutus, et intentionem habeat id munus gerendi; *b*) ab ipso baptizando ejusve parentibus vel tutoribus, aut, his deficientibus, a ministro sit designatus; *c*) baptizandum in actu Baptismi per se vel per procuratorem physice teneat, aut tangat, vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis.

3.° Ad hoc officium valide exercendum necesse est, quod: *a*) ad nullam pertineat hæreticam aut schismaticam sectam, *b*) nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia juris, aut exclusus ab actibus legitimis; *c*) nec sit clericus depositus vel degradatus; *d*) nec sit pater vel mater vel conjux baptizandi.

4.° Ut quis licite patrinus assumatur, oportet, quod: *a*) decimumquartum suæ ætatis annum attigerit, nisi aliud justa de causa ministro videatur; ac insuper *b*) fidei rudimenta noverit.

5.° Ab hoc officio licite exercendo excluduntur: *a*) Qui sit propter notorium delictum excommunicatus, vel exclusus ab actibus legitimis, vel infamis infamia juris, quin tamen sententia intercesserit; *b*) qui sit interdictus, aut alias publice criminosus, vel infamis infamia facti; *c*) qui sit in aliqua religione novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis; *d*) qui sit in sacris Ordinibus constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia. Relate ad criminosos, massones, infames, etc., quandoque parochus uti poterit epikeia, si eos amovere impossibile sit absque gravi incommodo 22.

6.° Qui hoc munere fungitur, obligationem assumit, ut, deficientibus parentibus, curam spiritualem sui filioli agat, eumque in fide et christianis moribus instruat. Curare diligenter debet, ut ille talem in tota vita se præbeat, qualem futurum esse solemni cæremonia spopondit.

II. *De nominibus imponendis.* Desiderium est Ecclesiæ in Rituali expressum, ut baptizando imponatur nomen alicujus Sancti. Ne vero imponantur nomina obscæna, fabulosa, ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum hominum, Ecclesia prohibet omnino: tamen, si qui infantem baptizandum defert impositionem nominis vetiti, ceu conditionem conferendi Baptismatis imponat, non est denegandus Baptismus. Tum in eo casu, tum in casu nominis non christiani, « Parochi... addant nomen ali-

20) TERTULLIANUS *De Baptismo Num. 18;* CATEH. Conc. Trid. *De Bapt. 25.*
21) CODEX *Can. 762-769;* RITUALE *Tit. II. Cap. I. Num. 31-38.*
22) D'ANNIBALE *Num. 286, 14;* GEN. *157, IV.*

cujus Sancti, et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribant » 23.

III. *De cognatione spirituali.* « Ex Baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans (etiam privatim) et patrinus » 24. Hæc est impedimentum dirimens Matrimonium ex jure ecclesiastico.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI

86. **Principia. I.** Sacramentum Baptismi rite susceptum quatuor effectus in anima producit : *a*) Confert gratiam sanctificantem, deletivam cujuscumque culpæ, sive originalis, sive actualis ; *b*) remittit omnem pœnam peccatis remissis debitam ; *c*) confert gratiam sacramentalem, h. e., auxilia (vel jus ad auxilia) gratiæ actualis, quibus homo vitam christianam instituat ; *d*) imprimit in anima characterem, quo baptizatus idoneus fiat ad cetera sacramenta et alia bona Ecclesiæ accipienda.

II. Baptismus sanguinis remittit peccatum originale omnemque pœnam eidem debitam : in adulto remittit etiam peccata actualia et pœnas iisdem debitas ; certe, si de istis habeatur contritio ; probabilissime, si habeatur attritio.

III. Baptismus flaminis remittit peccatum originale et pœnam eidem debitam ; remittit insuper omnia peccata actualia, non autem necessario omnem iisdem debitam pœnam.

87. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Si adultus, Baptismum suscipiens, careat fide aut (de actualibus gravibus) attritione, etiam inculpabiliter, nonnisi quartum effectum accipit, ex quo ipse idoneus fit ad alia sacramenta accipienda ; Baptismus vero iterari non potest.

2.ª Si Baptismus informis fuit propter defectum fidei aut attritionis involuntarium, certe reviviscit, et omnia peccata per subsequentem actum fidei et attritionis remittit.

3.ª Si informis fuit propter defectum fidei aut attritionis culpabilem, adhuc videtur per actum fidei et attritionis reviviscere et peccata remittere. Nam « peccatum, in ipsa perceptione Baptismi consummatum, non subjicitur Ecclesiæ clavibus ; unde necesse est remitti per solam virtutem Baptismi, qui, sublato obice, habet effectum prius suspensum » 1.

23) CODEX *Can. 761 ;* RITUALE *Num. 30.*

24) CODEX *Can. 768.* — Patrinus probabiliter etiam in Baptismo privato.

1) Ita S. LIGORIUS *Num. 87.* — Aiii censent nec sacrilegium indignæ susceptionis remitti nec Baptismum reviviscere posse, nisi per contritionem aut sacramentalem absolutionem. TANQU. *20 B ;* LEHMK. *52 ;* NOLDIN *8, 3.*

Hinc tale peccatum per se nequit esse materia futuræ confessionis et absolutionis 2.

4.ª Si adultus post acceptum Baptismum informem alia peccata mortalia commiserit, Baptismus per solam attritionem non reviviscit: requiritur sacramentum Pœnitentiæ, aut contritio perfecta cum voto sacramenti Pœnitentiæ in ea incluso.

2) S. LIGORIUS *VI. Num. 427.* — Forte res alia erit practice. DE LUGO *De pœnit. Disp. XVI. Sect. I. 2.* Cf. GEN. *258.* — Diserte et erudite quæstionem pertarctat TUMMOLO *De Pœnit. Num. 416-418.*

TRACTATUS SECUNDUS

DE CONFIRMATIONE

CAPUT I.

DE VERITATE ET EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS

88. *Confirmatio* definitur « sacramentum novæ Legis, quo homini baptizato, per chrismatis unctionem et manus impositionem, sub certa verborum forma confertur Spiritus sanctus ad roborandam et profitendam fidem in Baptismo susceptam ». Hinc Confirmatio est quoddam complementum Baptismi, quo perficitur ipsa vita gratiæ collata in Baptismo: hæc ratio est, qua primis sæculis conferebatur simul cum Baptismo.

Divina institutio hujus sacramenti demonstratur a theologis, præsertim ex constanti et universali Ecclesiæ traditione. Institutum fuisse creditur, aut in ultima cœna post institutionem Eucharistiæ, aut probabilius post resurrectionem quando Apostolis omnem potestatem Christus contulit in Ecclesiam.

Adest et opinio media; quæ tenet ejus institutionem inchoatam esse in ultima cœna, completam fuisse post resurrectionem, quando Christus Apostolis plenam contulit potestatem ordinis sacerdotalis et episcopalis [1].

89. **Principia. I.** Veritas est de fide Confirmationem esse verum novæ Legis sacramentum, a Baptismo distinctu [2].

II. Confirmatio rite suscepta tres effectus producit in anima: *a*) Confert augmentum gratiæ sanctificantis; *b*) confert gratiam sacramentalem, qua baptizatus in fide confirmetur; *c*) imprimit characterem.

90. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Finis proprius hujus sacramenti est, ut subjecto baptizato jus conferat ad gratias actuales, quibus fidem contra tentationes servare, profiteri ac propugnare valeat.

2.ª Confirmatio *per se* ordinata est ad conferendam gratiam secundam; at, si suscipiens sit in peccato mortali ac de suis peccatis generaliter dolore imperfecto doleat, Confirmatio ipsum justificat *per accidens*.

3.ª Si in suscipiente habeatur status peccati mortalis, sed absque

1) Nempe aut Jo. *XIV.-XVIII.*, aut Jo. *XX, 21, 22.* - Cf. Billot *Th. XXI.*

2) Concilium Trid. *Sess. VII. Can. I De Confirmatione.*

conscientia ejusdem et attritione, Confirmatio manet informis; characterem imprimit, et non justificat.

CAPUT II.

DE ELEMENTIS OBJECTIVIS CONFIRMATIONIS

91. **Principia. I.** Materia remota certe valida Confirmationis est chrisma, ex oleo et balsamo confectum, ab Episcopo ad usum hujus sacramenti consecratum.

II. Materia proxima certe valida est unctio confirmandi in fronte, immediate facta a ministro in modum crucis, simul cum manus impositione.

III. Forma certe valida Confirmationis est : « Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

92. **Quæstiones** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Quænam sint elementa certe, quænam probabiliter, essentialia ad materiam remotam Confirmationis ?

Resp. a) Certe essentiale est quod adhibeatur oleum olivarum. — *b*) Probabiliter essentiale est, et ideo certe præceptivum *sub gravi*, quod oleo sit admixtum balsamum, seu habeatur chrisma. — *c*) Certe præceptum est *sub gravi*, et probabiliter ad validitatem necessarium, quod chrisma sit consecratum ab Episcopo [1].

Consequenter quidam putant hoc sacramentum conferendum non esse, si desit unum ex elementis probabiliter essentialibus; cum necessarium non sit ad æternam salutem; quod si absque aliquo ex his elementis collatum fuit, iterari potest sub conditione.

93. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quænam sint elementa certe, quænam probabiliter, essentialia in applicatione materiæ Confirmationis ?

Resp. a) Certe essentialis est unctio, et quidem immediata, facta a ministro; item ea manus impositio, quæ super confirmandum fit simul cum unctione [2]. — *b*) Probabilissime essentiale est, et certe præceptivum, quod unctio fiat in fronte; probabiliter, quod fiat in modum crucis. Certe utrumque est præceptivum *sub gravi* : alapa nonnisi *sub levi*.

94. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Quænam sint verba certe, quænam probabiliter, essentialia in forma Confirmationis ?

Resp. Certe essentialia sunt ea « confirmo te »; probabilissime et illa « chrismate salutis », et « signo te »; probabiliter et alia « in

1) Codex *Can. 781 § 1.* — Ad iceitatem chrisma debet esse recens, consecratum in Cœna Domini proxime elapsa. Cf. Zanin. *Num. 1975.*

2) Benedictus. XIV. Const. *Ex quo primum Num. 15;* Palm. apud Ball. *10.*

nomine Patris », etc. Hinc certe peccaret Episcopus aliqua omittens e prædictis, hac ratione exponens sacramentum periculo invaliditatis. Præceptiva certe sunt ea « chrismate salutis ». Juxta quosdam essentialia sunt tantum ea: « Confirmo te chrismate salutis » [3].

CAPUT III.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

95. **Principia. I.** Ordinarius Confirmationis minister est solus Episcopus [1]: ipse vero legitimus est in sua diœcesi in locis quoque exemptis, et etiam quoad extraneos, nisi obstet expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio [2].

II. Extraordinarius Confirmationis minister est presbyter, cui vel jure communi vel peculiari Sedis Apostolicæ indulto ea facultas concessa sit [3].

96. **Quæstiones** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum Episcopus obligatione teneatur hoc sacramentum suis subditis ministrare?

Resp. Generatim loquendo, *affirmative*, et quidem ex justitia. Licet enim hoc sacramentum non sit necessarium ad salutem, tamen rationabiliter ipsum petunt fideles, tamquam medium a Christo ad eorum spiritualem utilitatem institutum. Hinc tenetur aliquoties suis diœcesanis opportunitatem præbere hoc sacramentum suscipiendi; præsertim tempore visitationis diœceseos, quam peragere debet saltem singulis quinquenniis. — Tamen difficile est determinare quænam sit in hac obligatione materia gravis: certe leviter peccat Episcopus, si singulis rationabiliter petentibus sacramentum non conferat; dummodo commode possit conferre.

Nulla autem ei incumbit obligatio confirmandi infirmos moribundos; cum hæc obligatio sæpe eidem gravissimum onus inferre possit, et agatur de sacramento non omnino necessario [4].

CAPUT IV.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS

97. **Principia. I.** Subjectum capax Confirmationis est omnis homo baptizatus, nondum confirmatus.

II. Ut adultus valide Confirmationem suscipiat, debet habere intentionem saltem habitualem aut interpretativam suscipiendi hoc

3) D'Annibale *Num. 281;* Gén. *161;* Noldin *88.*

1) Codex *Can. 782 § 1,* ex Conc. Trid. *Sess. VII. Can. 3 De confirmatione.*

2) Codex *Can. 783 § 1, 792.*

3) Codex *Can. 782 § 2.* — Cf. Lehmk. *Num. 89;* Marc. *1497;* etc. Episcopi concessio invalida esse videretur.

4) Codex *Can. 785 § 1,* coll. *Can. 343 § 1.*

sacramentum : ut suscipiat licite et fructuose, debet esse in statu gratiæ constitutus et sufficienter instructus, et ea credere quæ credenda sunt necessitate medii.

98. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Confirmandi non sunt neophyti, qui in articulo mortis plane rudes baptizantur, quin in rebus fidei instrui possint : facile enim carere possunt intentione suscipiendi hoc sacramentum, quod alioquin non est absolutæ necessitatis.

2.ª Si Confirmationem accipiat adultus in peccato mortali, valide confirmatur ; tamen, si est in bona fide, sacramentum accipit informe ; si in mala fide, fit reus sacrilegii.

3.ª Si quis hoc sacramentum suscepturus reus sit peccati mortalis, tenetur antea seipsum justificare, sive per sacramentum Pœnitentiæ, sive per contritionem perfectam.

4.ª Ut sacramentum Confirmationis informe reviviscat, non est sufficiens attritio ; requiritur aut perfecta contritio, aut sacramentalis absolutio.

99. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum confirmari possint infantes et perpetuo amentes ?

Resp. a) Quoad amentes, *affirmative ;* tum valide, tum licite. — *b*) Quoad infantes, *affirmative*, quantum spectat ad validitatem : quantum spectat ad liceitatem, nobis sequenda praxis Ecclesiæ Latinæ, in qua « Confirmationis administratio ad septimum circiter annum differtur ; nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis articulo sit constitutus, vel ministro id expedire ob justas et graves causas videatur » [1] : hoc postremum facile continget in missionibus, ubi Episcopus raro hoc sacramentum conferre possit.

100. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum exsistat obligatio gravis suscipiendi sacramentum Confirmationis ?

Resp. 1.° Certe nulla habetur necessitas medii, cum hoc sacramentum supponat subjectum esse in gratia ; ac proinde simul esse in statu salutis æternæ.

2.° Num exsistat obligatio ex præcepto, inter theologos disputatum fuit. Affirmavit S. Alphonsus ex Bulla Benedicti XIV *Etsi pastoralis* : at argumentum certe infirmum est [2]. Hinc recentes in eo conveniunt omnes non haberi obligationem gravem. Quidam affirmant adesse obligationem levem : at hæc difficilius demonstratur, quam gravis.

3.° Certe peccatum est, et quidem grave, hoc sacramentum contemnere, atque ex contemptu respuere. Contemptui affinis est neglectus : at, dum ille consistit in actu positivo, hic est in defectu debitæ æstimatio-

1) Codex *Can. 788.* — Cf. Gennari *Cons. mor. LXXXV ;* Gen. *193.*

2) S. Ligorius *Num. 191 ;* Marc. *1501.* — Negaverat S. Thomas *Qu. 72 art. 1 ad 3 ;* et *art. 8* ad 4 ;eumque 5 ecuti fuerant plerique et gravissimi theologi : affirmaverat S. Bonaventura cum aliis. Negant recentes Noldin *92 ;* Gen. *104 ;* Seb. *675.*

nis, et facilius poterit esse veniale: hinc, qui omittat, quia contemnit, certe peccat mortaliter; qui omittit, quia negligit, peccare potest venialiter. Porro talis neglectus habetur in eo, qui, cum opportunam habeat occasionem accipiendi, accipere omittit: « Nemini licet, oblata occasione, illud (sacramentum) negligere » 3.

4.° Licet non habeatur obligatio, saltem gravis, accipiendi *per se*, haberi poterit per accidens; puta, ratione peculiaris periculi amittendi vel negandi fidem, ratione scandali, etc.

Practice: *a*) Si quis adultus sciat se confirmatum non fuisse, aut de validitate acceptæ Confirmationis dubitet, hortandus quidem est, ut, omni superata desidia ac verecundia, hoc sacramentum postulet et accipiat, præsertim, si in periculo mortis versetur, aut velit Matrimonium contrahere 4: at, si renuat, non licet eidem conscientiam ingerere peccati mortalis. — *b*) Tamen generatim non habentur immunes a peccato, et quidem *per se* gravi, parentes, qui aut non curent aut positive renuant suis filiis hoc sacramenthum procurare. Hi enim tenentur ex virtute pietatis eisdem procurare, non modo quæ necessaria sunt, sed etiam quæ valde conferunt ad vitam christianam in ipsis firmandam et fovendam.

101. **Scholion**. — *De patrino*. « Ex vetustissimo Ecclesiæ more, ut in Baptismo, ita etiam in Confirmatione, adhibendus est patrinus, si haberi possit » 5. Obligatio, juxta plures, gravis est.

1.° Ut quis possit hoc munere fungi, debet esse baptizatus et confirmatus: non sit pater, mater, conjux confirmandi; sit ejusdem sexus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur 6.

2.° A munere patrini in Confirmatione excluduntur generatim quicumque ab hoc munere excluduntur in Baptismo: insuper patrinus Confirmationis alius sit a patrino Baptismi, nisi rationabilis causa aliud suadeat 7.

3.° Ut quis de facto hoc munere fungatur, debet habere intentionem id munus gerendi; insuper in ipso actu Confirmationis debet confirmandum tangere, physice per se vel per procuratorem 8; ad quod satis est quod manum dexteram super ejus humerum dexterum ponat.

4.° « Ex Confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi ejusque christianam educationem curandi » 9. Nullum tamen exinde oritur impedimentum matrimoniale.

3) CODEX *Can. 787.* — Statum quæstionis, tum quoad auctores, tum quoad rationes, optime exponit FERRERES *Num. 358, sequ.*

4) Si agatur de sacra ordinatione, Episcopus consulat CONC. TRID. *Sess. XXIII. Cap. IV. De reform;* CODEX *Can. 974.* — Dicimus *Num. 449-568.*

5) CODEX *Can. 793.*

6) CODEX *Can 795 n. 1, 3; Can. 796, n. 2.*

7) CODEX *Can. 790, coll. Can. 765 n. 2,* et *Can. 796 n. 2.*

8) CODEX *Can. 795 n. 1. 5.*

9) CODEX *Can. 797.*

TRACTATUS TERTIUS

DE SS. EUCHARISTIA

102. Maximum omnium sacramentorum est *Eucharistia;* eo quod ceteris sacramentis multipliciter antecellat. Sane hoc sacramentum, non tantummodo gratiam, sed ipsum gratiæ auctorem continet et confert: ipsum finis est, ad quem cetera ordinantur; ipsum corona, quæ aliorum effectum, hominis conjunctionem cum Deo, perfectius et sublimius attingit; ipsum donum infiniti valoris, in quo sapientia et potentia et bonitas Dei suas quodammodo vires ommes exseruerunt; ipsum summum divinæ caritatis argumentum, in quo, docente Tridentino Concilio, « Salvator noster.... divitias divini sui erga homines amoris velut effudit ».

103. Denique Eucharistia ceteris sacramentis principaliter antecellit in hoc, quod et sacramentum est, et sacrificium. Eucharistia enim rationem sacramenti habet; quatenus ritu sensibili conficitur et, post confectionem permanens, ad usum et sanctificationem hominis ordinatur. Simul rationem habet sacrificii; quatenus per ipsam confectionem et consecrationem Deo hostia offertur, adeo ut victima in sacrificio novæ legis Deo oblata sit ipse Christus eucharisticus, seu sacramentaliter exsistens [1]. — De utraque ratione separatim.

SECTIO PRIMA

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO

CAPUT I.

DE NATURA ET VERITATE EUCHARISTIÆ

104. *Eucharistia* definiri potest « Sacramentum novæ Legis, quo corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini continetur ad spiritualem animæ refectionem [1]. Inde patet differentia specialis hujus sacramenti a ceteris. Sacramentum heic est, non ritus ille, quo panis et vinum consecratur in corpus et sanguinem Christi; neque ritus ille, quo corpus et sanguis Christi sub speciebus applicatur subjecto: sed sacramentum ratione signi sunt ipsæ species [2], ratione efficaciæ est ipsum

1) S. Thomas *P. 3, Qu. 73-83;* S. Lig. *VI. Num. 189-424.*
1) Concilium Trid. *Sess. XIII. De Euchar. Cap. I.*
2) Cf. Catechismus Conc. Trid. *P. II. Cap. IV. Num. 8.*

corpus et sanguis Christi sub speciebus permanens. Hinc triplex veluti stadium distingui potest: Sacramentum *in fieri*, seu ejusdem confectio; sacramentum *in facto esse*, quod est sacramentum permanens sensu maxime proprio sacramentum; *usus sacramenti*, seu sacramenti permanentis collatio ex parte ministri, ejusque susceptio ex parte subjecti.

Præmittimus veritates præcipuas in Concilio Tridentino definitas; quarum demonstratio et expositio penes theologos dogmaticos.

105. **Quae sunt de fide: I.** In sacramento Eucharistiæ continetur vere, realiter, substantialiter corpus et sanguis Christi una cum anima ac Divinitate, ac proinde totus Christus.

II. In sacramento Eucharistiæ, peracta consecratione, corpus et sanguis Christi exsistit, non modo in usu dum sumitur, sed permanenter.

III. In sacramento Eucharistiæ, licet vi verborum sub speciebus panis fiat præsens corpus Christi, sub speciebus vini sanguis, tamen vi naturalis connexionis et concomitantiæ totus Christus præsens fit sub utravis specie, imo, saltem facta separatione, sub qualibet utriusve speciei parte.

IV. Christus in Eucharistia præsens fit, non per coëxsistentiam corporis et sanguinis Christi cum pane et vino, sed per veram conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis Christi.

106. **Consectaria.** — 1.um Christus in SS. Eucharistia adorandus est cultu latriæ.

2.um Christus tamdiu remanet in corpore sumentis, quamdiu ibi remanent species incorruptæ. Relate ad hunc incorruptionem, quoad laicos docti nutant inter minutum et quadrantem; quoad sacerdotes, certe corruptio differtur; at quod usque ad semihoram, ut quidam vellent, nimis esse videtur [3]. Ceterum hortandi fideles, et in primis sacerdotes, ut mora convenienti a cibo sumendo abstineant.

3.um Pia et probabilis opinio est, consequi nova gratiæ augmenta *ex opere operato* eum, qui tempore, quo species inconsumptæ manent, se novis actibus melius disponit [4].

4.um Ableganda est opinio rosminiana, quod vi verborum non totum Christi corpus præsens fiat sub speciebus panis, sed ea corporis mensura, quæ respondet volumini panis; reliquum vero corporis per concomitantiam.

5.um Fideles laici Eucharistiam sub unica specie panis accipientes,

3) Cf. Sebastiani *Num. 435, pag. 385 Nota 1.*
4) Cf. Franzelin *De Euch. Th. XVII. Coroll.*; De Lugo *XII. Sect. II. 46.*

totum Christum accipiunt, Deum et hominem.

6.um In qualibet utriusvis speciei parte jam ante separationem Christus totus et integer exsistit.

7.um Ableganda conjectura rosminiana, quod substantia panis et vini fiat caro et sanguis Christi, quia Christus eam facit terminum sui principii sentientis. Multo magis abjicenda est altera, quod, peracta transsubstantiatione, corpori Christi glorioso pars aliqua adjungatur in ipso incorporata, indivisa pariterque gloriosa [5].

CAPUT II.

DE ELEMENTIS OBJECTIVIS EUCHARISTIÆ

ART. I. — DE MATERIA EUCHARISTIÆ

107. **Principia. I.** Materia remota valida sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus et vinum de vite. Patet ex ipsa Christi institutione, et ex definitionibus Ecclesiæ [1].

II. Materia remota licita, quoad primam partem, pro sacerdotibus ritus latini est panis azymus; quoad alteram, est vinum, cui modicissima aqua, ex præcepto Ecclesiæ, misceatur [2]: quoad utramque materia debet esset munda ac decens.

III. Materia proxima valida est materiæ remotæ praesentia relate ad ministrum; præsentia tum *realis*, qua materia adhibenda designari ab eo possit, tum *formalis*, qua reapse designetur, per pronomina demonstrativa « hoc, hic ». Quantum ad liceitatem, materia adhibenda debet esse super altare, super petram sacram, super corporale, et in vase sacro.

108. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Quia panis triticeus est « pulmentum, ex farina tritici [3] et aqua, coctum igne puro », ideo materia invalida esset panis ex hordeo, millio aut avena; item pulmentum ex farina triticea crudum, aut elixum in oleo, butyro, aqua, adipe, vel quolibet alio liquore.

2.ª Si panis confectus sit ex farina triticea, cui in notabili quantitate commixta fuerit materia aliena, puta farina ex pomis terrestribus aut

5) Sunt *Propp. 29, 30, 31,* damnatæ in decreto *Post obitum;* quas perpendit *Trutina theol. Num. 314-420* (Romæ 1892).

1) MATTH. *XXXVI. 26-28;* MARC. *XIV. 2224;* LUC. *XXII 19, 20; I.* COR. *XI. 24-25.* — Cf. CONC. FLOR. Decr. pro Armenis CONC. TRID. Sess. *XIII;* CODEX *Can. 801.*

2) Ratio tripex apud CONC. TRID. *Sess. XXII. De sacrif. Missæ Cap. VII.*

3) Latine *frumentum* est seges quælibet emittens aristas; frumenti autem nobilissima genus est *triticum*: at. in Italia usu communi *triticum* dicitur *frumento.*

gypsum vel alia substantia mineralis, materia, dubia est, et proinde semper graviter illicita 4.

3.ª Si in pane conficiendo pro aqua naturali adhibita fuerit aqua rosacea vel vinum, aut lac, butyrum, etc., materia saltem dubia est, et proinde semper illicita.

4.ª Si panis sit substantialiter corruptus, consecratio certe invalida est.

5.ª Vinum arte chymica confectum, licet iisdem elementis constet, quibus vinum de vite, est materia invalida: item sicera, cerevisia, aut etiam succus expressus ex uvis acerbis, spiritus ex vino vitis extractus.

6.ª Valida materia est vinum, cui admixta fuerit aqua in parva quantitate, adeo ut communi hominum sensu dicatur esse verum vinum: item, si admixtum fuerit saccharum aut alcool, vel alius liquor.

7.ª Item est materia valida vinum expressum ab uvis passis vel exsiccatis, aut ex zibbibo; dummodo ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum 5.

8.ª Non est materia valida vinum, quod fuerit substantialiter corruptum; sive in acetum conversum fuerit, sive eidem admixtæ fuerint materiæ extraneæ provocantes fermentationem.

109. *Ex Princ. II.* — 1.ª Tum ratione vitandi periculum invaliditatis, tum ratione reverentiæ debitæ huic sacramento, materia panis et vini debet esse munda, h. e., immunis a quavis materia extranea et a quocumque initio corruptionis.

2.ª Consequenter panis debet esse recens; ut non excedat quindecim dies, aut ad summum mensem a confectione: vinum defæcatum sit, et non acescens.

3.ª Sacerdos peccat contra reverentiam debitam sacramento, si utatur pane aut vino nonnihil mucido; si vinum conservet in urceolis immundis; si immundum adhibeat corporale, etc. Peccatum poterit esse veniale; præsertim, si agatur de sacerdote, qui subesse debeat superiori, parocho aut rectori ecclesiæ; at a peccato non eximuntur isti.

110. *Ex Princ. III.* — 1.ª Sufficienter præsens est realiter materia, quæ posita sit super altare; ex. gr., particulæ in pyxide aut etiam in capsula chartacea extra corporale, vinum in calice cooperto, vel in urceolis; item una hostia sub alia vel sub corporali.

2.ª Materiæ præsentes realiter non sunt præsentes formaliter, nisi sacerdos eas intendat per pronomina « hoc, hic » designare: multo minus, si eas a sua intentione excludat. Ita particulæ in capsula chartacea inclusæ et a sacrista positæ super altare, præsentes quidem sunt realiter, at non formaliter; certe enim eas sua intentione non comprehendit sacerdos: idem dicatur de vino in urceolis.

3.ª Excepto casu intentionis positive excludentis, sunt præsentes

4) S. Inqu. in *Instr.* data Ordinariis 30 aug. 1901, eos hortatur ad vigilantiam circa genuinitatem materiæ. — Cf. GENNARI *Cons. mor. CXX.*

5) S. Inqu. diebus 22 jul. 1706, 10 apr. 1889. GENN. *Cons. mor. CV.*

formaliter particulæ inclusæ pyxidi, quam sacerdos ex oblivione non aperuit; item particulæ super corporale, quas sacerdos putet esse tres, dum sunt quatuor.

111. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum sit materia valida panis, qui fiat ex farina segetum aliarum a tritico proprie dicto (*frumento*)?

Resp. Negative; nisi quæstio fiat de nomine 6. Plures enim sunt varietates frumenti, ita tamen inter se affines, ut quælibet varietas usu communi appelletur *frumentum*, et cibus ex earum farina confectus dicatur *panis*. Verum fruges in usu communi habitæ ut aliæ a frumento, non præbent farinam aptam pani, et cibus ex illis non dicitur panis: ejusmodi sunt hordeum, secala, millium, melica. Quædam vero accedunt frumento, quin proprie sint ac dicantur frumentum; proinde panis ex illis confectus erit materia dubia, qua numquam uti licet: ejusmodi sunt siligo et spelta 6.

Qu. 2. An sit valida consecratio unius speciei sine altera?

Resp. Si id casu accidat, affirmant omnes. Si id fiat a sacerdote sciente et volente, adhuc affirmandum esse videtur: nulla enim ratio est, qua minister formam proferens super aptam materiam cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non perficiat sacramentum. Ceterum id numquam licet, etsi secus infirmus absque viatico moriturus esset 7.

112. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum quandoque liceat sacerdotibus ritus latini uti in consecratione pane fermentato?

Resp. Unicus casus esset necessitas integrandi sacrificium; casus, nempe, quo sacerdos post consecrationem vini advertat se adhibuisse hostiam substantialiter corruptam, et non possit panem azymum habere. Ceterum id non liceret, sive ad viaticum infirmo ministrandum, sive ad hoc ut populus Missam die festo audire possit 8.

Qu. 2. Utrum quandoque liceat uti vino alcoolizato?

Resp. Affirmative, quando causa gravis habeatur, et ipsum alcool sit ex genimine vitis. Causa sufficiens esset, ut vinum debile conservari possit; in quo casu alcool admisceri potest in ea quantitate, qua simul cum alcool naturali non excedat proportionem duodecim pro centum. Imo, ut vina generosa in dissitas regiones transvehi possint, concessum fuit ut ea quantitas adjiciatur, quæ simul cum alcool naturali non excedat proportionem septemdecim vel octodecim: Immixtio in primo casu fieri debet, quando vinum est valde recens; in altero, quando defervescere cœperit fermentatio tumultuosa 9.

Qu. 3. Utrum graviter peccet sacerdos consecrans vinum acescens?

Resp. De hac re ita statuit rubrica Missalis: « Si vinum cœperit

6) Quod est certe triticum, licet vocetur *spelta siligo,* est materia sufficiens.
7) Codex *Can. 817.* — Quoad validitatem, Ball. ad Gury *Num. 95, 4.*
8) S. Ligorius *Num. 203,* Gén. *170;* Ferr. *375 Qu. 3.*
9) Sacra Inqu. 31 jul. 1890, 7 aug. 1896. — Cf. S. Off. 2 aug. 1922 apud *Monit eccles.* XXXV. 289.

acescere,... vel fuerit aliquantulum acre,... conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat ». Porro hanc rubricam theologi ita interpretantur, ut dicant peccatum esse mortale, si vinum fuerit aliquantulum acre, h. e., jam ingressum sit limites acrimoniæ vel corruptionis. At quoad primam partem rubricæ, nempe, si vinum cœperit acescere, eo sensu quod est in via ad acrimoniam, acre tamen non est, iidem theologi dicunt non esse peccatum mortale. Imo, si non habeatur vinum purum, et simul habeatur celebrandi necessitas, puta ut fideles Missam die festo audiant, quidam dicunt licitum esse uti vino acescente paulisper, alii et vino acescente notabiliter aut aliquantulum acido 10. — Nec licet uti vino, a quo sublata fuit acescentia per bicarbonatum sodicum aut calcicum 11.

Qu. 4. Quanta sit obligatio permiscendi aquam in vino?

Resp. Ex omnium theologorum consensu gravis est. Licet enim ejus materia in se levis sit, tamen fit gravis ex fine intento ab Ecclesia, qui est ut significentur sanguis et aqua, quæ de latere Christi profluxerunt. Obligatio adeo gravis habetur, ut deficiente aqua non liceat Missam celebrare ut populus audiat, vel ut infirmus viaticum accipiat, ac, si forte Missa incepta sit, ea sit suspendenda. Si forte celebrans oblitus fuerit, eam infundere debet ante consecrationem calicis. — Cavendum, ne ex quantitate aquæ reddatur dubia materia; una vel altera guttula sufficit.

113. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Utrum habendæ sint ut consecratæ particulæ positæ in pyxide vel super patenam, quæ ex oblivione sacerdotis relicta fuerit extra corporale?

Resp. Cum hujusmodi particulæ sint præsentes realiter, quæstio reducitur ad præsentiam formalem, seu ad intentionem sacerdotis circa illas. Itaque:

1.° Certe non sunt consecratæ, si sacerdos semel pro semper decrevit se non consecraturum, nisi materias positas super corporale.

2.° Certe sunt consecratæ, si sacerdos semel pro semper in prævisione hujus casus possibilis, decrevit se velle et in eo casu eas consecrare.

3.° Si nihil umquam sub forma generali decreverat, recurrendum est ad extensionem præsumptam intentionis consecrandi, quæ tunc relate ad eas particulas non est actualis, sed potest esse virtualis: *a*) Certe præsumi non potest voluisse consecrare particulas inclusas capsulæ chartaceæ positæ super altare a sacrista; nec guttulas vini calici adhærentes extrinsecus 12. — *b*) Difficile est præsumere quod voluerit consecrare particulas pyxidi inclusas, quas sacrista posuit super altare, quarum sa-

10) S. Ligorius *Num. 207.* — Cf. D'Ann. *385, 21;* Noldin *108.*

11) Cf. Genn. *Cons. lit. XLVIII.* — S. Off. 9 maji 1892.

12) Particula, quam sacerdos teneat in marsupio, dum in cappella remota Missam celebrat ad viaticum infirmo ministrandum, præsens quidem est realiter, at certe ad eam non refertur intentio sacerdotis.

cerdos prorsus inscius est; puta, quia cæcutiens. — c) Relate ad particulas in pyxide, quas sacerdos jam novit positas fuisse super altare, aut forte posuerat ipse cum intentione ponendi eas suo tempore super corporale, nobis videtur præsumendum quod consecrare eas voluerit, etiam in hypothesi quod extra corporale pyxis remanserit ex oblivione. Ratio est, quia antecedenter intentionem fecit consecrandi; et, quamvis ea consecratio habeat adnexum inconveniens violatæ inculpabiliter legis positivæ Ecclesiæ, tamen non consecratio earumdem adnexa habere potest, et generatim habet, inconvenientia longe graviora; puta, si adsint fideles communicandi, qui communionem differre non possint; si facienda sit communio generalis; si non adsit alius sacerdos celebraturus; si agatur de hostia majori mox post Missam solemnem exponenda pro adoratione XL horarum; etc. In conflictu inter inconvenientia diversa, præsumendus est sacerdos voluisse permittere levius, ut vitaret graviora.

Unica ratio in contrarium est, quia ea volitio contraria esset legi Ecclesiæ. — Jamvero, etsi contraria sit, tamen est volitio actionis inculpabilis, et ex causa gravi. Præterea, si quid ea ratio valet, probaret non esse consecratum vinum, si absque culpa celebrantis contineatur calice non consecrato; probaret esse invalidas Missas in casu (non hypothetico) quod lapis altaris sit exsecratus; non esse consecratas particulas in pyxide posita super corporale, at clausa ex oblivione tempore consecrationis [13].

Tamen negari non potest opinioni contrariæ probabilitas; ideoque particulæ illæ, juxta plures, habendæ essent ceu dubie consecratæ.

Practice ad tollendas anxietates censemus opportunas esse et licitas sequentes intentiones faciendas semel pro semper: *a*) Intendo consecrare hostiam majorem positam in sua lunula et capsula, et omnes particulas positas in pyxide aut alio calice; dummodo aut a me, aut a sacrista, etiam me non advertente [14], positæ fuerint super altare. — *c*) Non intendo consecrare micas panis ab hostia vel a particulis separatas, etiam quæ sint super corporale: — *d*) Non intendo consecrare guttulas vini interius calici adhærentes, at a massa vini separatas.

Qu. 2. Quid agendum de particulis dubie consecratis?

Resp. Sacerdos potest eas (nisi quamplurimæ sint) sumere post sumptum Sanguinem ante purificationem. Item potest in altera Missa eas Hostiæ consecrandæ apponere, suamque intentionem conditionatam ad eas quoque extendere. At non videtur licitum eas post consecrationem vini nova ac separata consacratione consecrare: videretur enim novum sacrificium inchoari ac incompletum relinqui [15].

13) Cf. Ballerini *Num. 59-62;* Lehmk *125;* Noldin *113, sequ.*

14) Si cui haec intentio pro altero casu non placet, eam excludat positive: « Non intendo consecrare, si positæ fuerint a sacrista, me non advertente ». Ceterum cf. Ball. *Num. 56.*

15) Id fieri posse censet Noldin *Num. 103, 118.* At cf. Verm. *380.*

Qu. 3. Quo modo facienda sit consecratio particularum, quæ admixtæ sint aliis particulis consecratis ?

Resp. In primis hujusmodi commixtio fieri non debet, eo quod irreverentiam continet contra SS. Sacramentum. Si facta fuerit, theologi præferunt quod sacerdos formam super omnes particulas proferat intendens omnes consecrare conditionate ; nempe, si non sunt consecratæ : alii præferunt intentionem absolutam, qua intendat consecrare particulas non consecratas. — Utrovis modo fiat, non videtur dubitandum de valore consecrationis.

Qu. 4. Utrum *sub gravi* obligent rubricæ de loco, in quo collocanda est materia consecranda ?

Resp. Communiter censent theologi obligare *sub gravi* rubricas de collocanda materia in altari ; item super corporale et in vase sacro (calice consecrato, pyxide benedicta). Quoad rubricam de collocanda materia super lapidem sacrum, ea obligare censetur *sub gravi* relate ad hostiam majorem et calicem ; minime vero relate ad particulas, saltem probabiliter.

ART. II. — De forma Eucharistiæ

114. Pro duplici hujus sacramenti materia duplex habetur forma : altera pro consecratione panis, altera pro consecratione vini.

Principia. I. Forma certe essentialis et valida pro consecratione panis est : « Hoc est corpus meum » ; pro consecratione vini : « Hic est calix sanguinis mei ». Ratio est, quia hæc verba omnia et sola significant id, quod efficiunt ; efficere autem debent præsentiam corporis et sanguinis Christi [16].

II. Formæ essentiali pro consecratione panis præmittenda sunt ex præcepto Ecclesiæ ea verba : « Qui pridie quam pateretur », etc. Item formæ essentiali pro consecratione vini præmittenda sunt verba : « Simili modo », etc. ; addenda alia « novi et æterni testamenti », etc.

115. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Si sacerdos ex errore involuntario super panem proferat verba « hic est enim calix sanguinis mei » nec panem consecrat, nec vinum : non panem defectu formæ ; non vinum defectu intentionis.

2.ª Consecratio invalida est, si pro verbis allatis proferantur verba significantia aliquid aliud. Ita si dicat « corpus meum hoc est »..... « hic sanguis est meus »..... « hic (adverbialiter) est corpus meum » ; « hoc est corpus Christi »..... « hoc corpus meum ».

16) Cf. S. Thomam *Qu. 78, art. 5.* — Quod ad essentiam non spectet subsequens in liturgiis orientalibus *invocatio Spiritus sancti*, probant theologi. — Cf. Franzelin *De Euchar. Th. VII.*; Billot *Th. XLIX* § *1.*

116. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Qua intentione proferenda sint verba utriusque formæ ?

Resp. Breviter : intentione *faciendi*, quod Christus fieri voluit, vel quod facit Ecclesia : non intentione recitandi historice quod Christus fecit et dixit in ultima cœna. Quare sacerdos, recitans historiam institutionis hujus sacramenti, personam Christi assumit, ac dicendo : « Hoc est corpus meum »..... « hic est calix sanguinis mei », intendit efficere, ut ibi realiter adsit corpus et sanguis Christi. — E pluribus speciebus intentionum, ad validitatem sufficit *virtualis;* quamquam distractio voluntaria gravius peccatum sit in hoc sacramento, ratione periculi errandi in substantialibus [17].

117. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum recitatio verborum aliorum, præter essentialia, sit vere præceptiva, et utrum *sub gravi* ?

Resp. Generatim *affirmative* ad utrumque [18] : at omissio vocis « enim » non habetur ut gravis ; quod dici quoque poterit de uno vel altero inciso, quod forte omittatur ex negligentia non inculpabili.

CAPUT II.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ

118. Eucharistia spectari potest sub triplici ratione : prout est sacramentum *in fieri;* prout est sacramentum *in facto esse;* prout est sacramentum *in usu*. Ideo et minister hujus sacramenti spectari potest sub triplici respectu, quem habet : *a*) ad sacramenti confectionem seu consecrationem ; *b*) ad sacramenti permanentis conservationem ; *c*) ad sacramenti distributionem.

ART. I. — DE MINISTRO CONSECRATIONIS EUCHARISTIÆ

119. **Principia. I.** Omnes et soli sacerdotes possunt valide consecrare Eucharistiam. Quod consecrare possint soli sacerdotes, definitum fuit in Concilio Lateranensi IV : quod possint omnes, patet ex eo quod character Ordinis indelebilis est.

II. Ad hoc ut sacerdos Eucharistiam licite consecret, requiritur : *a*) quod sit in statu gratiæ ; *b*) quod nullâ censurâ irretitus sit, neque ulla lege positiva Ecclesiæ a celebrando prohibeatur ; *c*) quod et consecrationem et integram Missam celebret juxta ritus ab Ecclesia præscriptos [1].

17) Cf. S. LIGORIUM *Num. 224* : at quod distractio voluntaria sit peccatum mortale *ratione irreverentiæ*, hoc non omnes admittunt.

18) Imo quidam volunt verba « novi et æterni testamenti » etc. spectare ad essentiam quod sententia communior negat Cf. LEHMK *129;* GEN. *176 II.*

1) Resolutiones dabuntur in altera sectione.

ART. II. — DE MINISTRO QUOAD ASSERVATIONEM EUCHARISTIÆ

120. « Sanctissima Eucharistia *a*) custodiri debet in Ecclesia cathedrali, in Ecclesia principe Abbatiæ vel prælaturæ *nullius*, Vicariatus et Præfecturæ Apostolicæ, in qualibet ecclesia parœciali vel quasi-parœciali, et in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum, sive virorum sive mulierum; *b*) custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali, sive publico, sive semi-publico, tum domus piæ aut religiosæ, tum collegii ecclesiastici quod a clericis sæcularibus vel a religiosis regatur. — *c*) Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis coustodiri possit, necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantum ecclesiæ aut oratorio publico ex justa causa et per modum actus » 2.

121. Posito, quod in ecclesia SS. Eucharistia asservetur, parocho, aut rectori ecclesiæ incumbunt graves obligationes, ut curent eam rite asservari; quarum aliæ sunt ex jure naturali, aliæ ex legibus positivis Ecclesiæ:

1.ª *Sacræ species* sint ex farina triticea, mundæ, ac recentes. Eædem frequenter renoventur 3; h. e., saltem alternis hebdomadis: quod conserventur ultra mensem a consecratione, rubricistæ ac plures theologi grave esse dicunt: certe grave est quod conserventur ad duos vel tres menses. Quod si locus sit valde calidus vel humidus, et exinde particulæ brevi incipiant mucescere, erit obligatoria *sub gravi* renovatio frequentior.

2.ª *Pyxis* sit « ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo clausa, albo velo cooperta ». Optandum quod sit ex auro vel argento; at permittitur quod sit ex stamno, imo et ex cupro deaurato. Convenienter, et probabilius de præcepto, benedicenda est; ejusque benedicendæ facultatem habet, qui habet facultatem benedicendi sacra indumenta.

3.ª *Tabernaculum* ex marmore, aut ære, aut ligno sit affabre elaboratum; intus sit circumvolutum velo serico albo, nisi sit inauratum; extra sit coopertum conopeo ad instar tentorii; cujus color potest esse albus, vel (melius) conveniens colori officii cujuscumque diei.

4.ª *Altare*, in quo SS. Sacramentum ordinarie asservatur, sit unum: hoc sit decenter ornatum et mundum, tum in sua materia et forma et superficie, tum quoad tobaleas, candelabra ac cetera ornamenta: coram eo ardeat indesinenter lampas ex oleo olivarum, vel cera apum, vel cum consensu Ordinarii ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus 4. Altare sit septis circumdatum; nec inter ea umquam laici admittantur, præsertim feminæ.

5.ª *Ecclesia* in sua structura et supellectili et munditie et ornatu om-

2) CODEX *Can. 1265* § *1, 2.* — Clausolæ speciales *Can. 1267, 1268.*
3) CODEX *Can. 1272.* — Cf. NOLDIN *Num. 128;* TANQU. *126;* GEN. *184 V.*
4) CODEX *Can. 1271.* — Quod lampas per horas 24 non ardeat, habetur ut grave.

nibus ingredientibus edicat se esse *domum* et *sanctuarium Dei*, ac verum *tabernaculum Altissimi*. Curandum omnino est ut fideles, præter internam devotionem, sua externa compositione et silentio majestatem Dei in tabernaculo latentis revereantur: qua in re parochus ceterique sacerdotes, non scandalo, sed exemplo omnibus esse debent.

ART. III. — De ministro distributionis Eucharistiæ

Ordo naturalis postulat, ut agamus: *a*) De potestate ministrandi Eucharistiam; *b*) de obligatione; *c*) de modo distribuendi.

§ 1. — De potestate ministrandi Eucharistiam.

122. **Principia. I.** Solus sacerdos est minister ordinarius dispensationis SS. Eucharistiæ. Quibus enim verbis Christus potestatem Apostolis dedit consecrandi Eucharistiam, dedit etiam potestatem dispensandi: *Hoc facite in meam commemorationem.*

II. Diaconus, vi acceptæ ordinationis, est minister extraordinarius dispensationis SS. Eucharistiæ; patet ex praxi primitivæ Ecclesiæ, et ex ipsa allocutione Episcopi in ordinatione diaconorum.

III. Parochus, vel ejus superior, est ex jure solus minister legitimus dispensandæ Eucharistiæ in ecclesia parochiali aut alia ipsi subjecta; item communionis præbendæ intra fines paroeciae infirmo per viaticum. Ceterum parochiani extra ecclesiam parocho subjectam licite accipiunt Eucharistiam a quocumque ministro, excepto casu communionis per viaticum.

123. **Quaestiones.**— *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quid requiritur, ut diaconus licite Eucharistiam ministret?

Resp. Ex parte fidelium requiritur causa gravis, at non gravissima: satis esse videtur quod ipsi aut ex præcepto aut ex devotione communionem petant, et nullus sacerdos commode possit eorum petitioni satisfacere: insuper requiritur licentia Ordinarii loci aut parochi; quæ dari potest habitualiter, vel etiam legitime præsumi, si neuter adiri potest. Si agatur de communione præbenda infirmo per viaticum, diaconus deferre postest et debet, si nullus adsit sacerdos, qui deferre possit.

Qu. 2. Utrum possit umquam Eucharistiam aliis distribuere subdiaconus vel clericus?

Resp. Si agatur de communione præbenda moribundo, *affirmative;* dummodo nec sacerdos nec diaconus adsit. Imo quidam id permittunt etiam laico, absente clerico; cum præceptum divinum sumendi Eucharistiam in periculo mortis prævaleat præcepto ecclesiastico prohibendi ne laicus Eucharistiam tangat.

Qu. 3. An possit umquam quis Eucharistiam ministrare sibi?

Resp. Regulariter id unice licet sacerdoti celebranti. Extra celebrationem Missæ, sacerdos et etiam diaconus sibi assumere potest Eucharistiam devotionis causa, deficiente quocumque sacerdote vel diacono; in periculo mortis id posset quicumque clericus, imo et laicus, ad impletionem divini præcepti accipiendi in eo discrimine Eucharistiam 5.

124. *Circa Princ. III. Qu. 1.* Quandonam sacerdos ad ministrandam fidelibus communionem indigeat licentia, saltem præsumpta, parochi?

Resp. a) Quando eam præbeat in ecclesia parochiali aut in alia illi parocho subjecta; *b)* quando communionem deferat publice per modum viatici ad infirmum intra limites paroeciæ eidem subjectæ. Patet hanc licentiam semper jure præsumi, quando secus infirmus probabiliter absque viatico decederet. — Idem jus et officium (cum eadem præsumptione) in religione laicali competit parocho loci, vel cappellano, quem Ordinarius parocho suffecerit 6.

Qu. 2. Utrum admissio puerorum ad primam communionem spectet exclusive ad parochos?

Resp. Juxta præsentem disciplinam, ut pueri ad communionem admittantur, constare debet eos aliquam admirabilis hujus sacramenti cognitionem et gustum habere; horum autem exploratio et constatatio pertinet ad cujuscumque pueri parentes (supponuntur ipsi hanc cognitionem et gustum habere) et confessarium 7. Quare nihil vetat, quominus parentes ac confessarii possint alicui puero communionem concedere in aliena ecclesia, aut id faciant Regulares ac generatim ephebeorum rectores religiosi quoad suos alumnos 8.

Tamen parochi est advigilare etiam per examen,... ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curare ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur?

§ II. — De obligatione ministrandi Eucharistiam.

125. **Principia. 1.** Parochi ceterique sacerdotes curam animarum habentes tenentur ex justitia Eucharistiam suis subditis ministrare, non modo quando hi ex necessitate Eucharistiam sumere debent, sed etiam quoties rationabiliter petunt.

5) S. Ligorius *Num. 237 Qu. 2;* Gen. *182 V;* Lehmk. *136;* Ball. *90.*
6) Codex *Can. 848-850,* coll. *Can. 397 n. 3, 514 § 3.*
7) Codex *Can. 854 § 4.* — Confessarii judicium spectat pueri cognitionem et gustum, non dispositiones ad absolutionem.
8) S. Congr. Epp. et Regg. 14 mart. 1908. — Cf. *Monit eccl.* XXIII. 128.
9) Codex *Can. 854 § 5.* — At non est functio parocho reservata, ex *Can. 462.*

II. Sacerdotes non habentes curam animarum tunc tenentur ex caritate Eucharistiam fidelibus præbere, cum hi versantur in necessitate suscipiendi, illi vero eam præbere possunt absque incommodo relative gravi.

126. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Gravissima est obligatio parochi ministrandi Eucharistiam infirmis periculose decumbentibus: hoc autem, ut hi vitali hoc viatico muniantur, cum ad æternitatem properant et sæpe gravissimis urgentur tentationibus. Imo ad instar boni pastoris tunc debet de periculo suarum ovium investigare, ne hoc salutari remedio, licet inculpabiliter, careant.

2.ª Hæc obligatio parocho incumbit etiam quoad pueros habentes usum rationis, qui « sciant corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare ».

3.ª Parochus satagere debet, ut omnes sui parochiani SS. Eucharistiam tempore paschali suscipere possint ac velint. Hinc eos adhortari et compellere debet, eisque confessariorum copiam præbere.

4.ª Parochus graviter *per se* peccat contra justitiam, si Eucharistiam deneget parochianis rationabiliter petentibus. Ut vero graviter peccet in concreto, necesse est, quod petitio vere rationabilis sit; eique parochus non satisfaciat in materia notabili, sive quoad pluralitatem petentium, sive quoad petitiones unius petentis, ac satisfacere omittat ex positiva voluntate au negligentia graviter culpabili.

127. *Ex Princ. II.* — 1.ª Sacerdos simplex tenetur *sub gravi* Eucharistiam ministrare infirmo moribundo petenti, si parochus absit vel non possit illi Eucharistiam deferre. Tamen ad hoc faciendum non tenetur sese periculo mortis exponere; cum ad salutem æternam illius satis sit, quod ejus confessionem excipiat et absolvat.

2.ª Sacerdos simplex tenetur ex caritate fidelium confessiones excipere tempore paschali; præsertim, cum hodie et penuria habeatur sacerdotum et fideles quocumque prætextu a sacramentis recipiendis facile abstineant. Tamen difficile est de peccato mortali arguere simplicem sacerdotem, qui hoc munus, eo tempore maxime arduum, callide declinet.

§ III. — De modo ministrandi licite Eucharistiam.

128. **Principia. I.** Ut quis licite SS. Eucharistiam dispenset, quantum ad ipsum ministrum, requiritur: *a*) ex jure naturali, quod sit in statu gratiæ; *b*) ex jure positivo, quod nullâ sit censurâ irretitus.

II. Ut quis licite SS. Eucharistiam dispenset, quantum ad actum ministrandi, requiritur: *a*) ex jure naturali, quod nullius legitimum jus violet, ac internæ attentioni et devotioni societ exter-

nam reverentiam; *b*) ex jure positivo, quod rubricas Ritualis et decreta Apostolicæ Sedis ad apicem servet.

129. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Certe peccat saltem venialiter sacerdos, qui Eucharistiam distribuat in peccato mortali; ac toties peccat, quoties iterat functionem distribuendi.

2.ª Sacerdos Eucharistiam ministraturus, si conscientiam habeat peccati mortalis, tenetur se ipsum justificare, aut per sacramentalem confessionem aut per contritionem perfectam.

3.ª Sacerdos, qui sit excommunicatus vitandus aut post sententiam, peccat graviter, si Eucharistiam distribuat ad petitionem *per se* rationabilem fidelium; minime vero, si eam det moribundo, et alii desint ministri: idem dic de suspenso per sententiam.

4.ª Sacerdos excommunicatus aut suspensus toleratus non peccat, si Eucharistiam concedat ad rationabilem fidelium petitionem: hi enim non tenentur prædictos censuratos vitare.

130. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccat graviter sacerdos, qui, parocho invito, alicui ejusdem subdito Eucharistiam dispenset pro viatico.

2.ª Peccat plus minus graviter, tum peccato irreverentiæ in adeo sanctum sacramentum, tum peccato scandali, sacerdos, qui interne et externe indevotus Eucharistiam distribuat, aut ad infirmos deferat.

3.ª Contra legem naturalem et positivam peccat sacerdos Eucharistiam ministrans digitis immundis; aut digitis aliis a pollice et indice specialiter ad hoc sacramentum tractandum inunctis.

4.ª Contra legem Ecclesiæ saltem leviter peccat sacerdos, si Eucharistiam ministret non servatis rubricis et decretis. Indutus sit superpelliceo et stola coloris semper albi vel Officio illius diei convenientis: hinc videtur præferendus color albus, præsertim violaceo.

5.ª Ad infirmos Eucharistia deferatur publice, imo manifeste et honorifice. Tamen, si causa justa et rationabilis aliud suadeat, deferri potest privatim; dummodo reverentiæ ac decentiæ tanto sacramento debitæ consulatur, servatis a Sede Apostolica præscriptis normis. Quod privatim deferatur ad satisfaciendum placitis familiæ, est abusus pro viribus exstirpandus: at non inde privandus communione infirmus innocens.

131. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum graviter peccet sacerdos Eucharistiam distribuens in peccato mortali?

Resp. Duplex habetur sententia, utraque probabilis. Prior affirmat, eo quod manibus immundis (h. e., immundâ conscientiâ) sanctissimam Christi carnem contrectat immediate 10. Altera negat; quia heic non habetur personæ Christi repræsentatio, nec sacramenti confectio, sed pura sacramenti applicatio localis. Cum hæc sententia certe probabilis sit, imo hodie communior 11, *practice* duo consectaria admitti possunt: *a*)

10) S. Ligorius *Num. 35,* simul concedens oppositam sententiam non esse improbabilem.

11) Cf. Ballerini *De sacram. in en. Num. 44-46;* Gen. *115.*

Non peccat graviter sacerdos, qui Eucharistiam contrectet mediate; puta exponendo, transferendo, etc. — *b*) Obligatio sese justificandi ante Eucharistiæ dispensationem aut contrectationem practice gravis non est.

132. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Quibus diebus et horis distribui possit Eucharistia fidelibus petentibus in ecclesia ?

Resp. 1.° Diebus omnibus, præterquam ab expleta Missa in Cœna Domini ad *inter-solemnia* Missæ in Sabbato sancto: at nulla est temporis exceptio quoad viaticum deferendum infirmis.

2.° Regulariter horis, quibus Missa celebrari licet; imo et aliis, si rationabilis causa suadeat. Insuper in illis piis domibus, in quibus una vel tres Missæ permittuntur nocte Nativitatis Dominicæ, ibi poterit simul sacra communio petentibus ministrari 12.

Qu. 2. Quibus in locis ministrari possit SS. Eucharistia ?

Resp. « Sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, justis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit » 13. Insuper, ut viaticum deferatur ad infirmum, Missa in oratorio privato celebrari potest, etiam absente indultario.

Qu. 3. Quid agendum, si sacræ species casu in terram vel super mappas, linteolum aut vestes deciderint ?

Resp. Prius diligenter ipsæ species colligendæ sunt, quantum possibile sit: dein generatim locus aut mappæ, vestes, etc. ablui debent, et ablutio stuppis vel gossypio absorpta comburi debet aut projici in sacrarium.

Qu. 4. Utrum ad cavenda pericula ex aëris intemperie licitum sit Eucharistiam ad infirmos deferre capite tecto ?

Resp. Episcopi id possunt permittere, cum viaticum longe et per villas deferendum est: quod si Episcopus adiri non potest, quidam affirmant parochum id posse ex epikeia, quando ejusmodi ei ex intemperie tale impenderet periculum, ex quo permittere posset infirmum absque viatico decedere 14. Addunt nonnulli id licere etiam ad procurandam infirmo impletionem præcepti paschalis.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO EUCHARISTIÆ

Dicendum: *a*) De capacitate; *b*) de obligatione accipiendi Eucharistiam; *c*) de dispositionibus requisitis, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis.

12) Codex *Can. 867 4*, coll. *821, n. 3.* — S. Off. 1 aug. 1907.
13) Codex *Can. 869*: at simul cf. *Can. 868.*
14) D'Annibale *Num. 407, 8;* Lehmk *140;* Gen. *186* et *Casus 673.*

ART. I. — DE CAPACITATE SUBJECTI RELATE AD EUCHARISTIAM

133. **Principia. I.** Omnis et solus homo baptizatus jure divino est subjectum capax suscipiendi sacramentum Eucharistiæ.

II. Jure ecclesiastico prohibentur Eucharistam suscipere: *a*) pueri, qui propter ætatis imbecillitatem hujus sacramenti cognitionem et gustum non habent; *b*) amentes, seu phrenetici, præterquam in lucidis, si quando habeant, intervallis [1].

134. **Expositio.** *Princ. I.* — Quod omnis homo baptizatus hoc sacramentum accipere possit sacramentaliter, et quidem fructuose, constat ex eo quod Eucharistia ad suum effectum *ex opere operato* producendum nullos prærequirit actus suscipientis, cum sit sacramentum permanens. Quod capax sit tantum homo baptizatus, patet ex principio generali, quod solus character baptismalis facit hominem capacem aliorum sacramentorum. Hinc, si Eucharistiam accipiat homo non baptizatus, accipit Eucharistiam materialiter, sicut eam accipit et continet pyxis: at, si eam accipiat infans baptizatus, accipit sacramentaliter et cum infusione gratiæ secundæ *ex opere operato*.

135. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Ratio, propter quam pueri ætate imbecilles prohibentur sacramentum Eucharistiæ suscipere, est defectus cognitionis et gustus. Ergo prohibentur omnes illi, in quibus hic defectus habeatur, sive ex imbecillitate alia quam ætatis, sive ex causa quacumque; etsi agatur de pueris, de adolescentibus, de adultis.

2.ª Prohibitio facta sacerdotibus, ne Eucharistiam prædictis pueris et aliis ministrent, prævalet præcepto ecclesiastico, quo isti post adeptum usum rationis tenentur Eucharistiam suscipere semel in anno, saltem in Paschate.

3.ª Amentibus affines sunt semifatui et senes repuerascentibus. Si isti rationis usum aliquatenus habeant ut inter cibum sacrum et communem discernere possint, ex sententia doctorum Eucharistia ministranda est quando est præcepta; forte etiam frequentius, si id opportunum habeat sacerdos.

4.ª Defectu cognitionis, proinde et gustus, facile laborant qui, cum a nativitate surdi et muti et forte etiam cæci sint, sufficienter instrui non potuerunt.

5.ª Si quando capacitas suscipiendi in subjecto probabilis sit, cavendum ne periculum habeaur irreverentiæ, etiam mere materialis. Sacerdos indulgentior erit cum iis, qui versantur in periculo mortis.

1) RITUALE *Tit. IV. Cap. I. Num 10, 11;* CODEX *Can. 854 § 1.*

ART. II. — DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI EUCHARISTIAM

136. **Principia. 1.** Eucharistiæ susceptio *a*) non est ullo sensu necessaria pueris ante usum rationis : *b*) nec habentibus usum rationis necessaria est necessitate medii absoluta et immediata ad acquirendam vel conservandam gratiam sanctificantem.

II. Ex præcepto divino hominibus baptizatis et justis habentibus usum rationis necessaria est sumptio Eucharistiæ, tamquam medium ordinarium et præ ceteris efficacissimum a Christo institutum ad spiritualem animæ refectionem. Patet ex verbis Christi : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [2]. Hinc Eucharistia sumenda est quandoque in vita, certe in periculo mortis.

III. Ex præcepto Ecclesiæ omnes fideles habentes usum rationis tenentur SS. Eucharistiam suscipere semel in anno, saltem in Paschate.

137. **Expositio.** *Princ. I., II.* — Non esse necessariam pueris sumptionem Eucharistiæ, patet ex eo, quod, cum sint « per Baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt » [3] : accedit argumentum catholicis evidens ex ipsa praxi Ecclesiæ [4].

Relate ad adultos, susceptio Eucharistiæ non est eis necessaria ad acquirendam gratiam sanctificantem, quæ in suscipiente hoc sacramentum prærequiritur. Ad acceptam vero gratiam conservandam, susceptio Eucharistiæ est certe medium ordinarium efficacissimum : tamen unicum non est ; cum ad eumdem effectum conducere possint et alia media, ut sunt orationes, cetera sacramenta et alia opera spiritualia. Hinc Eucharistia ex ipsa natura sua, qua est *panis vitæ*, maximam habet efficaciam ad vitam animæ conservandam et reficiendam : at insuper ex positiva Christi voluntate, qui principaliter ad refectionem animarum hunc cibum instituit, adnexum habet præceptum, ut fideles, qui peccando possent acceptam vitam amittere, eam debeant nutrire ac reficere hoc cibo, tamquam medio ordinario et præ ceteris efficacissimo.

De Præcepto Ecclesiæ egimus alibi.

2) Jo. *VI. 54.* — Eucharistia a Christo dicitur *panis vitæ* et *pro mundi vita, cibus, potus*. Circa necessitatem *medii* plura ex Angelico refert TUMMOLO *Num. 317.*

3) CONC. TRID. *Sess. XXI. De commun. Cap. V.* et *Can. A.*

4) Quoniam qui moritur in gratia salvatur, nihil exigit « his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc cibum ipso mortis instanti » ; ut habet *Prop. 32* rosminiana. Cf. *Trutina theol. Num. 229-239.*

138. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II — Qu. 1.* Quodnam discrimen sit inter communionem sub unica specie et communionem sub utraque ?

Resp. a) Nullum habetur discrimen, sive quoad entitatem sacramenti suscepti, sive quoad impletionem præcepti divini 5. — *b)* Relate ad gratiam recipiendam, certum est recipi plenam animæ refectionem et omnem gratiam ad salutem necessariam, sive unica, sive utraque species sumatur. Utrum vero qui sumit sub utraque specie accipiat gratiam majorem, quam qui sub unica, *controvertitur*: modo communior est opinio affirmans; huic innixa argumento, quod species vini significant aliud ac species panis, et ideo etiam divinus potus proprium producit effectum: nam *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* 6.

Qu. 2. Quadonam urgeat obligatio communicandi ex præcepto divino ?

Resp. 1.° Urget *per se* aliquando in vita; ut indicat ipsa natura sacramenti, quod est cibus et potus ad refectionem animæ. Porro ad animæ vires conservandas et reficiendas certe opus est hunc cibum et potum pluries accipere; at determinatio frequentiæ ex præcepto divino nullibi habetur: omnes certum habent quod non urgeat hoc præceptum sæpius, quam semel quolibet anno. Nec dici potest præceptum divinum ita ab Ecclesia determinatum fuisse, ut obliget semel quoliber anno. Nam « Ecclesiæ usus ac determinatio probat dilationem unius anni non esse divino præcepto contrariam » 7; et *satis communis* esse dicitur sententia Suarezii: « obligare hoc præceptum divinum aliquoties in vita, saltem tertio vel quarto quoque anno » 8. Quare, qui inter unam et alteram communionem duos vel tres annos interserat, hic peccabit quidem contra præceptum Ecclesiæ, at argui nequit reus violati præcepti divini.

2.° Urget, iterum *per se*, in articulo vel periculo mortis. Hæc est sententia satis communis inter theologos, Jure novissimo fulta, et proinde satis certa. Ratio affertur, quia eo maxime tempore anima reficienda est hoc cibo spirituali, ejusque vires tunc maxime roborandæ, cum acerrima ac peremptoria instat lucta adversus dæmonis incursus 9. Hæc obligatio urget etiam quoad pueros, qui habeant, etsi non perfecte evolutum, usum rationis; et insuper sciant « corpus Christi a communi cibo discernere, illudque reverenter adorare 10.

3.° Urget *per accidens*, si quando communio sit medium necessarium ad gravem tentationem superandam; quod raro definiri poterit.

Qu. 3. Qua ætate pueri teneantur divino præcepto communicandi ?

Resp. Ex Concilio Tridentino ea est ætas, qua pueri « adeptam

5) Concilium Trid. *Sess. XXI. De comm. Cap. I.* — Codex *Can. 852.*
6) Jo. *VI.* 56. — Palm. apud Ball. *Num. 79;* Noldin *100;* Tanqu. *147.*
7) Suarez *In P. III. S. Thomæ Disp. LXIX. Sect. III. Concl. 3.*
8) Cf. Many *Prælectiones de Missa Tit. II. Num. 116* (Paris 1903).
9) S. Ligorius *Num. 295;* De Lugo *De Euchar. XVI. 37;* Noldin *138;* Gen. *211* et Casus *702.* — Cf. Ojetti ad v. *Eucharistia.*
10) Codex *Can. 854* 2. — Cf. S. Lig. *Num. 130;* Gen. *206* et *Casus 701.*

filiorum Dei gratiam amittere possunt » : scilicet, est ea, qua cognoscere possunt actiones quasdam esse graviter malas et *sub gravi* prohibitas a Deo, at eas simul velle volitione deliberata sufficienti ad peccandum mortaliter. Id communiter evenit expleto septennio; ante quod puer « censetur non sui compos » ; post quod « usum rationis habere præsumitur » ; ac proinde censetur posse peccare mortaliter 11.

Hoc præceptum affirmativum est; et, si pro fidelibus in genere obligat tertio vel quarto quoque anno, puer non peccat primam communionem differendo ad annum decimum vel decimum primum. Et sane, ab ætate Concilii Lateranensis IV Doctores S. Thomas, S. Bonaventura et alii usque ad S. Alphonsum et theologos ineuntis sæculi XX communissime docuerunt præceptum hoc non urgere ante annum decimum, vel decimum primum: cui doctrinæ cohærebant sanctiones synodorum particularium et praxis communissima parochorum sub oculis Episcoporum et RR. Pontificum. Ergo per inegra sæcula septem præceptum divinum ante eam ætatem non urgebat: porro præceptum divinum est immutabile. — Jus autem novissimum respicit tantum præceptum Ecclesiæ; quo præcepto puer teneri potest et tenetur, antequam pro ipso urgeat divinum. Imo, cum et ante quodcumque præceptum capax possit esse recipiendi, et quidem fructuose, SS. Eucharistiam, curent parochi et confessarii ut pueri et quantocius et frequenter ac devote communicent: ita ardenti Christi atque Ecclesiæ desiderio satisfacient, et bono spirituali puerorum prospicient.

Qu. 4. Quanta sit extensio præcepti divini communicandi in periculo mortis ?

Resp. 1.° Relate ad *subjectum*: Ea comprehendit: *a*) casum mortis certe secuturæ, ut in damnatis capite: *b*) casum mortis moraliter certo et proxime vel brevi secuturæ, ut in morbo naturâ suâ mortali: *c*) casum periculi mortis; quando ex natura morbi aut aliunde frequenter mors accidere solet; quod verificatur, quando medicus ait se de exitu morbi illius timere vel dubitare; item ante operationem chirurgicam periculosam; in puerperio, quod, aut quia primum, aut ex præcedenti experientia timeatur periculosum fore. Hoc præcepto tenentur et pueri, qui sciant corpus Christi discernere a pane communi, illudque reverenter adorare.

Hæc obligatio *immediate* et *per se* afficit ipsam personam in eo periculo exsistentem. Ut vero ei incumbat practice, necesse est quod cognoscat ejus objectivam exsistentiam certam, quod non semper verificatur; insuper cognoscat se in vero periculo versari. Hinc oritur obligatio medici monendi infirmum, aut per se, aut per familiares vel parochum vel confessarium, et istorum obligatio erga infirmum. Verum confessarius vel parochus semper quidem monebit de utilitate communionis; circa summam ejusdem sumendæ convenientiam pro viribus insistet: non semper veram et absolutam obligationem urgebit, quando timeat ne mo-

11) Concilium Trid. *Sess. XXI. Cap. IV.*; Codex *Can. 88 § 3.*

nitio saluti æternæ infirmi magis obfutura possit esse, quam profutura. — Adverte quod in periculo certo certa poterit esse obligatio; in periculo probabili obligatio probabilis est.

2.° Relate ad *tempus;* tunc *per se* incipit obligatio, cum quis incipit esse in periculo. Hinc: *a*) Qui ante exsistentiam periculi Eucharistiam accepit, inito periculo adhuc tenetur eam ad viaticum sumere: puta, si communicavit paucis ante diebus ex devotione; quod tamen negant nonnulli, et non improbabiliter. — *b*) Ei, qui eadem die mane Eucharistiam sumpserat, valde suadendum est ut denuo communicet; at imponi ei nequit obligatio.

Qu. 5. Quid agendum, si in communione alicujus infirmi habeatur periculum irreverentiæ materialis in SS. Sacramentum?

Resp. Quia sumptio realis Eucharistiæ non est moribundo necessaria necessitate medii ad salutem, in conflictu inter præceptum divinum positivum sumendi in periculo mortis Eucharistiam et naturale cavendi positivam irreverentiam in SS. Sacramentum, censendum est hoc alterum præceptum prævalere. Ceterum satagere debet parochus ut utrumque simul componat. Hinc Eucharistiam dabit: *a*) Amentibus habentibus lucida intervalla, in quibus periculum irreverentiæ cesset; *b*) semifatuis, qui saltem distinguere valeant cibum hunc cœlestem ab aliis; *c*) usu sensuum destitutis, qui tamen ceteros cibos deglutiunt; *d*) vomitu laborantibus, de quibus fere certum sit non esse sacram particulam evomituros. In dubio opportunissime experimentum faciet, dando ante viaticum particulam non consecratam.

Quod si, præter aliquale periculum irreverentiæ materialis, habeatur gravis timor profanationis formalis, parochus facile dabit absolutionem conditionatam; absque magna difficultate dabit sub conditione Extremam Unctionem; at haud facile dabit SS. Eucharistiam [12].

ART. III. — De dispositionibus requisitis ex parte animæ

139. Ejusmodi dispositiones sunt duplicis classis: *a*) Aliæ necessariæ sunt ad liceitatem communionis eucharisticæ; quæ si desint, ipsa communio illicita et sacrilega est. — *b*) Aliæ necessariæ sunt ad fructus ex communione percipiendos juxta voluntatem Christi, qui ad hos fructus in nobis producendos Eucharistiam instituit; quæ si desint, ipsa SS. Sacramenti efficacia *ex opere operato* aliquatenus impeditur, nec valet omnes eos fructus in anima suscipientis producere, quos ex se producere valet, et ex Christi voluntate producere deberet.

§ 1. — De dispositionibus requisitis ad susceptionem licitam.

140. **Principia. 1.** Ex præcepto divino naturali ad

12) Nec deferet Eucharistiam ad lupanar aut similia loca. Berengo *Enchir. paroch. 102.*

licite Eucharistiam suscipiendam requiritur *sub gravi* status gratiæ. Constat *a*) ex eo quod Eucharistia est sacramentum vivorum et ad spiritualem animæ viventis refectionem institutum; *b*) confirmatur ex verbis S. Pauli: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* [13].

II. Ex præcepto positivo, probabilissime divino [14], qui sibi conscius est peccati mortalis, antequam Eucharistiam suscipiat, tenetur seipsum justificare per sacramentalem confessionem et absolutionem; et quidem *sub gravi*. Constat ex iisdem verbis S. Pauli, prout ea authentice interpretatum est Concilium Tridentinum et ex consuetudine Ecclesiæ [15].

III. Si quis conscius peccati mortalis versetur in vera necessitate suscipiendi Eucharistiam et simul illi desit copia confessarii, licite poterit Eucharistiam suscipere, dummodo se per contritionem perfectam justificaverit [16]. Si Sacerdos ex necessitate celebraverit, tenetur per absolutionem directam se justificare quamprimum [17].

IV. Qui Eucharistiam sumere vult, prius cognoscere et credere debet: *a*) exsistentiam Dei, bonorum operum remuneratoris, vindicis malorum; *b*) mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. Jesu Christi; *c*) veritatem sacramenti SS. Eucharistiæ; utique pro suo captu.

V. Qui Eucharistiam sumit, tenetur eam sumere intentione recta; qua (negative) non intendat indulgere usui aut vanitati aut humanis rationibus; sed (positive) velit Christi placito satisfacere, ei arctius caritate conjungi, ac divino illo cibo suam animam nutrire et suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

141. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Quamvis indigna cujuscumque sacramenti susceptio sit peccatum grave, gravissima præ ceteris est susceptio sacramenti istius in peccato mortali. Ratio est, quia in ceteris irreverentia fit contra ritum sacrum; in hoc fit immediate in ipsum Christum: hinc *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi*

13) I. Cor. *XI. 28.* — S. Thomas *2. 2. Qu. 99 art. 3.*

14) Hoc tenet « sententia communis et vera ». S. Lig. *Num. 256.* Quidam tenent esse apostolicum immutabile. Tamen cf. Ball. *130;* Gén. *192;* Noldin *140.*

15) Concilium Trid. *Sess. XIII. De Euchar. Cap. VII.* et *Can. II.*

16) Codex *Can. 856.*

17) Concilium Trid. *Cap. VII.* — Esse verum *præceptum* patet etiam ex *Prop. 38* damnata ab Alexandro VII, apud Denziger *Num. 1138.* Cohæret Codex *Can. 807.*

manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini; iste enim *reus est corporis et sanguinis Domini.*

2.ª Si quis sine conscientia status peccati, at in statu peccati et absque dolore, Eucharistiam sumat, sacrilegium mere materiale committit; nullum vero ex ea communione percipit fructum.

3.ª Si sacerdos sacram Hostiam sumat cum conscientia peccati mortalis et absque dolore, ac dein sese disponat in sumptione calicis, iste adhuc gratiam acciperet. Quod quidam probabiliter affirmant etiam si se disponat antequam species in stomacho consumantur 18.

142. *Ex Princ. III.* — 1.ª Non tenetur confiteri *quamprimum* laicus, qui propter necessitatem communicandi et impossibilitatem confitendi Eucharistiam sumpsit justificatus per contritionem: item nec sacerdos, qui in iisdem adjunctis Eucharistiam sumpsit, quin Missam celebraret.

2.ª Nec tenetur confiteri *quamprimum* sacerdos, qui in confessione ante Missæ celebrationem peracta peccatum grave ex oblivione (casus absurdus) omisit; ab eo enim justificatus est vi absolutionis.

3.ª Nec eodem præcepto tenetur sacerdos, qui sacrilege Missam celebravit, cum aut necessitas non esset celebrandi, aut non deesset copia confessarii; ejus enim casum non respicit lex Tridentina.

4.ª Obligatio confitendi *quamprimum,* sacerdotibus imposita, non significat « cum sacerdos suo tempore confitebitur »: sed, juxta sensum hujus vocis in aliis legibus ecclesiasticis, ei imponit confessionem faciendam infra triduum; dummodo interim a celebrando abstineat 19.

143. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Utrum liceat umquam Eucharitiam accipere cum conscientia peccati mortalis?

Resp. Apud S. Alphonsum duo casus afferuntur. Primus est, si secus Hostia consecrata profananda esset ab hæreticis aut a sectariis, etc., et aliquis in ea subita irruptione non posset tam cito confiteri vel conteri: tunc, si non possit ea Hostia dari puero aut alicui exsistenti in gratia, posset ille eam sumere sine peccato (at sine fructu), velut ad eam recondendam in corpore. Alter casus est, quo quis recordetur se esse in peccato mortali cum jam accumbit ad scamnum communicantium, et actum contritionis elicere non valeat 20.

Qu. 2. Utrum ad sumendam licite Eucharistiam requiratur moralis certitudo de statu gratiæ?

Resp. a) Quod post commissum peccatum mortale status gratiæ restitutus sit vi absolutionis, sive directe, sive indirecte, satis est quod id probabiliter et prudenter existimetur: *b)* quod status gratiæ post ultimam confessionem numquam fuerit amissus, vel, si amissus, recuperatus sit, si non vi absolutionis, saltem vi contritionis (extra duos casus supra indicatos) moraliter certum esse debet.

18) Apud S. Ligorium *Num. 227.* — At cf. Palm. apud Ball. *77.*

19) Ex *Prop. 39* damnata ab Alexandro VII, apud Denz. *Num. 1139;* ita omnes.

20) S. Ligorius *Num. 86,* et cum eo recentiores omnes.

Ratio prioris est, quia, ex Tridentino Concilio, ad præmittendam Communioni justificationem per confessionem, tenentur qui status peccati *conscii* sunt: ergo qui prudenter dubitant non tenentur. Ratio alterius est, quia, si forte recipiens Eucharistiam sit in statu peccati, habetur gravissima irreverentia, nedum in ritum sacramentalem, sed et in ipsum Sacramentum reale, quod est Corpus Christi; cujus proinde irreverentiæ cavendum est periculum. S. Alphonsus ait: « In mero dubio negativo suæ dispositionis (statûs gratiæ) nemo potest communionem accipere »; et alibi: « Chi stesse in dubbio di trovarsi in grazia.... ben può comunicarsi senza premettere la confessione, bastando che premetta l'atto di contrizione » 21.

Hinc et ille, qui, sciens se esse in statu peccati, sit in necessitate communicandi et in impossibilitate confitendi, postquam conatus sit seipsum ad contritionem perfectam excitare, communionem accipere potest, etiamsi de ea certus omnino non sit: sufficit certitudo moralis.

Qu. 3. Utrum peccata venialia prohibeant, quominus quis ad sacram mensam accedat?

Resp. Certe non prohibent *sub gravi*: probabiliter ne *sub levi* quidem; cum dispositio requisita sit status gratiæ, hic vero habeatur, per immunitatem a peccato mortali; venialia autem important defectum reverentiæ, potiusquam irreverentiam positivam 22.

Forte communio dicenda est *sub levi* prohibita, si agatur de venialibus in ipso actu communicandi voluntariis; ut esset amor habitualis inordinatus voluntarius, vel voluntaria aversio ab aliqua persona: certe autem, si peccatum afficiat ipsam communionem; ut esset voluntaria distractio aut indevotio, vana gloria, finis humanus, etc.; quo in casu veniale peccatum obstaret reverentiæ debitæ sacramento, et simul actualem animæ refectionem impediret 23.

144. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Quinam sint casus, in quibus habeatur vera sumendi Eucharistiam necessitas, sufficiens ad Eucharistiam sumendam non præmissa confessione?

Resp. 1.° Pro sacerdote tres sunt casus necessitatis celebrandi: *a*) Si sacerdos celebrare debeat ex officio; puta, ut populus die festo Missam audiat, ut nuptiis benedicat, ut exequias faciat, etc. — *b*) Si secus non posset alicui infirmo Eucharistia ad viaticum deferri. — *c*) Si secus scandalum vel infamia cum vero et gravi fundamento timeatur. At causa sufficiens non est, quod sacerdos secus indulgentiam lucrari non possit, quod eleemosynam non accipiat, etc.

2.° Pro laico et sacerdote non celebrante, casus necessitatis est ille,

21) S. Ligorius *VI. 432*, et *Confessore diretto XIV. 12.* — Cum sacramentum hoc nec dari nec accipi possit *sub conditione*, si nulla habeatur communicandi necessitas, suadendum ut in dubio communio fiat spiritualiter; præsertim in communitatibus religiosis et educativis, nisi de scrupuloso agatur.

22) S. Thomas 3 *Qu. 83, art. 5;* S. Lig. *Num. 270 Qu. 1;* Marc. *1455.*

23) Cf. S. Thomas *Qu. 79 art. 8;* S. Lig. *Num. 270;* Ball. *120;* Noldin. *139.*

quo ex omissa communione sequeretur scandalum vel infamia; quidam addunt necessitatem adimplendi præceptum paschale 24.

Qu. 2. Quandonam, deficiente copia confessarii, dicenda sit impossibilis justificatio per sacramentalem absolutionem?

Resp. Impossibilis est *physice*, si nullus adest sacerdos habens super illum pœnitentem ac super illius peccata jurisdictionem: impossibile est *moraliter*, si ejusmodi sacerdos adsit quidem, aut non longe absit; at qui Eucharistiam ex necessitate sumere debet, apud illum confiteri non possit sine incommodo gravissimo ipsi confessioni extrinseco. — Hinc: *a*) Confiteri certe non potest sacerdos missionarius in aliqua catholicorum statione die festo celebraturus, a quo proximior sacerdos pluribus leucis distat. — *b*) Nec potest parochus, qui nocte diem festum præcedente peccaverit, ac mane teneatur hora matutina celebrare, et unicus ipse sit in paroecia sacerdos; aut, etiamsi unicus non sit, confiteri apud alium non possit absque scandali et infamiæ periculo; puta, si deserere debeat pœnitentes in ecclesia, ut ad sacerdotem lecto adhuc cubantem accedat. — *c*) Item nec sacerdos, qui in ipsa celebratione Missæ recordetur se esse in peccato mortali. — *d*) Generatim non tenentur qui nonnisi cum gravi incommodo confessarium adire possent, propter infirmam valetudinem, vel asperitatem viarum aut aëris intemperiem, etc. Si unicum incommodum sit distantia ac iter pedibus agendum sit, dicunt excusari eum, qui iter agere deberet unius horæ: hæc sit norma ad dijudicanda cetera incommoda ordinis physici. — *e*) Qui patravit reservatum (sive Pontifici, sive Episcopo), deficiente qui habeat facultatem, ex Jure novissimo teneri videtur ad confitendum confessario simplici; quando vera habeatur necessitas celebrandi aut sumendi Eucharistiam 25.

Qu. 3. Utrum ab hoc præcepto positivo excuset magna verecundia; qua quis, puta sacerdos, abhorreat a suo peccato confitendo?

Resp. Certe non excusat verecundia ordinaria, et in quibusdam materiis numquam non exsistens: hanc enim voluit præcepti auctor, sive Christus fuerit, sive Apostolus, sive Ecclesia. Si agatur de verecundia prorsus extraordinaria et accidentali, quæ nempe confessioni inhæreat propter speciales relationes confitentis cum confessario, quidam affirmant, at titubanter; est enim theoria nimis periculosa 26.

145. *Circa Princ. V.* — *Qu. un.* Utrum peccet ille, qui, cum sit in statu gratiæ, ad communionem accedit sine intentione recta?

Resp. a) Si hic, omni recto fine posthabito, communionem ordinet ad finem non rectum, certe peccat; et quidem graviter si ea ordinet ad finem graviter malum. Casus esset illius feminæ, quæ communicare quotidie velit unice ad vanam gloriam; item viri, qui communicare velit unice ut placeat feminæ, quam seducere vellet; item sacerdotis, qui celebret

24) Cf. BALLERINI *Num. 129.* — At supponitur status gratiæ per contritionem.
25) CODEX *Can. 2254.* — Cf. FERR. *Num. 429, 0.*
26) BERARDI *Num. 3483;* GEN. *193,* et *Casus 681;* NOLDIN *141, 1;* ZANIN. *2022* II. 4. Severior Gury *Casus Num. 281, sequ.*

unice ad eleemosynam accipiendam: hæc patent inter alia, ex tenore recentis decreti *Sacra Tridentina Synodus*. — *b*) Minime vero peccat qui intentioni rectæ principali addat intentionem non rectam secundariam: ex. gr., sacerdos, qui Missam celebret ad honorem Dei et in suffragium animarum defunctorum, simul vero ad accipiendam eleemosynam.

§ II. — De requisitis ad susceptionem fructuosam, ac speciatim de communione frequenti

146. Licita sanctissimæ Eucharistiæ susceptio, præter augmentum gratiæ sanctificantis, producit in anima suscipientis alium effectum principaliter intentum a Christo et per ipsas species sacramentales significatum. Hic est spiritualis animæ refectio, per quam animæ vires adversus concupiscentiam aliosque hostes roborantur: ut et habitus pravos emendare valeat, et quotidie in virtutibus proficere. Est ea, quam S. Thomas appellat « actualem spiritualis dulcedinis refectionem »; quæ hominis « vitam spiritualem sustentat, auget, reparat et delectat »; qua « perficitur spiritualis vita ad hoc, quod homo in seipso perfectus exsistat per conjunctionem ad Deum,... et anima spiritualiter delectetur et quodammodo inebrietur dulcedine bonitatis divinæ ». Inde est, quod « iste cibus et potus dat sumentibus virtutem perveniendi ad gloriam, eosque immortales et incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta » 27.

Porro hi duo effectus in subjecto licite communicante producuntur quidem *ex opere operato*, at proportionate ad actualem ipsius dispositionem. Quinimo effectus secundus, hujus sacramenti proprius, h. e., vitiorum emendatio et in virtutibus progressus, quammaxime pendet *ex opere operantis*, seu ex actuali communicantis dispositione; quæ si prorsus desit, ipse quoque fructus ferme evanescit. Quod comprobatur « propter » experientiam, qua observantur plures sacerdotes quotidie celebrare in statu gratiæ, et tamen nihil proficere » 28.

Hinc ad quæstionem: « Utrum utilius quandoque sit ad communionem accedere, an ab ea abstinere » ? — S. Thomas respondet hoc modo: « Ex parte ipsius sacramenti, cujus virtus est hominibus *ex se* salutaris, semper utile est ipsum sumere ad hunc fructum (*ex opere operato*) percipiendum: quia tamen ex parte sumentis requiritur, ut cum magna devotione et reverentia accedat, ideo, si quis iis careat, non est ei utile ad hoc sacramentum accedere » 29.

147. Ex quibus patet ipsis fidelibus habentibus dispositiones ad licitam communionem requisitas, generatim utilem esse ad sacram com-

27) S. Thomas *P. 3. Qu. 79 art. 1, 2, 8.* — Cf. inferius *Num. 161.*

28) S. Ligorius *Num. 270 Qu. 2.* qui censet Angelicum *l. c.* emendasse quod alibi docuerat; nempe nullum sacramenti fructum recipi sine actuali dispositione.

29) S. Thomas *P. 3, Qu. 80 art. 1.*

munionem accessum, at quandoque utiliorem esse posse abstinentiam. Quia vero, omnibus theologis consentientibus, hoc judicium, non fidelibus ipsis permittendum est, sed eorumdem confessariis, ideo oportet in primis definire quænam potestas in hac materia confessariis competat. — Jamvero:

1.° Nulla iisdem competit auctoritas *imperativa*, ut per se patet.

2.° Eisdem competit auctoritas *declarativa;* qua pœnitenti, etiam in statu gratiæ exsistenti, edicere possunt ei esse a communione abstinendum; sive, quia non recta accedat intentione, sive quia obnoxius sit alicui censuræ, sive quia ejus accessio ad communionem ante remotionem scandali aut occasionis periculosæ, vel ante impletionem alicujus obligationis, posset esse scandalo fidelibus.

3.° Eisdem competit quoque auctoritas *directiva* circa utilitatem personalem communionis quoad effectum specialem, qui est spiritualis animæ refectio, et consequenter circa opportunitatem accedendi vel abstinendi a sacra mensa, vel accedendi raro, aut frequenter, aut quotidie. Vi hujus auctoritatis directivæ confessarius non potest pœnitenti communionem imponere vel vetare, ne *sub levi* quidem; multo minus imponere, vel vetare, ei potest majorem vel minorem communicandi frequentiam: poterit ei directionem auctoritative impertiri; quam si pœnitens sequi recusat, eum juste et opportune a sua directione dimittet.

Verum huic confessarii directioni plurimum deferre debent pœnitentes, præsertim quoad sacram synaxim plus minus frequentandam. « Frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum, secreta cordis explorantium, judicio est relinquendus; qui ex conscientiarum puritate et frequentiæ fructu et ad pietatem processu laicis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt » 30.

Alterutro sensu potestatis declarativæ aut directivæ accipiuntur in hac materia verba consueta: Communionem *præcipere, imponere, permittere, concedere* etc.; *negare, prohibere, vetare,* etc.

Nunc in materia hucusque magis asceticis pervia, quam theologis, nobis liceat nonnullas subjicere quæstiones practicas.

148. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* In quo proprie consistat « sedula præparatio » ad communionem fructuosam necessaria?

Resp. Juxta S. Alphonsum, consistit in exclusione culpæ venialis in actu communionis, et in aliquo pio motu devotionis. Prior habetur per absentiam cujuscumque culpæ venialis ipsam communionem afficientis, et per attritionem de venialibus commissis, saltem quæ sufficiens sit ad tollendum obicem, non ad ipsam remissionem venialium. Alter, seu pius motus devotionis erga SS. Sacramentum, supponit, ut movens, desiderium hujus cibi ejusque aviditatem et famem; cum, teste Gersone, « hoc pane non saturentur nisi famelici »; hoc autem desiderium pro-

30) S. Congr. Conc. decreto 12 ebr. a. 1674, confirmato ab Innocentio XI, apud DENZ. *Num. 1147*: cf. et decretum *Sacra Trid. synodus,* ibidem *Num. 1981.*

vocatur ex amore [31], et amor ex cognitione per fidem; acuitur vero ex propriæ inopiæ confessione, seu ex humilitate. Quare actualis dispositio requisita reducitur ad actum *attritionis* (melior *contritio*) de venialibus nondum remissis, et ad *desiderium* hujus cibi divini, quod excitabunt actus *amoris* et *fidei*, et acuet actus *humilitatis*. Patet hanc actualem dispositionem, seu præparationem, præmittendam esse « juxta uniuscujusque vires, conditionem ac officia [32]; ac proinde perfectiorem exigi a sacerdotibus, clericis et monialibus; minus perfectam a laicis, præsertim mercatoribus, operariis, pueris.

Qu. 2. In quo consistat « congrua gratiarum actio » ?

Resp. S. Thomas tria dicit esse gratitudinis officia; ut beneficatus « acceptum beneficium recognoscat, pro eo laudet et gratias agat, et secundum suam facultatem retribuat » [33]. Tria hæc parochi et confessarii expendant et fidelibus exponant: qui sacram communionem accepit, tria hæc adimplere studeat, divino hospiti piis affectibus et colloquiis mora convenienti convivens.

Qu. 3. Quibus prohibenda sit communio eucharistica ?

Resp. Omnibus et solis iis, qui, aut versantur in statu peccati aut sine recta intentione ad sacram mensam accedunt; illis prohibenda est communio *sub gravi*: his saltem *sub levi*: sive agatur de communione frequenti, sive de menstrua aut annua. Hæc spectant vero ad auctoritatem confessarii *declarativam*.

Qu. 4. Quibus fidelibus consulenda sit communio frequens aut etiam quotidiana ?

Resp. Nulla facta distinctione, omnes omnino fideles usum rationis habentes adhortandi et pro viribus compellendi sunt ad communionem frequentem, imo et quotidianam. Hoc enim est Christi desiderium, qui ideo hoc sacramentum sub ratione cibi instituit, ut eo sæpissime fideles nutriantur. Hoc esse Christi desiderium *a)* nobis ostendit praxis primitivæ Ecclesiæ, qua fideles frequentissime et quotidie accedebant [34]. — *b)* Idem sancti Patres testantur, qui fidelibus omnibus inculcant: « Iste panis quotidianus est: accipe ergo quotidie, ut quotidie tibi prosit » [35]. — *c)* Idem testatur Concilium Tridentinum, exoptans « ut in singulis Missis fideles adstantes.... sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent » [36]. — *d)* Idem sæpius confirmavit Sedes Apostolica. Innocentius XI Episcopis providendum edixit « ut nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur »: ac illos, in quorum diœcesibus viget hujusmodi devotio, hortatus est ut pro illa gratias Deo agant. Leo XIII omnes Episcopos monuit « elaborandum esse, ut

31) S. Thomas *Qu. cit. ad 3.* — Cf. Marc. *Num. 1554.*
32) Decretum *Sacra Trid. Synodus Num. 4.*
33) S. Thomas *2 2. Qu. 107 art. 7.*
34) Act. *II. 42.* — Cf. Frassinetti *Dissert X. Num. 4-6.*
35) S. Augustinus *De verbis Domini. Serm. 28.*
36) Concilium Trid. *Sess. XXII. Cap. VI.*; Catech. Conc. Trid. *Num. 60, sequ.*

frequens Eucharistiæ usus apud catholicas gentes late reviviscat;.... etenim nihil fideli populo utilius ad christianos revocandos spiritus constanterque retinendos ». Decreto a Pio X confirmato statuitur ut « communio frequens et quotidiana, omnibus Christifidelibus cujusvis ordinis aut conditionis pateat »: ac simul parochis, confessariis et concionatoribus intimatur, ut « christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus cohortentur ». — e) Demum ex Codice: « Excitentur fideles, ut frequenter, etiam quotidie, pane eucharistico reficiantur » 37.

Qu. 5. Quibusnam fidelibus licita sit communio quotidiana?

Resp. Omnibus illis, quibus licita est communio rarissima, aut etiam annua vel paschalis; scilicet omnibus illis, qui sint in statu gratiæ, et ad sacram synaxim accedant intentione recta. — Consequenter:

1.° *a*) Peccata venialia non remissa non faciunt, communionem esse illicitam, sive *sub gravi*, sive *sub levi*: *cavendum ne sint actualia*. — *b*) Quod « sedula ad sacram communionem præparatio antecedat, et congrua gratiarum actio sequatur », hæc ad majores fructus percipiendos pertinent, non ad ipsam communionis liceitatem. — *c*) Item, « ut frequens et quotidiana communio majori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet, ut confessarii consilium intercedat »: at si quis, confessario prohibente, communicet, aut, eo præcipiente, abstineat, *per se* ne leviter quidem peccat: peccare posset per accidens peccato imprudentiæ. — *d*) « Si quæ sint religiones,... quarum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixæ aut jussæ reperiantur, hæ normæ vim dumtaxat directivam habent » 38.

2.° Quoad diversitatem fidelium, omnes communicare possunt frequenter et quotidie: *a*) cujuscumque sint *ordinis;* non modo sacerdotes, regulares, moniales, sed et laici, viri ac feminæ; *b*) cujuscumque sint *conditionis*: non modo virgines, cœlibes, personæ pietati deditæ, sed et mercatores et conjugati; quare nihil exinde quærendum de actu conjugali, multo minus de illusionibus nocturnis, aut de involuntaria pollutione; *c*) cujuscumque sint *ætatis*: non modo adulti, sed et pueri ad sacram communionem nuper admissi, ac reprobanda omnino est praxis contraria 39.

3.° Tamen ipsa communio frequens aut quotidiana posset esse alicui illicita dupliciter: *a*) *Per se;* si quis communicare vellet frequenter aut quotidie unice ut usui indulgeat, vel ex alia intentione non recta. — *b*) *Per accidens;* quod contingere censemus saltem in duobus casibus. Primus est, si persona frequenter communicans, puta femina, per hoc a domesticis officiis exsequendis avocetur; vel etiam si seipsam periculo amittendæ valetudinis exponat. Alter est, si persona ingenio turbulenta et rixosa, ex quacumque vel levissima causa quotidie conviciis, impre-

37) Codex *Can. 863.* — Cf. Noldin *Num. 158-161;* Verm. *410-412.*
38) Codex *Can. 595* § *4.* — Cf. Gennari *Sulla Comunione frequente.*
39) S. C. Conc. die 15 sept. 1906, apud *Monit. eccles.* XVIII, pag. 344-348

cationibus, frequenti sacrorum usurpatione, universam domum subvertat, et tamen quotidie velit communicare; quod evidenter in scandalum familiarium cederet.

Qu. 6. Utrum confessarius communionem aut ejusdem determinatam frequentiam prohibere possit (*directive*) pœnitenti, quem judicat accedere cum dispositionibus requisitis?

Resp. 1.° Si judicat eum accedere cum dispositionibus requisitis ad communionem et licitam et fructuosam, generatim eum prohibere non debet; sed potius hortari et compellere ut frequenter et quotidie communicet.

2.° Si judicat eum accedere cum dispositionibus requisitis ad communionem licitam, sed absque dispositionibus requisitis ad fructuosam, ad prudentiam ejusdem confessarii pertinebit decernere, quid ejusmodi pœnitenti utilius esse videatur. Quare, si, omnibus perpensis, judicat ei utiliorem esse aliqualem communionis, aut frequentiæ ejusdem, subtractionem, licite et prudenter eam subtrahet; eadem ratione, qua pœnitenti ad absolutionem disposito potest aliquando ipsam absolutionem suspendere.

Casus: *a*) Contingere potest, et non raro contingit, quod fidelis, frequenter communicans, sacræ mensæ sensim sine sensu familiaris fiat eique accedere assuescat potius ex usu, vel « ut sibi fucum faciat, quasi de magna pietate » 40. Confessarius primum curabit pœnitentem ad mentem rectam erigere: si frustra, impedire omnino debet, ne pœnitens accedere incipiat absque dispositionibus ad ipsam communionem licitam requisitis; ideoque hunc cœlestem cibum eidem subtrahet, ut privatio stimulus ei sit ad meliorem dispositionem concipiendam. — *b*) Quoniam hoc pane non saturantur nisi famelici, si confessarius videat ex frequenti accessu obtundi in pœnitente hujus cibi aviditatem, non inopportune frequentiam communicandi subtrahet: certe magis proderit una communio avide expetita, quam triplex apatice sumpta. — *c*) Fieri potest, quod fidelis frequenter communicans, recta quidem mente et cum aliquali desiderio communicet; at actualis dispositionis adeo incurius fiat, ut reverentiæ sacramento debitæ desit, et ex frequentibus communionibus nihil proficiat. Confessarius ei consulet, ut sedulam præparationem præmittat; si consilium inutile evadat, eidem intimare poterit: « aut sedulo te præpara, aut abstine ». — *d*) Fieri potest, quod confessarius videat pœnitentem, vitio aliquo levi (aut pluribus) laborantem, nihil omnino emendari, quamvis quotidie communicare cupiat; simul vero judicet eumdem per subtractionem communionis excitandum fore ad acriores in vitium conatus; seu judicet efficaciores futuros esse ipsius conatus *ex opere operantis*, quam communionem sine illis *ex opere operato*. In eo casu ei intimare poterit: « Qua die in imprecationem vel in

40) Billot *De Eccl. sacram. Th. LII.* (*Qu. 80.*) — Nec periculis vacat, quod in communitate religiosa aut educativa omnes omnino singulis omnino diebus communicent.

divini nominis usurpationem erumpes, deinceps a communicando abstinebis;... si in matrem insolueris, aut venia petenda, aut usque ad proximam confessionem omittenda communio ».

Dices, quoad casum postremum: Subtractio communionis est subtractio medii efficaciam habentis *ex opere operato;* præ quo nihil valent media *ex opere operantis*.

Respondeo: Ex consensu theologorum, confessarius pœnitenti mortalibus gravato, et quem judicat dispositum, quandoque differre potest sacramentalem absolutionem, ut hac ratione ipsum ad aliquod suum officium exsequendum adstringat: porro absolutio efficaciam habet *ex opere operato;* dum absolutionis suspensio efficaciam non habet nisi *ex opere operantis*, et quidem indirectam: ergo.... Adde quod suspensio absolutionis pœnitentem mortalibus gravatum privat gratiâ primâ maxime necessariâ; dum unius alteriusve communionis subtractio pœnitentem privat augmento gratiæ non necessario; eidemque utilior esse potest, quam esset ipsa communio, etiam quatenus incitamentum est ad acuendum desiderium et fructuosiores communiones in posterum frequentandas.

149. **Objectiones.** contra frequentem communionem. — 1.ª Est contra reverentiam Christo debitam, quod quis nimis frequenter ad ejus mensam accedat.

Resp. Principium in se spectatum sapit Jansenismum. Christus hoc sacramentum instituit, non ut ipsum revereamur, veneremur, adoremus (quamvis et id præstare debeamus); sed ut eo tamquam cælesti pabulo nutriamur. Acceptum eo sensu, quod frequentia minuere potest reverentiam, h. e., pium motum devotionis, principium potest esse verum: at hoc est *per accidens;* nec sacerdotes impedit a celebrando quotidie. Ceterum hoc periculum amovere studeant parochi et confessarii; qui « cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam arcesserint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant » 41.

2.ª Abstinentia juvat ad acuendum desiderium.

Respondet S. Alphonsus: « Chi mangia di rado, si ciba, è vero, con più appetito; ma con minor giovamento » 42. Adde quod diuturna esuries tollit etiam appetitum. — Ceterum confer dicta superius.

3.ª Communio una cum magna devotione plus animæ juvat, quam septem indevotæ.

Resp. Transeat: at certe septem cum parva devotione plus juvant, quam una cum parva devotione. Ad hunc finem excitandi devotionem S. Alphonsus suis pœnitentibus passim consulebat, ut semel in hebdomada abstinerent: at ipse omni nisu studebat celebrare quotidie, etiam ipsa die Parasceves. Hinc opportunior via erit, ut concionatores et con-

41) Ita in decreto Innocentii XI. — « Si aliquis experimentaliter cognoverit ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam *non minui*, talis deberet quotidie communicare ». S. THOMAS *In IV. Dist. XII. Qu. 3 art. 1 qu. 2.*

42) S. ALFONSO *Monaca santa Cap. XVIII. § 3, Num. 14.* — Cf. FRASSIN. *Dissert cit.;* SEGUR *La Santa Comunione.*

fessarii frequenter fideles edoceant, tum « de ineffabili Eucharistiæ sacramenti præstantia, tum potissimum de animi dispositionibus ad illud rite suscipiendum » [43].

150. **Scholion.** — *De communione spirituali.* Ejus elementa essentialia duo sunt: Ardens communionis sacramentalis desiderium, et supplex ad Christum oratio, ut sua largitate nobis dignetur concedere augmentum gratiæ sanctificantis ac animæ actualem refectionem ceterosque effectus communionis sacramentalis. Desiderium excitabunt actus fidei, amoris, humilitatis ac doloris: supplicem orationem, certe non omnino inefficacem, subsequetur congrua gratiarum actio. — Hæc spiritualis communio sanctis omnibus in deliciis fuit; eamque Tridentinum Concilium maxime commendavit.

ART. IV. — De dispositionibus requisitis ex parte corporis

151. Hæ sunt duplicis classis: *a*) Ex lege positiva Ecclesiæ, requiritur jejunium naturale; *b*) ex ipsa rei natura, requiritur externa corporis decentia.

§ I. — De servando jejunio naturali.

152. **Principia. I.** Ex præcepto gravissimo Ecclesiæ, qui communionem suscepturus est, tenetur a media nocte præcedente servare jejunium naturale; seu abstinere a sumenda ab extrinseco per modum comestionis aut potationis qualibet re, quæ cibi aut potus rationem habeat. Constat ex praxi universali Ecclesiæ, ex Concilio Constantiensi, et ex Jure novissimo [44]. Hoc præceptum præ sua gravitate prævalet quibuscumque præceptis ecclesiasticis.

II. Ab hoc præcepto servandi jejunii eximuntur omnino illi infirmi, qui, cum sint in periculo mortis, communionem ad viaticum sumant, sive semel, sive distinctis diebus pluries.

III. « Infirmi, qui jam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint » [45].

153. **Resolutiones.** — 1.ª Si parochus, vel inadvertenter,

43) S. C. Indulg. Encycl. *Decretum* 20 apr. 1907, apud *Mon. eccl.* XIX.
44) Concilium Const. *Sess. XIII.* apud Denziger *Num. 626*: Codex *Can. 808, 858* § *1.* — Rationes congruentiæ dantur a S. Thoma *In IV. Dist. Qu. 1. art. 4.*
45) Codex *Can. 858* § *2.*

die festo paucas aquæ guttulas hauserit, Missam omittere debet, etiamsi quamplures parochiani inde Sacro priventur.

2.ª Præcepto jejunii eucharistici, attenta summa hujus præcepti gravitate, censemus teneri etiam puerum, qui nondum septennis ad communionem accedat; et hoc, licet de hac re nihil jure expresse caveatur.

3.ª Media nox, a qua communicans debet esse jejunus, *per se* incipit a primo ictu horologii horam duodecimam recte signantis. At eadem computari potest, sive ex tempore solari, sive ex publicis horologiis, quæ signent aut medium locale, aut zonarium ibi legale. Ex diversis horologiis sequi licet ultimum, modo non sit ordinarie erroneum 46.

4.ª Vere jejunium solvit et communicare prohibetur, qui vel unam guttulam aquæ, granum, ceram, deglutiat: item qui sugit sanguinem e digito manantem, aut lambit lacrymas ab oculis defluentes.

5.ª Non prohibetur communicare ille, in cujus os et stomachum muscula invaserit: nec qui respirando attrahat vapores, floccos nivis, aquam pluvialem, etc.: hi enim nihil sumunt.

6.ª Non prohibetur communicare, qui pulverem tabaci per nares in stomachum trajiciat; item nec qui deglutiat sanguinem ex gengivis aut dentibus exeuntem: non enim sumunt per modum comestionis.

7.ª Non solvitur jejunium, si per injectiones subcutaneas aut per clysterium quispiam nutriatur: nec, saltem probabiliter, si, stomacho ope tubuli abluto, aliqua aquæ guttula ibidem maneat.

8.ª Nec prohibetur communicare, qui, sive involuntarie, sive voluntarie deglutiat ferrum, lignum, capillos, filum sericum, aliasve substantias non digeribiles.

154. *Ex Princ. II.* — 1.ª Infirmi periculose decumbentes hac lege non tenentur, etsi eam servare possint: sumere possunt carnes, etc.

2.ª Ad hoc ut infirmus præcepto jejunii eximatur, satis est, quod ejus periculum sit probabile; seu laboret eo morbo, qui ex se lethalem exitum habere potest; seu, quod incipiat pro eo obligatio sumendi viaticum.

3.ª « Infirmis, qui ob devotionem in ægritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus; quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid sumere licet » 47. — Ast attendatur ad recentem concessionem.

155. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum solvat jejunium deglutitio reliquiarum cibi inter dentes hærentium?

Resp. Rubrica Missalis id negat absque ulla restrictione. Quare sententia plurium, qui negant jejunium solvi, etsi reliquiæ cibi deglutiantur, licet advertenter, certe probabilis est. Ceterum omnes concedunt convenientius esse, ut illæ reliquiæ ore expellantur.

Rubrica idem dicit de stilla aquæ, quæ lavando os deglutiatur, si id fiat præter intentionem. — Advertunt nonnulli fractionem jejunii

46) Codex *Can. 33 § 1.* — Comm. Pont. 10 nov. 1925.
47) Rituale Rom. *Tit. IV. Cap. IV. Num. 4.*

consistere in facto, ac proinde nihil heic interesse intentionem [48]: at plurimi quoque fieri debet sensus fidelium, præsertim in interpretanda lege ecclesiastica; quæ ratio nobis gravis esse videtur.

Qu. 2. Utrum mane communicare possit, qui dubitat, num aliquid comederit aut biberit ante vel post mediam noctem?

Resp. Sententia affirmativa, pro casu dubii negativi communissima et certissima est. Pro casu dubii positivi, certe eadem, sententia probabilis est et practice tuta.

Qu. 3. Utrum dentur causæ a lege jejunii eucharistici excusantes?

Resp. 1.° Præter casum urgentis periculi mortis et recentis concessionis pro infirmis, Jus novissimum unicam admittit causam, necessitatem sumendi Eucharistiam ad impediendam irreverentiam etiam mere materialem, in sacramentum [49]. Hinc: *a*) Si sacramentum profanandum sit ab hæreticis aut impiis, aut perire debeat incendio vel alio infortunio, et nemo adsit jejunus et in gratia, tunc ipsum sumere potest sacerdos non jejunus, aut præbere alii personæ non jejunæ. — *b*) Si sacerdos celebrans in sumendo calice advertat in eo fuisse aquam, debet iterum utramque speciem consecrare et sumere, licet antea hauserit aquam. — *c*) Si fragmentum hostiæ in sumptione calicis fundo ipsius hæreat, sacerdos vinum infundere debet et fragmentum simul sumere cum vino. — *d*) Item sumere debet fragmentum sui sacrificii, quod forte post Missam, sive non exutis, sive exutis vestibus, reperiat. — In hisce casibus præceptum naturale impediendi irreverentiam in sacramentum prævalet præcepto ecclesiastico jejunii.

2.° Estne ratio sufficiens necessitas vitandi scandalum? — Dato quod periculum habeatur scandali vere gravis (aut infamiæ sacerdotis), quod nonnisi per celebrationem aut communionem vitari queat, theologi respondent: *Affirmative*. Porro, si sacerdos advertat se non esse jejunum Missa jam inchoata, difficile vitari poterit scandalum per attestationem sacerdotis se non esse jejunum; quam difficultatem S. Alphonsus non videt, si sacerdos sit probitatis notæ aut *saltem præsumptæ* [50]. Si agatur de Missa inchoanda, ut in casibus binationis aut in festo Nativitatis Domini vel die Commemorationis Defunctorum, facilis erit scandali vitatio per attestationem sacerdotis. Quare ad quæsitum: « Num ob rationem scandali vel admirationis possit umquam celebrari secunda Missa post primam, cum jam fractum est jejunium? » respondit S. Officium: « *Negative* » [51].

3.° Plures affirmant quod causa sufficiens sit necessitas præbendi communionem infirmo per viaticum; cum hic agatur de præcepto quod

48) Ita BALLERINI *Num. 154.* — Contra censent S. LIGORIUS *Num. 279 Dub. 2;* MARC. *1558*: hi tamen addunt non esse agendum scrupulose.

49) CODEX *Can. 858* § *1.* — Pro sacerdote celebrante nulla exceptio ex *Can. 808.*

50) S. LIGORIUS *Lib. VI. Num. 287.*

51) S. Off. die 2 dec. a. 1874, apud VERMEERSCH *Num. 316, 2.*

censetur divinum, præ quo obligatio jejunii cessat etiam pro infirmo 52.

4.° Quidam dicunt posse communicare non jejunum etiam infirmum, qui, cum non sit in recenti concessione comprehensus, impediretur satisfacere præcepto communionis paschalis. Censemus id admitti posse, saltem practice, si impediretur satisfacere præcepto communionis annuæ; minime vero, si tantum impediretur communicare tempore quindenæ paschalis, etiam late sumptæ 53.

156. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Qua frequentia infirmus periculose decumbens sumere possit Eucharistiam non jejunus?

Resp. Per se loquendo, quoties sumere potest Eucharistiam, si non sumpsisset, toties sumere potest, etiamsi sumpserit; hinc etiam quotidie. At patet non toties teneri parochum Eucharistiam deferre, nec semper opportunum esse quod deferat quotidie per publicas vias: facilius id fieri poterit in domibus religiosis, in nosocomiis aliisque piis institutis.

157. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Quid significet aliquid sumi *per modum potus*?

Resp. Id jampridem explicaverat S. Officium: « Mens est, ut liceat sumere jusculum, caffeum, lac, aut alium cibum liquidum; etsi ei sit permixta substantia aliqua, ex. gr., leves pastilli farinæ (semmolino), panis radulâ tritus, ovum dilutum, etc.; dummodo mixtio non amittat naturam cibi liquidi » 54. At ovum, etsi sorbeatur, non videtur habere rationem potus, nisi dilutum sit caffeo, etc.: liquidis non videntur accenseri pastillæ similesque placentæ, quæ oris calore solvuntur, ut succus deglutiatur. — At medicina nunc sumi potest, etiamsi solida sit vel pulverea.

Qu. 2. Quænam requirantur conditiones, ut infirmus frui possit concessione Juris novissimi?

Resp. Concessio interpretanda videtur esse *stricte*: agitur enim de vulnere illato contra præceptum, quod est inter omnia ecclesiastica gravissimum. — Hinc: *a*) Ut quis concessione frui possit, debet esse infirmus, non sensu etymologico, sed sensu communi, h. e., ægrotus, et a mense 56; et quidem sine certa spe ut cito, intra sex circiter dies, convalescat. — *b*) Si agatur de infirmo qui potest aliquot horis a lecto surgere, non est satis quod ex debilitate vel aliunde impediatur manere jejunus; sed requiritur quod sit vere ægrotus. — *c*) Requiritur prudens confessarii consilium, tum de spiritualibus ægroti dispositionibus, tum de impletis privilegii conditionibus.

52) S. Ligorius *Num. 286;* Ball. *170;* Gén. *202, 2;* Lehmk. *161.* — Excepto periculo scandali negant D'Ann. *411;* Many *179.*

53) Cf. D'Annibale *loc. cit.;* Génn. *Cons. mor.* I; Many *188;* Noldin *157 c.* — Obstare videtur, etiam opinioni nostra, Codex *Can. 858* § *1.*

54) S. Inqu. 4 jun. 1893, 7 sept. 897, apud *Monit. eccl.* X. P. II. 4.

55) S. Congr. Conc. die 9 martii a. 1907, apud *Mon. eccl.* XIX. 60.

56) Juxta Codicem *Can. 32*, diebus 30; juxta plures interpretes, a diebus 25 vel 26.

Moralis impotentia servandi jejunii, juxta plures requiritur, juxta alios non requiritur 57.

Qui in prædictis conditionibus invenitur, potest ea concessione uti, etsi, a mense decumbens, usque ad paucos antea dies communionem acceperit jejunus: quod, si possit aliquot horis surgere e lecto, poterit communionem accipere, non modo in sacello domus interno, sed etiam in ecclesia propinqua, quam valeat adire: nam lex nec limitat, nec distinguit. At concessione abuteretur, qui, cum posset jejunus accipere hora septima, velit non jejunus accipere hora decima; atque sacerdos, Sacrum litans, limites concessionis excederet.

§ II. — De corporis decentia.

158. **Principia. I.** Jure naturali ad sacram communionem requiritur ea corporis et vestium honesta compositio, quæ effectus et testis sit internæ reverentiæ et devotionis.

II. Nullum corporis vitium nullaque ejus macula prohibet *per se* sacram communionem, sive *sub gravi*, sive *sub levi*.

159. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui ad sacram mensam accedant incessu arroganti ac dissipato, internæ indifferentiæ teste, peccant peccato, tum irreverentiæ, tum scandali. Practice a peccato gravi sæpe erunt immunes ob materiæ parvitatem, vel ob ipsam ingenii levitatem.

2.ª Item peccant mulieres ad sacram mensam accedentes habitu minus modesto, aut capite nullatenus tecto; ac rectissime aget parochus, qui, postquam publice in hos abusus invectus fuerit, ejusmodi feminas in distribuenda Eucharistia prætermittat.

3.ª Ad reverentiam hujus sacramenti suscipiendi pertinet etiam, quod fideles ad ipsum accedant vestitu decentiori ac honestiori, quo per eos licet: qua de re parochi eos in publicis instructionibus monere debent.

160. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non tenetur a communione abstinere qui nocte præcedente passus fuerit illusiones, somnia parum honesta, aut pollutionem involuntariam; nec femina, quæ passa fuerit muliebria.

2.ª Conjugati non prohibentur communicare, si nocte præcedente suo jure usi fuerint; multo minus abstinere tenetur ea pars, quæ alteri petenti debitum reddiderit. Tantummodo, si raro communicent, suadendum eis est, ut ea nocte abstineant a petendo ex sola voluptate: at ipsis conjugatis non raro coëuntibus permittenda est et consulenda communio quotidiana.

3.ª Neque *per se* prohibetur communionem accipere, qui nocte præcedente pollutionem voluntariam habuerit, a qua per absolutionem (aut per contritionem in casu necessitatis) justificatus fuerit; at in singulis

57) Cf. Ferreres *Num. 439 Qu. II; Monit. eccles. XXXIV. 157;* Verm. *396;* Gén. *201, 2.*

casibus judicandum quid sit magis conveniens 58: quandoque videndum, num qui talia egerit a communicando prohibeatur per *accidens;* puta, ratione mentis perturbatæ, aut scandali.

4.ª Deformitas aut macula externa corporis non prohibet communionem; si ea temporanea sit, forte consulendum est ut communio per aliquos dies suspendatur, aut privatim fiat: ita sacerdos poterit aliquando abstinere a celebratione publica.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ

161. Effectus præcipui licitæ et fructuosæ communionis recensentur sequentes 1:

1.° Confert gratiam sanctificantem, non quidem primam *per se,* sed secundam seu gratiæ augmentum. Hanc autem confert, non ea ratione generali, qua cetera sacramenta vivorum, sed ratione speciali propter intimam conjunctionem cum Christo, cujus corpus, sanguis, anima ac divinitas intime unitur animæ suscipientis, eamque hac unione sanctificat. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.*

2.° Eadem unione, quæ fit sub ratione cibi ac potus, animam nutrit ac reficit; ac ideo a peccatis, præsertim mortalibus, præservat, ejus vires adversus interiores et exteriores causas peccati corroborans; ac insuper fervorem caritatis addit ad suam vitam juxta Christi præcepta et consilia instituendam.

3.° Eadem unione ipsum corpus suscipientis sanctificat, pravos concupiscentiæ motus reprimit, libidinem refrenat, ipsique corpori custodiam castitatis dulcem ac delectabilem facit. Est enim Eucharistia *frumentum electorum, et vinum germinans virgines* 2.

4.° Corpus ipsum sanctificando, ipsum ad futuram resurrectionem præparat eique ejusdem resurrectionis germen ac titulum inserit; juxta ea: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* 3. Quare Eucharistia et animæ et corpori est pignus futuræ gloriæ.

5.° Juxta doctrinam Concilii Tridentini, Eucharistia remittit peccata venialia; hoc autem, tum *indirecte* per augmentum gratiæ sanctificantis, tum *directe,* si de iisdem habeatur attritio sufficiens ad removendum obicem, non sufficiens ad ipsam eorumdem remissionem. Re-

58) « Non esset consulendum alicui quod statim post peccatum mortale, etiam contritus et confessus ad Eucharistiam accederet; sed deberet, nisi magna necessitas urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere ». S. THOMAS *In IV. Dist. VI. Qu. 1 art. 1 qu. 3.*

1) S. THOMAS *P. 3. Qu. 79;* S. LIG. *Num. 269;* HURTER III. *386-390.*
2) ZACH. *IX. 17.* — Præclara habet A LAPIDE in *h. l.*
3) Jo. *VI. 55.* - Cf. FRANZELIN *De Euchar. Thesi XIX.*

mittit etiam pœnam peccatis remissis debitam, non quidem omnem, sed juxta modum devotionis et fervoris, ut docet S. Thomas.

6.° SS. Eucharistia confert animæ gratiam specialis fervoris ac spiritualis dulcedinis, ex eo quod sacra communio excitat amorem et dilectionem erga Christum ejusque fovet intimam fruitionem, cui necessario adnexa est spiritualis dulcedo et delectatio.

7.° Demum sacra communio, prout est omnium fidelium ad eamdem mensam participatio, fovet quoque eorumdem mutuam caritatem et unitatem. Hinc S. Augustinus ipsam appellat « signum unitatis, vinculum caritatis »; et S. Paulus ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus; omnes, qui de uno pane participamus* [4].

Hosce effectus sacra communio producit in ipso actu, quo sacræ species sumuntur et in stomachum trajiciuntur. Quo autem tempore sacræ species manent incorruptæ, « pia sententia est, et, spectata hujus mysterii propria ratione, admodum probabilis, conferri toto eo tempore vi sacramenti et *ex opere operato* nova continuo augmenta gratiæ, si novi actus dispositionis accedant » [5]. Imo et ille, qui cum conscientia status peccati communicavit, si quousque species manent incorruptæ se per actum doloris disponat, probabiliter effectus Eucharistiæ percipiet.

162. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum aliquando Eucharistia delere possit peccatum mortale?

Resp. Probabilius *affirmative*: sed per *accidens;* nempe, quando quis ignorans se esse in statu peccati mortalis ac de peccatis a se commissis attritus, ad Eucharistiam accedat bona fide. Tunc enim susceptio sacramenti, cum non inveniat obicem, debet animæ infundere gratiam sanctificantem, quæ necessario peccatum mortale expellit [6]. Tamen plures dubitant, eo quod videatur obex esse ipse defectus vitæ spiritualis in subjecto [7].

Qu. 2. Utrum sumptio Eucharistiæ prodesse possit etiam aliis a subjecto sumente?

Resp. Per se et immediate, negative: at prodesse potest indirecte et *ex opere operantis* aliis, tum vivis tum defunctis. Qui Eucharistiam licite ac devote suscipit, propter unionem cum Christo potest efficacius pro aliis viventibus orare, ac indulgentias lucrari easque defunctis applicare.

SECTIO ALTERA
DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO

163. Deus, sacrificiorum et sacerdotum veteris Legis pertæsus, per

4) I. Cor. *X. 17.* S. Augustinus *In Jo. Tract. 26.*
5) Franzelin *Op. cit. Th. XVII. Coroll.;* S. Lig. *Num. 228,* et *Homo apost. XV. 16;* Palm. apud Ball. *78;* Noldin *101.*
6) Hoc tenent S. Thomas P. . *Qu. 79 art. 5;* S. Lig. *Num. 269.*
7) Cf. Palmieri, apud Gury *Num. 4;* Noldin *7;* Lehmk, *471* Nota *1.*

Malachiam prænuntiaverat offerendam nomini suo ab ortu solis usque ad occasum oblationem mundam 1. Hujus oblationis victima non alia futura erat, quam ipse ejus Filius Deus-homo, sub speciebus eucharisticis constitutus, qui simul futurus erat hujus sacrificii principalis sacerdos: hinc hujus oblationis infinita dignitas et efficacissima virtus ad fines sacrificii consequendos.

Complexus rituum, quibus Christus sub speciebus panis et vini constituitur et per hanc ipsam constitutionem Deo offertur, usu antiquissimo et ab Ecclesia consecrato dicitur *Missa* 2.

CAPUT I.

DE NATURA ET VERITATE SACRIFICII EUCHARISTICI

164. *Sacrificium*, sensu proprio acceptum, a theologis definitur « oblatio rei sensibilis legitime instituta et Deo facta a legitimo ministro per realem (aut moraliter æquivalentem) ipsius rei destructionem ad profitendam Dei infinitam majestatem supremumque in res omnes dominium ».

Sacrificium pro diversitate finis, ad quem ordinatur, multiplex distinguitur: *a*) *Latreuticum* est illud, quod ordinatur in finem ipsi sacrificio essentialem, qui est recognitio infinitæ excellentiæ et supremi dominii Dei in res omnes, ac in ipsam nostram vitam ac mortem. — *b*) *Eucharisticum* illud est, quod per se et immediate ordinatur ad reddendas Deo gratias pro beneficiis acceptis. — *c*) *Impetratorium* dicitur illud, quod ordinatur ad impetranda a Deo beneficia. — *d*) *Propitiatorium* et *satisfactorium* illud est, quod in hypothesi status lapsi per peccatum ordinatur ad Deum offensum placandum et ab eo per oblationem victimæ remissionem tum peccati, tum pœnæ, consequendam. Patet ipsa sacrificia, quæ dicuntur *eucharisticum*, *impetratorium*, *propitiatorium* et *satisfactorium* in ipso fine, ad quem ordinantur directe, supponere jam et includere professionem, tum nostræ indigentiæ a Deo, tum infinitæ Dei excellentiæ ac supremi dominii, quæ est finis sacrificii latreutici.

Præmittimus ex Concilio Tridentino principales veritates theoreticas; quarum expositio ac demonstratio apud theologos dogmaticos:

165. **Quae sunt de fide. - I.** In Missa offertur Deo verum et proprie dictum sacrificium.

II. Missa non est tantum sacrificium laudis et gratiarum actionis (*latreuticum* et *eucharisticum*), nec est nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti, sed est etiam sacrificium *propitiatorium*, ac aliis prodesse potest præter sumentem, atque offerri debet pro

1) Malach. *I. 11.* - Conc. Trid. *Sess. XXII. De sacrif. Missæ Cap. I.*
2) Benedictus XIV in opere classico *De sacrosancto Missæ sacrificio.*

vivis et defunctis, pro pœnis, peccatis, satisfactionibus aliisque necessitatibus (*impetratorium, satisfactorium*).

111. Per sacrificium Missæ nulla irrogatur injuria, nec quidquam derogatur sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto; cujus fructus per sacrificium Missæ fidelibus vivis ac defunctis applicantur.

166. **Consectaria.** — 1. Victima, quæ in sacrificio Missæ Deo offertur, est ipse Christus, qui Deo Patri oblatus est in sacrificio crucis; item in utroque unus et idem est offerens principalis, ipse Christus: sub hoc respectu sacrificium Missæ unum ac idem est cum sacrificio crucis.

2. In utroque sacrificio victimæ mactatio intercedit; in sacrificio crucis realis et cruenta; in sacrificio Missæ mystica et incruenta, quatenus corpus et sanguis Christi ponuntur sub ratione cibi ac potus atque in quodam statu exinanitionis. Quia vero sacrificii ratio formalis proprie pendet a ratione mactationis victimæ, sub hoc respectu sacrificium Missæ aliud est a sacrificio crucis.

3. Mactatio mystica victimæ in sacrificio Missæ in eo consistit, quod vi verborum separatio fit corporis Christi a sanguine, et utriusque ab anima. Quare Missa est sacrificium commemorativum sacrificii crucis, in quo separatio corporis a sanguine et utriusque ab anima facta fuit realiter.

4. Sacrificium Missæ essentialiter est *latreuticum* et *eucharisticum;* simul vero, consideratâ infinitâ dignitate tum victimæ tum principalis offerentis, est *impetratorium, propitiatorium* et *satisfactorium;* cum valorem ex se habeat supereminentem, tum ad quælibet beneficia impretanda, tum ad Deum offensum placandum, eique satisfactionem exhibendam pro quibuscumque peccatis nostris et alienis, ac pro peccatorum pœnis, quæ seu vivis seu defunctis eluendæ essent in præsenti vita aut in futura [1].

5. Dum sacrificium crucis fuit meritorium in se, quia in eo solutum Deo fuit pretium nostræ redemptionis, sacrificium Missæ nobis applicat merita sacrificii crucis.

167. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* In quo proprie consistat essentia sacrificii eucharistici?

Resp. Sententia hodie fere communis tenet eam consistere in sola consecratione, in qua reperitur oblatio et victimæ mystica destructio: simul vero tenet communionem sacerdotis ad integrandum sacrificium pertinere, ideoque faciendam esse ex jure naturali ac divino.

At quidam, præsertim e vetustioribus, censebant præter consecrationem pertinere ad ipsam essentiam sacrificii communionem sumendam a celebrante, per quam proprie victima destruitur: cui sententiæ tam-

1) Cf. Billot *Op. cit. Th. LV.;* Franzelin *Th. XI, XII;* Noldin *170, sequ.*

quam probatiori adhærebat S. Alphonsus. — Exinde eruuntur quædam deductiones practicæ:

1.ª Juxta priorem sententiam, invalide applicatio Missæ fieret post consecrationem: imo contrarium vix hodie probabile dici posset.

2.ª Qui die festo in ecclesiam ingrediatur, post consecrationem ultimæ Missæ, juxta priorem sententiam non tenetur reliquæ parti adesse; juxta aliam tenetur.

3.ª Juxta utramque sententiam, fideles adesse debent die festo, non modo consecrationi, sed et communioni sacerdotis: juxta priorem, quia communio spectat ad integrandum sacrificium, et Ecclesia jubet integro sacrificio adesse; juxta aliam, quia secus non adessent ipsi sacrificio.

Qu. 2. Utrum ad essentiam sacrificii requiratur consecratio utriusque speciei?

Resp. Quamvis mystica victimæ destructio in hoc sacrificio satis habeatur per exinanitionem, qua corpus et sanguis Christi ponitur sub ratione cibi et potus et proinde ad consumptionem destinatur, tamen sententia hodie communior tenet non haberi sacrificium sacrificii crucis repræsentativum, quale Christus haberi vult, nisi per consecrationem utriusque speciei, per quam corpus a sanguine separatum ponitur, et sanguis separatus ponitur a corpore et effusus [2]. Ceterum negari nequit alterius sententiæ probabilitas, quam cum quibusdam theologis affirmat S. Alphonsus, ac novis argumentis confirmant recentes [3]. — Hinc deductiones practicæ:

1.ª Si alterutra materia desit, numquam licet celebrare; quod si defectus in alterutra inveniatur post consecrationem, quærenda est et consecranda alia, ut sacrificium perficiatur.

2.ª Sacerdos, si in sumendo calice advertat in eo fuisse acetum vel aquam, consecrare debet et panem et vinum, aut certe vinum; ita præscribente rubrica. Juxta priorem sententiam, id fieri debet, quia secus non haberetur sacrificium; juxta aliam, quia secus sacrificium maneret validum quidem, sed imperfectum.

3.ª Si sacerdos Missam pro stipendio celebravit ac, Missâ jam peractâ, audiat vinum non fuisse de vite, obligationi assumptæ satisfecit probabiliter, ac proinde (saltem practice) non tenetur stipendium restituere aut pro eo aliam Missam applicare [4].

4.ª Propter necessitatem perficiendi aut integrandi sacrificium, species in præsenti sacrificio consecratæ sumi debent (saltem ex parte) ab eodem sacerdote consecrante; eo impedito, ab alio sacerdote jejuno; si hic non habeatur, a non jejuno.

5.ª Eadem ratione (insuper et ratione liturgica), absque gravissima causa, non licet particulas consecratas de altari sumere aut fidelibus mi-

2) Cf. FRANZELIN *Th. XVI. Sexta ob.* pag. *392;* GÉN. *214.*
3) S. LIGORIUS *Num. 306;* GENN. *Cons. mor. LXXX;* BALL. *230.*
4) NOLDIN *Num. 164;* GENN. *Cons. cit.;* Alii sacerdotem liberant, præsertim pauperem, ex præsumpto consensu offerentis; ita BALL.-PALM. *Num. 230.*

nistrare ante communionem celebrantis; excipiendus esse videtur casus, quo secus infirmus absque viatico decessurus timeatur.

CAPUT II.

DE EFFICACIA SACRIFICII MISSÆ

168. Finis essentialis hujus sacrificii, et proinde fructus ipsi essentialis et numquam deficiens est, ut Deo cultum latreuticum exhibeat per laudem et gratiarum actionem. At insuper ipsum efficax quoque est ad utilitatem nostram; quatenus est impetratorium, propitiatorum ac satisfactorium seu expiatorium. De priori efficacia agunt theologi speculativi; nobis consideranda est altera, tum in se, tum quoad ejus realem applicationem.

ART. I. — DE EFFICACIA SACRIFICII MISSÆ IN SE

169. **Principia. I.** Efficacia intrinseca Missæ (quantum valeat efficere) est infinita. Ratio est, quia infiniti valoris est victima oblata, ac infinitæ dignitatis est persona principalis offerentis.

II. Efficacia Missæ extrinseca (quantum realiter efficiat, quot et quantos fructus afferat) est finita. Ratio est, *a*) quia nonnisi fructuum in gradu finito capaces sunt homines, atque insuper; *b*) Christus nonnisi finitâ mensurâ vult hujus sacrificii fructus hominibus dispensari.

III. Fructus sacrificii quoad nos sunt tres (in gradu finito): *a*) Impetrat a Deo beneficia; cum hoc sacrificium sit ipsius Christi interpellatio pro nobis; *b*) remittit peccata, tum venialia, tum etiam mortalia, quatenus, « hujus oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit » [1]; *c*) remittit pœnas peccatis quoad culpam dimissis debitas, tum quatenus ipsas culpas dimittit, tum immediate et ratione victimæ Deo in satisfactionem oblatæ; pœnas autem remittit, tum vivis, tum defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis.

170. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quotuplex sit fructus sacrificii Missæ?

Resp. 1.° Si consideretur victima et principalis offerens, fructus quoad sui entitatem infinitus est et semper identicus; eo ipso quod et principalis offerens et victima semper Christus est: hic fructus est *ex*

1) CONC. TRID. *Sess. XXII. Cap. II.* — S. THOMAS *In IV. Dist. XII. Qu. 2 art. 2.*

opere operato, et dici potest *substantialis*, etiam quatenus sacerdos offert ut minister ac nomine Ecclesiæ.

Huic fructui accedere potest et alter *accidentalis, ex opere operantis*, proveniens ex sanctitate et devotione personali sacerdotis: hoc sensu Missa celebrata a sacerdote digniore et cum majori devotione majores fructus afferet, quam Missa celebrata a sacerdote malo, aut tepido et indevoto.

2.° Si considerentur personæ, quibus Missa utilitates afferre potest, distinguitur fructus triplex: — *a*) Fructus *generalis* ille est, qui provenit toti Ecclesiæ et fidelibus, qui sunt in communione Ecclesiæ; hic fructus inde provenit, quod sacerdos sacrificium offert ut minister Ecclesiæ et nomine totius Ecclesiæ: potest autem esse, tum impetratorius, tum propitiatorius; probabiliter et satisfactorius. — *b*) Quoniam vero de hoc fructu abundantius præ ceteris participant adstantes, inservientes et in primis ipse sacerdos celebrans, hic fructus præ his abundantius participantibus, et nominatim præ celebrante, dicitur *specialissimus*: insuper hi percipiunt quoque *meritum*, eo quod aut celebrando aut ministerium vel adsistentiam celebrationi participando actum religionis implent. — *c*) Ab utroque differt fructus *specialis* seu *medius;* ille nempe, qui obvenit personæ aut personis, quibus sacerdos ipsum sacrificium specialiter prodesse intendit: hic fructus potest esse ad impetrationem, ad propitiationem et etiam ad satisfactionem.

Qu. 2. Quibus applicari possit fructus specialis Missæ?

Resp. Certe omnibus illis, qui sunt, vel defuncti sunt, in communione cum Ecclesia; insuper omnibus aliis, quibus Ecclesia non prohibeat Missam applicari. Porro Ecclesia prohibet Missam applicari excommunicatis vitandis, sive vivi sint, sive in excommunicatione absque ullo signo pœnitentiæ obierint: insuper prohibet applicari quoad fructum satisfactorium pro hæreticis et schismaticis notorie in hæresi vel schismate defunctis [2]. At non censetur prohibere applicationem pro infidelibus, pro excommunicatis toleratis, nec quoad fructum impetratorium ac propitiatorium pro viventibus hæreticis, schismaticis, liberis cogitatoribus, massonibus, etc. [3]. Imo quoad ipsos excommunicatos vitandos, quoad hæreticos vel schismaticos notorie in hæresi vel schismate defunctos, non prohibetur sacerdos iisdem applicare suas preces in Missa puta, ad eorum conversionem obtinendam; insuper potest eorum animas Deo commendare in *Memento* pro defunctis: nec desunt qui affirment applicari iisdem posse ipsum fructum specialem, dummodo id fiat absque ulla rei publicatione [4].

2) Secus ergo, si obierint cum indiciis probabilibus bonæ fidei et status gratiæ Artificiosum responsum suggerunt MARC. *1601 Qu. 2*, SABETTI *904 Qu. 3 et alii.*

3) Cf. GENNARI *Consult. mor. Num. 480.*

4) OJETTI ad v. *Sacrificium.* Contra tenet GASPARRI *De Euch. I. Num. 479.* — Certe pro vitando applicare licet, ut convertatur; CODEX *Can. 2262 § 2*: licebit et pro eo defuncto, sub conditione si conversus obierit? — Cf. TUMM. *347.*

Qu. 3. Utrum applicatio fructus specialis sit limitata ad certam mensuram, an vero fiat indefinite pro capacitate subjectorum, pro quibus Missa applicatur ?

Resp. Duplex habetur theologorum sententia. — *a*) Juxta sententiam hodie communiorem, applicatio fit secundum certam mensuram ex Christi voluntate determinatam. Quare, si Missa pro tribus personis capacibus (ad impetrationem vel satisfactionem) applicatur, quælibet ex his percipit tertiam partem fructus quem perciperet, si applicaretur tantum pro ipsa 5. — *b*) Juxta alios, præsertim vetustiores, cum valor sacrificii sit in se infinitus, quantitas fructus percipiendi pendet unice ex capacitate subjecti percipientis; quare, in hypothesi superiori, quælibet ex iis personis percipit omnem fructum, quem perciperet, si Missa pro ipsa tantum applicaretur 6. Tamen in hac quoque sententia nefas est sacerdoti, saltem ex Ecclesiæ prohibitione, pro una Missa stipendia a pluribus accipere : licebit autem fructum specialem alteri et pluribus applicare sub conditione quod salva semper sit intentio dantis stipendium.

171. *Circa Princ. III. — Qu. un.* Quibusnam realiter prodesse possit sacrificium Missæ ?

Resp. Celebranti, inservientibus, adsistentibus ac stipendium offerenti prodesse potest Missa ad meritum; dummodo recta intentione agant : et quidem *de condigno*, si sunt in gratia; secus, *de congruo*. Generatim vero Missa prodesse potest omnibus justis viventibus ad quoscumque fructus; viventibus peccatoribus ad impetrationem et propitiationem, minime vero ad satisfactionem : defunctis, qui sunt in statu purgationis, prodesse potest ad satisfactionem : ceteris defunctis nihil prodest.

ART. II. — De efficacia Missæ quoad ejus applicationem

172. *Applicatio* Missæ intelligitur « intentio sacerdotis celebrantis, qua hic determinat subjectum (personam unam vel plures), cui obvenire vult fructum specialem ». Potestas autem applicandi hunc fructum competit sacerdoti, qua sacerdos est; cui in sacra ordinatione dictum fuit : « Accipe potestatem offerendi sacrificium, tam pro vivis, quam pro defunctis ». Hinc applicatio valida est, etsi fieret contra prohibitionem Ecclesiæ.

Principia. I. Ut fructus specialis in utilitatem alicujus subjecti obveniat, necesse est, *a*) ex parte celebrantis intentio determinans, *b*) ex parte subjecti capacitas.

II. Valida est applicatio Missæ sub conditione de præsenti

5) Pro hac sententia stant Palm. ad Baller. *Num. 242 Nota a;* Gén. *218;* etc. Idem sentiunt Noldin *173;* Franzelin *Th. XIII;* Pesch *Prælect. dogm.* VI. *Num. 934;* Hurter III. *429;* etc.

6) Hæc sententia dicitur communissime recepta a S. Ligorio *Num. 312;* eidem adhærebant Ball. *Num. 242;* Gury *352;* D'Ann. *393, 21;* incertus hæret Tanquerey *196.*

vel de præterito, quæ sit verificata; invalida est sub conditione de futuro, etiam certe verificanda et suo tempore verificata.

III. Quod subjecto determinato et capaci fructus specialis realiter obveniat, pendere sæpe potest a divino beneplacito et a dispositionibus habitualibus et actualibus ipsius subjecti.

173. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si sacerdos celebrans nemini intendat Missam applicare, hæc nulli subjecto determinate prodest: juxta quosdam, ejus fructus specialis remanet in thesauro Ecclesiæ; juxta alios, accedit fructui specialissimo. Si subjectum incapax sit, probabiliter fructus sequitur intentiones præsumptas celebrantis, aut offerentis stipendium.

2.ª Licite sacerdos potest applicationi hujus Missæ aliam applicationem subrogare pro casu, quo subjectum incapax sit; ita hypothetice applicare poterit pro conversione talis peccatoris, in suffragium sui patris defuncti, pro animabus purgantibus; at, si acceperat stipendium, præferre debet intentiones præsumptas aut utilitates offerentis.

3.ª Ad validam applicationem satis est, quod sacerdos semel pro semper determinaverit suæ intentionis subjectum, et hanc determinationem deinceps non revocaverit: ita determinare potest pro omnibus diebus festis totius anni, pro omnibus feriis sextis, pro integro mense, pro triginta stipendiis acceptis, etc. Hæc intentio communiter dicitur *habitualis*.

4.ª Item satis est, quod subjectum determinaverit *implicite*: puta ad intentionem offerentis, vel parochi aut superioris, pro personis hoc mane defunctis, pro maximo peccatore hujus paroeciæ, etc.

5.ª Non est valida applicatio ex intentione interpretativa; ex. gr.: « Si scivissem Titium hoc mane obiisse, voluissem hanc Missam (nemini applicatam) in suffragium ipsius animæ applicari ».

174. *Ex Princ. II.* — 1.ª Applicatio, qua sacerdos intendat applicare Missam pro Titio, si defunctus sit, verificatâ Titii morte, valida est.

2.ª Sacerdos a parocho invitatus ut in sua ecclesia Missam celebret, potest hanc intentionem efformare: « Si parochus, nunc intendens mihi hujus Missæ applicationem committere, postea mihi dabit eleemosynam, intendo ad ejus mentem applicare; secus, pro meis defunctis, vel pro alia eleemosyna jam accepta »: hinc post Missam valide et licite accipit stipendium, si datur.

3.ª Invalide sacerdos, sciens impensis piæ unionis Missam pro singulis sociis celebrandam esse, applicaret pro eo socio, qui primus morietur, vel quem Deus primum moriturum esse novit.

175. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quandonam facienda sit applicatio actualis Missæ; quæ hic et nunc celebratur?

Resp. Optimum est eam fieri ab initio Missæ: at certe fieri debet ante consecrationem, saltem secundæ speciei. Quia enim valde proba-

bile est sacrificium consecratione compleri, ac opinio affirmans compleri per communionem hodie vix probabilis est, ideo applicatio facta post consecrationem secundæ speciei habenda est ceu maxime dubia, ac proinde obligationi assumptæ ex justitia insufficiens. Tamen opinio satis communis ceu validam habet applicationem, quæ fiat intra utramque consecrationem 7.

Qu. 2. Quid in conflictu duarum intentionum diversarum?

Resp. Videndum quænam in singulis casibus habenda sit ut prædominans. Casus est illius, qui heri decreverat applicare hodie pro Titio; hodie vero, immemor intentionis hesternæ, intendit applicare pro Cajo. Theoretice: si heri ita intenderat applicare hodie pro Titio, ut simul voluerit annullare quamcumque intentionem posteriorem forte ex præcedentis oblivione eliciendam, applicavit pro Titio: si vero hodie ita vult applicare pro Cajo, ut simul vellet nullam esse quamcumque intentionem præcedentem modo sibi incognitam, applicavit pro Cajo: in dubio generatim præferenda est intentio hodierna. Ceterum practice, si non potest nodum solvere, cædat: die sequenti applicet pro eo subjecto, pro quo non applicaverat hodie.

Qu. 3. Quomodo determinare debeat applicationem sacerdos, cui ab Episcopo vel a parocho data sunt decem Missarum stipendia a personis ignotis oblata?

Resp. Juxta S. Alphonsum, non videtur satisfieri, si singula sacrificia applicentur pro singulis indeterminate: nulla enim est ratio, qua Missæ hujus fructus in utilitatem unius potius quam alterius obveniant. — Hinc duo modi proponuntur:

1. Sacerdos singulas Missas celebret ad intentionem Episcopi vel parochi, dummodo isti antecedenter intentionem pro singulis offerentibus efformaverint; melius est, quod hæc ipsi manifestetur. Applicare poterit etiam juxta ordinem temporis, quo eleemosynæ a fidelibus vel ab administratoribus datæ sunt, quem ordinem Deus novit.

2. Singulas decem Missas applicet ad intentionem singulorum offerentium pro rata. Hoc modo, si oblatores decem fuerunt, singuli ex singulis Missis percipiunt decimam partem fructus specialis, et ex Missis decem omnem fructum sibi debitum; si unus ex illis stipendia quinque dederat, ex singulis Missis percipit dimidam partem fructus, ex decem percipit omnem. Quinimo in opinione eorum, qui dicunt in singulis Missis fructum applicari indefinite, singuli offerentes perciperent decuplum fructum, quam sibi debeatur 8.

Hinc alter modus servari posse videtur, si stipendia Missarum conflata fuerint ex pluribus parvis eleemosynis a pluribus offerentibus in capsulis pro defunctis aut apud sanctuaria depositis. Etenim quævis determinatio specialis impossibilis est; ipsi autem singuli offerentes nihil

7) Cf. Noldin *Num. 177, 2;* Verm *310.* — Hæret Palm. ad Ball. *282.*
8) Cf. S. Congr. Conc. 27 febr. 1905; Noldin *Num. 177, 3; Monit. eccl.* XVII, 56, XXI. 132.

ulterius exigere possunt. Ceterum Deus novit omnia; ac ipse efficiet ut nullius offerentis intentio fraudetur.

Qu. 4. Utrum valeat applicatio fructus satisfactorii, si Missa scienter aut ignoranter celebretur pro fideli adhuc vivente ?

Resp. 1.° Certe non licet pro fideli vivente celebrare Missas de *Requiem*: hoc enim est contra rubricas et statuta Ecclesiæ.

2.° Quod ad applicationem pertinet, ea valere potest ad satisfaciendum pro pœna illi fideli debita propter peccata jam commissa et quoad culpam remissa; minime vero valet ad satisfaciendum pro pœna debita peccatis nondum commissis, aut commissis quidem, sed nondum remissis. Ita, si quis plures Missas sibi adhuc viventi applicari postulet in levamen pœnarum purgatorii, levamen nullum retrahet relate ad peccata in posterum committenda, aut in posterum remittenda; at retrahet quoad pœnam debitam peccatis jam quoad culpam remissis; insuper percipere etiam potest fructum impetratorium et propitiatorium, quem ex Missis post suam mortem celebrandis non perciperet: hinc opportune quisque curabit et ante et immediate post suam mortem Missas aliquas celebrari. Proinde durum est ad jacturam stipendii obligare sacerdotem, qui, cum ipsum accepisset pro Missa post mortem Titii celebranda, ac nuntium de Titii morte habuisset, Missas eo adhuc vivente jam celebravit. Dicimus *durum id esse;* cum haud facile id exigat qui stipendium obtulit, ac insuper difficile sit æstimare num Missa plus prodesse valeat Titio defuncto, an Titio viventi 9. Ceterum obligationi assumptæ ad literam satisfactum non fuit.

176. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Utrum parochus possit tempore autumnali Missas applicare juxta intentiones eorum, qui oblaturi sunt stipendia mense novembri; sive singuli oblaturi sint integra, sive plures partialiter in capsulis pro defunctis ?

Resp. 1.° Si Missæ celebratæ fuerint ad intentiones eorum, qui primi oblaturi sint stipendia integra, illæ applicationes anticipatæ certe non valent, si stipendia postea afferantur pro defunctis, qui tempore celebrationis adhuc in vivis erant. Imo plures idem dicendum putant etiam si offerantur pro iis, qui tunc jam defuncti erant; eo quod celebrantis intentio non potuit esse determinata: at in isto casu quidam censent applicationes valere, si celebrans intendat applicare pro defunctis, pro quibus Deus nunc novit offerenda esse stipendia 10.

2.° Si agatur de eleemosynis colligendis ex capsulis pro defunctis, ea applicatio erit habenda saltem ut valde dubia; ergo ut semper illicita. Ratio est, quia fideles quidam forte eleemosynas oblaturi sunt pro iis, qui post eas Missas celebratas obierunt; quin et sæpe fideles offerunt pro animabus defunctorum in genere ad eorumdem intercessionem impetrandam pro necessitatibus propriis, tunc forte nondum exsistentibus.

3.° Ceterum ex Jure positivo « Numquam licet Missas applicare ad

9) Ballerini ad Gury *Num. 170. I.* — Cf. *Monit. eccles.* XX. 542, seqq.
10) De Lugo apud Ball. *Num. 186*

intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata » 11.

177. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum applicatio Missæ ad impetrandum viventi beneficium habitura sit certum effectum ?

Resp. Sacrificium, prout est impetratorium, sequitur naturam orationis ad impetrandum ordinatæ ; nisi quod in sacrificio Missæ Christus ipse orat ut victima et offerens principalis. Hinc : *a*) non habet certum effectum, si applicetur Missa ad impetranda beneficia corporalia, etiam in hypothesi quod æternæ saluti non obstent. — *b*) Quoad ipsa beneficia spiritualia, non est certa consecutio eorum, quæ utilia possunt esse, at non necessaria ; cujusmodi esset ingressus in monasterium. — *c*) Quoad ea, quæ necessaria sunt, ut essent conversio peccatoris, perseverantia finalis, etc., erit certa collatio gratiarum, quæ sint ad hos effectus sufficientes et abundantiores ; at collatio gratiarum, quæ certe hos effectus consequentur, optabilis quidem erit et sperabilis, at numquam poterit esse certa : erunt enim gratiæ, quibus alter semper poterit obtemperare, vel non ; ac insuper Deus eas gratias concedere non solet illimitate.

Qu. 2. Quænam sit efficacia sacrificii Missæ, in quantum est propitiatorium et satisfactorium pro vivis ?

Resp. a) Non est ea efficacia, qua immediate remittat peccata, sive mortalia, sive venialia ; nec ea, qua remittat pœnas æternas peccatis debitas. — *b*) In quantum hoc sacrificium est propitiatorium, valet Deum erga peccatores placare, ne eos puniat, sed eos ad pœnitentiam attrahat, ac ita, eis gratiam ac donum pœnitentiæ concedens, eisdem per pœnitentiam peccata dimittat. Ceterum hæc peccatorum remissio numquam erit certa ; tum, quia peccatoris est gratiæ collatæ cooperari vel non, tum quia ipsa Dei placatio ex divina œconomia limites habet. — *c*) In quantum est satisfactorium, remittit pœnas temporales adhuc debitas peccatis dimissis ; hoc autem juxta mensuram a Deo statutam et rationem habitam dispositionum subjecti. Sensu exposito, propitiatio et satisfactio fiunt *ex opere operato.*

Qu. 3. Utrum applicatio Missæ infallibiliter prosit animabus purgantibus ?

Resp. Certe et infallibiliter eisdem prodest in genere : Concilium enim Tridentinum declarat animas in purgatorio detentas potissimum altaris sacrificio juvari 12. At non infallibiliter prodest illi animæ, pro qua sacrificium offertur ; non modo, quia illa incapax potest esse, sed etiam, quia, data ejusdem capacitate, applicatio sacrificii fit per modum suffragii, et ideo ejusdem acceptatio divino beneplacito reservatur.

Qu. 4. Utrum fideles adsistentes Missæ possint fructum, *per se* sibi debitum, in alios, sive vivos sive defunctos, transferre ?

Resp. Non possunt in alios transferre meritum auditionis Missæ,

11) Codex *Can. 825 § 1.* — Cf. Alberti *Num. 161.*

12) Concilium Trid. *Sess. XXV. De Purgatorio.* — S. Ligorius *Num. 399.*

seu participationis ad actum religionis. Transferre autem possunt in alios fructum impetratorium et propitiatorium; ex. gr., ad obtinendam conversionem peccatoris; et etiam satisfactorium, sive in vivos, sive in defunctos, dummodo hi capaces sint. — Id fieri quoque potest a celebrante quoad fructum sibi specialissimum; pro cujus tamen applicatione prohibetur accipere stipendium.

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ

178. Christus Dominus, constitutus a Deo sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, cum sit sacrificii Missæ offerens principalis, voluit coofferentes, seu sui ministros, assumere et homines ad hoc prægrande munus speciali sacramento consecrandos. Itaque de fide est omnes et solos sacerdotes, rite sacramento Ordinis insignitos, esse sensu proprio hujus sacrificiis ministros [1]. — Hæc theoretica: nunc ad praxim.

ART. I. — De obligatione celebrandi ratione sacerdotii

179. **Principia. I.** Sacerdos ratione ipsius sacerdotii tenetur pluries per annum sacrificium offerre, obligatione *per se* gravi. *Omnis namque pontifex.... pro hominibus constituitur.... ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [2].

II. Quia oblatio sacrificii eucharistici est ipsa Eucharistiæ sub utraque specie consecratio, ideo ad validam sacrificii oblationem satis est, quod sacerdos ponat elementa objectiva utriusque consecrationis cum intentione faciendi quod vult Ecclesia: Ecclesia enim intendit et sacramentum fieri, et sacrificium offerri.

III. Ut sacerdos licite sacrificium offerat, necesse et satis est quod licite consecret. Hinc: *a*) *habitu* debet esse in statu gratiæ et a quavis censura immunis; *b*) *actu* debet servare omnes præscriptiones præceptivas Ecclesiæ, quoad tempus et locum et modum offerendi.

180. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I., II.* — 1.ª Obligatio afficit etiam sacerdotem excommunicatum vel suspensum: hic itaque tenetur absolutionem mereri et impetrare ut saltem quandoque possit celebrare.

1) Concilium Trid. *Sess. XXIII. Can. 2, XXIII. 1.*
2) Hebr. *V. 1.* — Conc. Trid. *Sess. XXII. Cap. I.*; Codex *Can 805.* Cf. S. Thomam *3. Qu. 82 art. 10;* S. Ligorium *Num. 313, 350.*

2.ª Valide sacrificium offert sacerdos hæreticus, schismaticus, excommunicatus, suspensus, peccator; ejusque Missa producit omnes effectus, qui ex sacrificio sunt *ex opere operato*.

3.ª Idem sacerdos celebrans, peccaret quidem graviter, at per eam Missam satisfaceret obligationi assumptæ, sive ea sit ex officio, sive ex beneficio aut ex accepto stipendio.

181. *Ex Princ. III.* — 1.ª Sacerdos, sacrificium offerens in statu peccati, graviter peccat etiam ratione actionis sacrificalis: idem dicatur de excommunicato, suspenso, vel utcumque a celebratione prohibito.

2.ª Idem sacerdos, juxta plures reus est alterius peccati, sacrilegæ communionis; imo et aliorum duorum, quod ministrat indignus, et indigno. Verum, cum consumptio victimæ spectet, si non ad essentiam, certe ad integritatem sacrificii, unum videtur esse peccatum, et hoc gravissimum. Utcumque, integra esset confessio: « Celebravi in statu peccati » [3].

3.ª Quoniam præscriptiones Ecclesiæ, aliæ obligant in conscientia, aliæ mere dirigunt, ideo sacerdos peccat *per se*, quoties aliquam e prioribus violat; quoties violat aliquam e posterioribus, peccare potest *per accidens*, quandoque etiam non peccare. — Verum de his agemus *ex professio* inferius.

182. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Quoties urgeat *per se* obligatio celebrandi ratione sacerdotii?

Resp. Ex sententia satis communi inter theologos, urget *sub gravi* ter vel quater per annum. Generatim theologi ex S. Thoma dicunt eum ad celebrandum teneri in præcipuis festis, Paschatis, Pentecostes et Nativitatis dominicæ: at de his nulla habetur Ecclesiæ determinatio.

ART. II. — De obligatione celebrandi ratione officii

183. **Principia. I.** Ex lege Ecclesiæ, fundata in ipso jure naturali ac divino, omnes sacerdotes, qui sint pastores animarum, omnibus diebus festis etiam suppressis tenentur *sub gravi* Missam celebrare eamque animabus sibi commissis applicare. Constat ex Concilio Tridentino et ex Jure novissimo [4].

II. Hæc obligatio est prædictis sacerdotibus personalis, at simul, imo et primum, est realis: insuper affixa est loco et diei; quatenus Missa celebranda et applicanda est in ecclesia, cui adnexa est cura animarum, ac ipso die festo, sive vigenti, sive suppresso.

184. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Hac obligatione tenentur: *a*) Episcopi diœcesim habentes; *b*) parochi omnes, sive

3) D'Annibale *Num. 413, 47*; Sebast. *44*B, II. Nota 1.
4) Conc. Trid. *Sess. XXIII. De eform, Cap. I*; Codex *Can. 466*, coll. *339*.

sæculares, sive regulares. c) Quasi-parochi tenentur saltem in solemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis B. Mariæ Virginis, S. Joseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum 5.

2.ª Eo quod obligatio celebrandi et applicandi adnexa est curæ animarum, ideo parochus eâ obligatione *per se tenetur*, etsi pauper sit, aut ex ea cura exiguum percipiat emolumentum 6: obligatio incipit a die adeptæ possessionis canonicæ.

3.ª Episcopus plures regens Ecclesias et parochus plures regens parœcias tenentur unam tantum Missam pro ovibus sibi commissis applicare.

4.ª Eo quod obligatio pro omnibus et singulis diebus fesits est ex Jure canonico, ideo Ecclesia super ipsa dispensare potest.

185. *Ex Princ. II.* — 1.ª Parochus (ut de parochis tantum dicamus) tenetur per se ipsum Misam celebrare et pro populo applicare; saltem si agatur de festo vigente: obligatio enim est personalis.

2.ª Si parochus ex legitima causa ab applicanda Missa pro populo impediatur, hanc applicationem alteri sacerdoti committere potest ac debet.

3.ª Ut parochus Missam pro populo applicet in ecclesia diversa a parœciali, puta in oratorio publico intra fines parœciæ, ad quod fideles die festivitatis specialis conveniunt, non requiritur Ordinarii licentia: satis est quod rerum adjuncta id exigant aut suadeant.

4.ª Si parochus legitime absit a parœcia, indifferens est, quod ipse applicet in loco in quo degit, aut alius sacerdos applicet, qui ejus vices gerit in parœcia.

186 **Quaestiones.**— *Qu. 1.* Quid, si parochus, sive morbo, sive alia de causa, a celebrandi impediatur?

Resp. Antea res nonnihil controversa: hodie Jus novissimum edicit parochos eadem ratione teneri, ac Episcopos. Porro « Episcopus, si a Missæ celebratione impediatur, statis diebus applicet per alium » 7. Ergo et parochus.

Qu. 2 Utrum in nullo umquam casu parochus accipere possit stipendium pro Missa die festo celebranda?

Resp. Vi juris, *negative*. — Tamen: *a*) « Ordinarius loci justa de causa permittere potest ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua jure adstringitur 8. Justa causa esset, quod die festo Missæ celebratio et applicatio petatur pro sponsis ea die contrahentibus, quod parocho inopia laboranti pingue stipendium offeratur pro Missa eo die

5) Codex *Can. 339, 466,* coll. *306.*
6) Benedictus XIV Const. *Cum semper.* — Noldin *Num. 181, 2.*
7) Codex *Can. 339* § *4;* S. C. Con. 14 dec. 1872. — Cf. Marc. *Num. 1606.*
8) Codex *Can. 466* § *3;* Bened. XIV. Constit. *Cum semper. Num. 8.*

celebranda, forte etiam quod Missa celebranda et applicanda petatur pro defuncto, cadavere præsente; in hisce casibus requiritur licentia Ordinarii, quæ facilius præsumi poterit in festo suppresso. — *b*) Plures Episcopi facultatem habent ab Apostolica Sede permittendi ut hæc Missa pro populo, præsertim diebus festis suppressis, omittatur: generatim, ut parochi applicent ad mentem Episcopi; quandoque ut applicent ad mentem propriam et stipendium accipiant. — *c*) Si parochus binare debeat, potest pro altera Missa aliquid percipere ratione incommodi: at non potest percipere stipendium, licet Episcopo tribuendum aut in causam piam erogandum.

Qu. 3. Utrum obligatio gravis sit præ omnibus elementis suis?

Resp. Certe gravis est, prout est realis. Quoad alia elementa, hodie mitius videntur urgendæ hujusmodi obligationes secundariæ. Quod speciali ratione dicendum est, si agatur de festis suppressis; et multo magis, si in iis applicanda sit Missa ad mentem Episcopi; quo in casu connexio Missæ, sive cum die festo, sive cum ecclesia, longe remissior est [9].

ART. III. — De obligatione celebrandi ratione stipendii

187. Sacerdos, qui non teneatur pro aliquo Missam applicare, certe pro ea celebranda et ad mentem alicujus applicanda potest ab eo accipere stipendium, non quasi pretium Missæ celebrandæ, sed quasi medium sustentationis: justum enim est, ut qui altari deserviunt de altari vivant [10]. Hinc id verum est, etiamsi sacerdos habeat aliunde ex quo honeste vivat. Hæc obligatio, eo ipso quod oritur ex accepto stipendio, *per se* regenda ac dimetienda esset secundum jus naturale proprium contractuum. Verum, quia in humanis haud inhumanum est obrepere abusus, ad hos pro viribus compescendos Ecclesia curavit per leges positivas sancire, determinare ac urgere obligationem juris naturalis; præsertim pro casibus, in quibus, qui tribuit sacerdoti stipendium, agat, non tam nomine suo, quam ut alius vel aliorum procurator. — Hinc de obligatione celebrandi ratione stipendii agimus sub duplici respectu: *a*) Prout regitur jure naturali; *b*) prout regitur legibus positivis Ecclesiæ.

§ I. — De obligatione celebrandi, spectato jure naturali.

188. **Principia. 1.** Sacerdos, qui ab offerente acceptavit stipendium, tenetur juxta intentionem ejusdem Missam celebrare et applicare; insuper servare debet omnes celebrationis circumstantias ab eodem offerente præscriptas, sive explicite, sive im-

9) S. C. Conc. 16 dec. 1914. — Cf. *Monit. eccl.* XXVII. 62.
10) I. Cor. *IX. 13.* — Cf. S. Thomam *2. 2. Qu. 10 art. 2.*

plicite. Ratio est, quia inter offerentem et acceptantem interfuit verus contractus innominatus : *do, ut facias*.

II. Si quis sacerdoti stipendia tribuat ut procurator aliorum, tum ipse, tum sacerdos, tenentur exsequi intentiones expressas aut rationabiliter præsumptas eorum, quorum nomine stipendia tribuuntur et acceptantur.

189. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Sacerdos, qui, acceptato stipendio, nec per se, nec per alium Missam celebravit et applicavit, si amplius oneri assumpto satisfacere non valeat, tenetur stipendium restituere.

2.ª Si sacerdos stipendia plura, sive ab uno, sive a pluribus, acceptavit, tenetur tot Missas celebrare, quot stipendia accepit. Ratio intrinseca est, quia hæc est voluntas, et quidem rationabilis, offerentium 11.

3.ª Si stipendium offerens simul aut explicite aut implicite determinavit epocham Missæ celebrandæ, sacerdos, ultra eam epocham celebrans, *per se* peccat graviter : utrum vero realiter peccet in concreto, et utrum, graviter vel leviter, definiendum erit ex præsumpto vel non præsumpto rationabiliter consensu ipsius offerentis.

4.ª Item graviter *per se* peccat sacerdos, qui, accepto pro Missa privilegiata stipendio, Missam non privilegiatam celebravit : nec omissæ plenæ satisfactioni supplere regulariter potest lucrando et ad mentem offerentis applicando indulgentiam plenariam.

5.ª Obligationi assumptæ *per se* non satisfacit, qui, acceptâ eleemosynâ pro celebranda Missa de *Requiem*, Missam officii currentis vel votivam celebret. Quamvis enim « ex parte sacrificii Missa æqualiter prosit defuncto de quocumque dicatur;... tamen ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ » 12. At forte fideles petunt applicationem fructus, et nihil aliud.

6.ª Idem *per se* dicendum, si non adimpleatur offerentis voluntas circa altare celebrationis. At in hoc facilius præsumi potest offerentis consensus, si habeatur causa rationabilis ; puta opportunitas fidelium, solemnitas particularis, etc. ; difficilius præsumi potest, si agatur de diversitate ecclesiæ.

7.ª Ex consensu certe cognito aut rationabilissime præsumpto oblatoris offerentis nomine proprio, sacerdos assumere potest quemcumque numerum Missarum celebrandarum, earum celebrationem indefinite differre, eas per alios (dato etiam stipendio minori) celebrare, mutare ecclesiam, altare, ritum, etc.

190. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui ut aliorum procurator Missas sacerdotibus celebrandas committit, eligere debet sacerdotes omni exceptione

11) Codex *Can. 828.* — Cf. *Prop. 8* damnatam ab Alex. VII, apud Denz. *1108.*

12) S. Thomas *In IV. Dist. XLV. Qu. 2 art. 3.* At cf. Gury *Num. 177.*

majores, quos moraliter certum habeat Missis sibi commissis satisfacturos esse fideliter 13.

2.ª Sacerdos, qui Missas sibi oblatas tradit aliis celebrandas, peccat si eas tradat sacerdotibus, de quibus, qui stipendia obtulit, est vel præsumitur esse invitus graviter; puta, quia sacerdos est manifeste indignus, concubinarius: peccat leviter, si præsumitur esse invitus leviter; puta, quia sacerdos ille levior est aut offerenti non benevisus.

3.ª Idem sacerdos, si aliis Missas sibi oblatas committat, iisdem tradere debet integra stipendia accepta, etsi majora sint consuetis. Ratio intrinseca est, quia hæc præsumenda est esse voluntas offerentis, qui rationabiliter judicare potest Missas pro majori stipendio magis prodesse. Hinc retinere potest partem stipendiorum, si certe sciat aut rationabiliter præsumat offerentem consentire; quod alterum tunc verificatur, cum sacerdos novit stipendium majus sibi oblatum fuisse, puta per testamentum, intuitu sui aut operis a se præstiti.

191. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum graviter peccet sacerdos, si Missam omittat, pro qua stipendium oblatum non est materia gravis; ac utrum tale stipendium teneatur restituere *sub gravi*?

Resp. Ad 1. *Affirmative*, eo quod res per promissionem onerosam obligata, seu Missa, in se et secundum communem fidelium sensum est res vere gravis.

Ad 2. *Affirmative*, si stipendium sit quidem materia levis pro sacerdote, at gravis pro offerente: secus vero, si sit materia levis etiam pro offerente; cum ejusdem jus leviter violetur.

Quod si sacerdos Missam alicui promiserit gratis, præsumitur voluisse se obligare ex fidelitate, et proinde *sub levi*: idem dicendum, si eleemosyna adeo exigua sit, ut pro nihilo computetur.

Qu. 2. Quandonam dilatio celebrationis ultra epocham ab offerente designatam sit peccatum mortale?

Resp. Solutio pendet ex præsumpta rationaliter voluntate offerentis. Si iste Missam postulavit pro causa determinata, puta pro felici exitu crastini processus vel litis, pro infirmo gravissime decumbente, etc., dilatio etiam unius diei erit peccatum mortale: idem forte dicendum, si Missam postulavit cras absolute celebrandam pro patre suo hodie defuncto, pro filia cras nuptura, etc. Extra hos et similes casus difficile est determinare gravitatem dilationis, prout est peccatum contra justitiam; præsertim, si ex causa rationabili fiat: quinimo, si dilatio brevis sit, facilius præsumi potest consensus offerentis eximens ab ipso peccato veniali, etiam ex causa non gravi. Si stipendium offerens tempus non determinavit, generatim adhuc præsumendum est velle ut Missa infra breve tempus celebretur, eo quod hac ratione citius et certius Missæ fructum percipiet: at difficile esset de gravitate peccati quidpiam definire.

192. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum duo sacerdotes possint

13) Codex *Can. 838.* — Cf. Gennari *Quest. mor. Num. 582.*

sibi ad invicem intentiones Missarum permutare, unoquoque sibi proprium stipendium retinente ?

Resp. a) Negative, quando aut sciatur aut præsumi debeat invitus alteruter offerens *per accidens*, puta ratione personæ sacerdotis, qui sacerdoti a se electo substituatur. — *b)* Extra hunc casum, *affirmative*, si utrumque stipendium identicum sit. Si stipendia sint inæqualia, quidam dubitant; at sententia affirmans certe probabilis est; ac, si id fiat pro casu quodam occurrente, et ex causa rationabili, non ad captandum lucrum, videtur certa esse.

Hæc valent, sive agatur de Missis eadem die quoad ecclesiam vel altare vel horam permutandis, sive de permutandis quoad diem [14].

§ II. — De obligatione celebrandi, spectatis legibus Ecclesiae.

PUNCTUM I. — *De cavenda quacumque specie mercimonii.*

193. Damus tantum præscriptiones præcipuas ex Jure novissimo:

Principia. I. « A stipe Missarum quælibet etiam species negotiationis vel mercaturæ omnino arceatur » [15].

II. *a)* « Qui Missarum stipes manuales ad alios transmittit debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam diœcesanam datum fuisse intuitu personæ. — In Missæ *b)* ad instar manualium, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus, et satis est remittere solam eleemosynam manualem diœcesis in qua Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causæ piæ » [16].

194. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Negotiatio vel mercatura prohibetur per se; cum veram injuriam inferat ipsi Missæ, et ideo sit contra virtutem religionis: species negotiationis vel mercaturæ prohibetur propter periculum scandali.

2.ª Parochus vel rector vel administrator ecclesiæ aut sanctuarii, qui stipendia Missarum distribuunt sacerdotibus indigentibus, sive ex pacto saltem tacito quod hi partem stipendii remittant distribuenti, sive unice ex eo quod scit hos eam partem remissuros, peccat et *per se* graviter: non peccat si quidpiam recipiat sponte oblatum [17].

3.ª Mercator, qui, forte etiam præmio promisso, curet ad se sti-

14) Cf. BALLERINI *Num. 258;* D'ANN. *190, 18;* GENN. *Quest. mor. 376, 569, 606;* FERR. *479 Qu. 16;* MANY *De Missa 97.*

15) CODEX *Can. 827.* — Cf. VERM. *297, seqq.*

16) CODEX *Can. 840.*

17) Cf. S. LIGORIUM *Lib. VI. Num. 321;* GENN. *Quest. mor. 575, 647.*

pendia Missarum deferri ut facilius merces, libros, utensilia, vendere possit sacerdotibus pretium solvere non valentibus, sed pro pretio promittentibus Missas ad ejus intentionem celebrandas, peccat graviter; etsi certo sciat tot Missas celebrandas esse quot commissæ fuerunt, et ea stipe qua erant celebrandæ.

4.ª Idem mercator licite potest alicui sacerdoti Missas pro se suisque defunctis, aut etiam familiæ patrimonium gravantes, celebrandas committere, eidem pro stipendiis pecuniariis tradendo merces, libros, etc.: imo idem facere potest circa stipendia sibi ab aliis sponte et fiducialiter tradita.

5.ª Non est prohibitum quod sacerdos pro Missis celebrandis aut celebratis accipiat frumentum, oleum, etc.; vel quod per celebrationem intendat debitum solvere pro acceptis mutuo pecuniis, pro opere commisso, etc; at cavendum ab ipsa specie negotiationis.

6.ª Non est prohibitus inter parochum et alios sacerdotes contractus, qui communiter *Missa pro mensa* appellatur.

195. *Ex Princ. II.* — 1.ª Parochus die festo a Missa celebranda impeditus, committens alteri sacerdoti celebrationem Missæ pro populo, potest ei dare stipendium diœcesana lege vel consuetudine statutum.

2.ª Idem, si die festo propter funus ea die occurrens, sacerdoti committat applicationem Missæ pro defuncto præsente, dare ei poterit stipendium sportula accepta inferius: idem dicatur de Missa nuptiali, de Missis adnexis beneficio, etc.

3.ª Quilibet sacerdos idem facere potest de Missis manualibus, quando scit aut saltem certo præsumere potest offerentem ei majus stipendium dedisse titulo gratitudinis paupertatis, amicitiæ, etc.

196. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum sacerdos, qui Missas sibi oblatas aliis celebrandas commisit, sibi parte stipendiorum retenta, teneatur hanc restituere?

Resp. Posito quod id egerit absque consensu saltem præsumpto offerentis, certe peccavit, et *per se* graviter, contra religionem ex præscriptionibus Ecclesiæ. Utrum vero peccaverit etiam contra justitiam, et proinde teneatur ad restitutionem, *controvertitur*. Plures theologi cum S. Alphonso affirmant: eo quod sacerdos majus stipendium acceptans sese contractu obligavit ad Missam per se vel per alium pro eo stipendio celebrandam; quod confirmatur ex Benedicto XIV dicente hoc vitium « a furti crimine, unde restitutioni subjaceat, non esse immune » 18. Verum plures, tum veteres, tum recentes, negant haberi peccatum contra justitiam; eo quod obligationi assumptæ potuit sacerdos ille satisfacere

18) Benedictus XIV Const. *Quanta cura;* S. Lig. *Num. 322;* Marc. *1611;* Verm. *305.* Pars detenta, juxta plures tribuenda est celebranti, juxta paucos restituenda offerenti. — Fuse Genn. *Quæst. mor. Num. 580;* Arendt *De læsio-justitiæ commutativæ* (Prati 1914).

per Missam ab alio sacerdote celebratam gratis; ergo etiam per Missam celebratam stipendio minori 19.

Qu. 2. — Quid importat taxatio stipendii facta ab Episcopo?

Resp. Importat duo: *a*) Sacerdos summam taxatam exigere potest, quin incurrat notam negotiationis, injustitiæ, avaritiæ. — *b*) Idem prohibetur stipendium majus exigere sub ratione stipendii Missæ; at non prohibetur majus sponte oblatum accipere, etsi nullus alius titulus accedat ratione incommodi, aut gratitudinis, paupertatis, etc. — *c*) Non prohibetur *per se* stipendium minus accipere: at qui hoc faciat regulariter et publice, male agit; tum, quia Missæ dignitatem quodam modo deprimit; tum, quia speciem *concurrentiæ* id induere videretur. Sub hoc respectu Episcopus prohibere potest, ne id fiat *regulariter;* quod ex responsis Apostolicæ Sedis confirmatur.

197. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quænam sunt dicendæ Missæ *manuales,* quænam *ad instar manualium?*

Resp. a) Dicuntur *manualia stipendia,* quæ a fidelibus offeruntur sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis heredibus facta. — *b*) Ad *instar manualium* vocantur stipendia Missarum fundatarum, quæ applicari non possunt in proprio loco, aut ab iis qui eas applicare deberent secundum tabulas fundationis, et ideo de jure aut S. Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendæ sunt ut iisdem satisfiat. — *c*) *Alia* stipendia, quæ ex fundationum reditibus percipiuntur, appellantur *fundata,* seu *Missæ fundatæ* 20.

Punctum II. — *De curanda certa onerum impletione.*

198. **Principia. I.** « Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione præscripserit; *a*) Missæ pro urgenti causa oblatæ quamprimum tempore utili sunt celebrandæ; *b*) in aliis casibus Missæ sunt celebrandæ intra modicum tempus, pro majore vel minore Missarum numero; *c*) quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit eas celebrare: tamen *d*) nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum recipere, quibus intra annum satisfacere nequeat ».

II. « Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, sub exitum cujuslibet anni, Missarum onera, quibus

19) Ballerini *Num. 257;* D'Ann. *190, 17;* Gén. *231;* Noldin *191;* Arregui *567, 5.*

20) Codex *Can. 826.*

nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum. In Missis ad instar manualium obligatio eas deponendi decurrit a fine illius anni, intra quem onera impleri debuissent; in manualibus vero, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate ».

III. « Qui habeant Missarum numerum, de quibus sibi liceat disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis; dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione majores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos. Ipsi vero obligatione tenentur usquedum acceptatæ ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint » [21].

199. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Quodnam sit *modicum tempus,* intra quod celebrandæ sint Missæ extra casum causæ urgentis?

Resp. Censemus habendam esse ceu normam saltem directivam, quæ dabatur in Decreto *Ut debita,* una cum opinionibus declarativis theologorum. Itaque tempus utile pro una Missa est mensis, pro centum semestre: inter hos limites longius vel brevius pro majore vel minore Missarum numero, rem cum quadam discretione accipiendo [22]. Ita, si decem stipendia tradantur ab uno offerente, Missæ celebrandæ sunt intra dies ferme quinquaginta: at, si decem stipendia a totidem offerentibus tradantur, omnes celebrandæ sunt intra mensem. Ceterum non videtur esse peccatum grave dilationem, quæ pro numero Missarum levis sit; puta unius vel paucorum dierum. Quod si offerentes in majorem dilationem consentiant, aut certe consensuri præsumantur, licebit et hos limites transilire.

Qu. 2. Utrum umquam liceat Missarum onera recipere, quibus prævidetur satisfieri non posse intra annum?

Resp. Certe numquam recipere licet ab offerente exsecutore voluntatis aliorum, præsertim defunctorum. In eo tantum casu licebit, quo quis offerat nomine proprio et in hanc dilationem etiam ultra annum sponte consentiat: in hoc casu sacerdos suo registro notam accuratam apponat, ut de accepto onere et forte nondum impleto constet, si forte interim moriatur. « Imo omnes sacerdotes debent accurate adnotare quas quisque Missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit » [23].

21) Codex *Can. 834* § *2, 841, 839.* — Nonnihil remissum rigori decreti *Ne temere.*
22) S. Congr. Conc. 27 febr. a. 1905. — Noldin *Num. 187;* Alb. *186 IV.*
23) Codex *Can. 844* § *2.*

CAPUT IV.

DE PRÆSCRIPTIONIBUS LITURGICIS CIRCA MISSAM

200. Tum propter intrinsecam sacramenti et sacrificii eucharistici dignitatem, tum ad conciliandam eidem fidelium venerationem, Ecclesia jam a primis temporibus pro ejusdem celebratione ritus ac cæremonias determinatas præscripsit a sacerdotibus celebrantibus servandas. Ex his præscriptionibus quædam respiciunt adjuncta externa celebrationis, nempe tempus, locum et sacra utensilia; quædam ipsam functionem celebrationis: continentur vero iis legibus, quæ communiter *Rubricæ* dicuntur, ac decretis S. R. Congregationis, tum quæ rubricas authentice declarent, tum quæ jus novum constituant.

Quia de his fuse agunt scriptores sacræ Liturgiæ, nobis satis sit attingere præcipuas, eas præsertim, quæ ad rem moralem pertinent.

201. *Rubricæ* Missalis dicuntur « regulæ ab Ecclesia statutæ, quæ determinant ritus ac cæremonias a sacerdote in celebratione Missæ servandas ». Rubricarum objectum sunt omnia, quæ ad decorem celebrationis ordinantur: res, preces, actiones.

Rubricæ: *a*) aliæ sunt *generales*, in initio Missalis charactere nigro dispositæ; aliæ sunt *particulares*, corpori Missalis insertæ charactere rubro. — *b*) Aliæ sunt *doctrinales*, quæ proponunt et urgent obligationem juris superioris, sive naturalis, sive divini positivi [1]; aliæ sunt *præceptivæ*, quæ vi sui obligationem, aut gravem, aut levem, imponunt ex positiva voluntate Ecclesiæ; aliæ sunt *directivæ*, quæ normam suppeditant celebrandi ad modum consilii, quin obligationem proponant aut imponant.

202. **Quaestiones.** — *Qu. un.* Utrum omnes rubricæ Missalis, exceptis doctrinalibus, sint præceptivæ?

Resp. Sententia hodie communior tenet cum S. Alphonso præceptivas esse rubricas præscribentes ritus ac cæremonias, quæ servandæ sunt intra Missam; esse vero directivas rubricas spectantes ad ea, quæ servanda dicuntur ante vel post Missam [2]. Qui vero contendunt dari posse rubricas mere directivas intra Missam, theoriam non applicant nisi uni vel alteri præscriptioni levioris momenti; puta quod sacerdos, etiam statura exiguus, ad osculandum principium Evangelii librum parumper elevet.

ART. I. — De tempore celebrationis

203. **Principia. 1.** Quilibet sacerdos potest unam Missam celebrare singulis anni diebus. At a celebratione absolute excluditur feria sexta majoris hebdomadæ; et ex parte excipiuntur

1) Cf. Suarez, apud D'Annibale *Num. 383.*
2) S. Ligorius *Num. 399;* D'Ann. *l. c.;* Noldin *208;* etc.

feria quinta et sabbatum ejusdem hebdomadæ, quibus regulariter nonnisi una Missa in eadem ecclesia celebrari potest.

11. « Missæ celebrandæ initium ne fiat citius quam una hora ante auroram, vel serius quam una hora post meridiem » [3]. Insuper rubrica præscribit, ut celebrationi Missæ Matutinum cum Laudibus præmittatur.

204. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I. Qu. un.* Utrum quandoque liceat Missam sæpius in die celebrare ?

Resp. 1.° Omnibus sacerdotibus licet tres Missas celebrare in festo Nativitatis dominicæ et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

2.° Item licet in casu veræ necessitatis : qualis certe habetur quando secus aliqua pars fidelium a Missa diebus festis audienda impediretur : judex hujus necessitatis est exclusive Episcopus 4. Quoad sacerdotem monemus duo : *a*) Pro Missa secunda nullam potest exigere retributionem titulo eleemosynæ vel stipendii. — *b*) Secundam quoque Missam celebrare debet omnino jejunus, nisi speciali indulto præditus sit.

205. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum quandoque liceat Missam celebrare ante vel post horam statutam in Codice ?

Resp. 1.° In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest Missa conventualis vel parœcialis ; insuper in domibus religiosis seu piis habentibus oratorium cum facultate SS. Eucharistiam habitualiter asservandi sacerdos tres Missas vel unam celebrare potest et sacram Communionem petentibus ministrare 5.

2.° Licet Missam ante auroram celebrare, si habeatur necessitas : *a*) ad ministrandum viaticum infirmo ; *b*) ad hoc, ut opifices, famuli, (forte et aucupes) possint die festo Missam audire ; *c*) si sponsi debeant summo mane nuptias inire ; *d*) si ipse sacerdos debeat summo mane a sua residentia discedere ; *e*) generatim licebit, si habeatur Episcopi dispensatio.

3.° Licet Missam celebrare post meridiem : *a*) in magna festivitate, qua Missa solemnis usque ad meridiem et ultra protrahatur ; *b*) occasione funeris alicujus magnatis, aut concionis vel publicæ supplicationis ; *c*) si secus magna pars populi Missa die festo careret. In hisce casibus generatim petenda licentia Episcopi.

Si vero lex Ecclesiæ absque ulla causa violetur, habetur ut materia gravis anticipatio vel posticipatio integræ horæ.

3) Codex *Can. 821* § *1.*

4) Quidam addunt et casum, quo sacerdos post sumptionem hostiæ moneatur de infirmo per viaticum communicando ; quod nonnulli permittunt etiam si sacerdos ablutiones sumpserit. Le Lugo *Disp. XV. Num. 67 ;* Gén. *Num. 239, 3.* — Cf. Sosio *Della binazione* (Roma 1915).

5) Codex *Can. 821* § *2* et *3.* — Cf. et decretum S. Off. 26 nov. a. 1908.

Qu. 2. Utrum habeatur vera obligatio non celebrandi Missam, nisi post recitatum Matutinum cum Laudibus?

Resp. Jam alibi ostendimus de nulla obligatione constare: nunc addimus nihil per rubricas Missalis novissimi innovatum esse.

ART. II. — De loco celebrationis

206. **Principia. 1.** « Missa celebranda est in ecclesia vel oratorio consecrato aut benedicto ad normam juris » [6].

11. Non licet Missam celebrare, nisi super altare consecratum, sive immobile sive mobile; quod ornatum sit cruce cum crucifixo duabus candelis cereis ac tribus mappis benedictis.

207. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum umquam liceat celebrare in oratorio privato præter casum indulti?

Resp. Absque licentia Episcopi et absente indultario id licebit unice in casu, quo Missa ibi necessario celebranda sit ad communicandum infirmum per viaticum. Insuper « Ordinarius loci, vel, si agatur de domo religionis exemptæ, Superior major, licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo, concedere potest justa tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus » 7. Ergo id numquam poterit parochus.

Sufficiens quoque est ad celebrandum sub dio causa justa et rationabilis, at ex licentia Ordinarii; quæ præsumi poterit in casu subitaneo et urgenti; ad celebrandum in navi requiritur indultum apostolicum.

Qu. 2. In quo consistat loci sacri *interdictum, exsecratio, violatio*?

Resp. 1.° Locus dicitur esse *interdictus*, cum per legitimam auctoritatem prohibentur in eo divina officia celebrari. Porro in his locis Missam celebrare grave est, et celebrans *per se* incurrit irregularitatem.

2.° « Consecrationem vel benedictionem ecclesia (aut oratorium) non amittit, nisi tota destructa fuerit, vel major parietum pars corruerit, vel in usus profanos ab Ordinario loci redacta sit » 8. Non amittit per translationem aliquarum crucium ab uno loco in alium, nec per substitutionem novarum crucium, licet hoc minus probandum sit 9.

3.° « Ecclesia (aut oratorium) violatur infra recensitis tantum actibus, dummodo certi sint, notorii, et in ipsa ecclesia positi: *a*) Delicto homicidii; *b*) injuriosa et gravi sanguinis effusione; *c*) impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit; *d*) sepultura infidelis vel excom-

6) Codex *Can. 822* § 1. — Cf. et *Can. 1103.*

7) Codex *Can. 822* § *4.* — *Cf.* et S. C. *De disc. Sacram.* 23 dec. 1912.

8) Codex *Can. 1170.* — Certe addendus casus, quo locus ita amplificetur, ut communi æstimatione censeatur alius esse a præsistente consecrato.

9) S. R. Congr. 18 febr. 1696, 31 aug. 1857. — Cf. *Monit ecles.* VIII. II. 111, sequ.

municati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam » 10. In ecclesia autem violata prohibitum est *sub gravi* Missam celebrare, antequam ea rite reconcilietur.

208. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quibus factis altare consecratum exsecretur?

Resp. 1.° « Altare immobile amittit consecrationem, si tabula seu mensa e stipite, etiam per temporis momentum, separetur ».

2.° « Tum altare immobile tum petra sacra amittunt consecrationem: *a*) si frangantur enormiter, sive ratione quantitatis fractionis, sive ratione loci unctionis; *b*) si amoveantur reliquiæ aut frangatur vel amoveatur sepulchri operculum, excepto casu quo ipse Episcopus vel ejus delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias » 11.

Qu. 2. Utrum et quatenus peccet sacerdos celebrans sine cruce, aut sine candelis accensis, vel sine tribus mappis benedictis?

Resp. Generatim hæ rubricæ habentur ceu præceptivæ, at *sub levi* 12. Plures grave habent celebrare absque ullo lumine; adeo ut, si utraque candela ante consecrationem exstinguatur, nec saltem unum lumen possit accendi, censeant Missam esse abrumpendam: forte celebrare licebit ad viaticum ministrandum. Item grave habetur celebrare absque ulla mappa, excepto casu necessitatis gravis: celebrare super mappas non benedictas, censetur esse leve. — Rubrica de intorticio ante elevationem hostiæ accendendo abiit in desuetudinem.

ART. III. — De sacris utensilibus

290. Præcipua ex his sunt: *a*) Patena consecrata et calix consecratus; *b*) corporale cum palla benedictum; *c*) sacra indumenta ac paramenta benedicta: insuper *d*) pro Missa celebranda necesse est haberi ministrum inservientem. — Hæc et alia minoris momenti præscripta habentur in rubricis Missalis, et in decretis ac declarationibus S. R. Congregationis.

210. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum patena et calix necessario debeant esse consecrati, et quibus factis exsecrentur?

Resp. ad 1. *Affirmative,* et quidem ex communi theologorum sententia *sub gravi.*

Ad 2. « Sacra suppellex benedicta aut consecrata benedictionem aut consecrationem amittit: *a*) si tales læsiones vel mutationes subierit, ut pristinam amiserit formam, et jam ad suos usus non habeatur idonea; *b*) si ad usus indecoros adhibita vel publicæ venditioni exposita fuerit: *c*) calix et patena non amittitunt consecrationem ob consumptionem vel

10) Codex *Can. 1172.* Ergo non amplius effusione humani seminis.
11) Codex *Can. 1200.*
12) S. Ligorius *Num. 393.* — Crux conspicua esse debet sacerdoti et populo.

renovationem auraturæ, salva tamen priori in casu gravi obligatione rursus ea inhaurandi » 13.

Qu. 2. Utrum præceptiva sit rubrica de adhibendis corporali et palla, et quidem benedictis ?

Resp. Generatim *affirmative*, saltem *sub levi*. Imo celebrare sine corporali extra casum gravis necessitatis, a pluribus habetur ut mortale : item erit peccatum *per se* grave celebrare cum corporali benedicto, at notabiliter immundo, nisi necessitas habeatur.

Qu. 3. Utrum, et quatenus, præceptiva sit rubrica præscribens usum vestium sacrarum, ac determinatos paramentorum colores ?

Resp. Rubrica præscribens ut adhibeantur vestes benedictæ habenda est ut præceptiva, et quidem *sub gravi;* tamen admittit parvitatem materiæ. Rubrica præscribens determinatos colores, generatim quidem ut præceptiva habetur, at *sub levi;* nisi propter immensam inconvenientiam scandalum detur ; ex. gr., utendo paramentis nigris in festo Paschatis.

Qu. 4. Utrum, et quatenus præceptiva sit rubrica præscribens ut in Missa celebranda adhibeatur minister inserviens, et quidem masculus ?

Resp. Affirmative, et *sub gravi*, ad primum ; adeo ut non liceat ab hac rubrica recedere, nisi gravis necessitas urgeat ; ex. gr., cum deferendum est viaticum ad infirmum, cum celebranda est Missa ut fideles præcepto audiendi satisfacere possint, cum inserviens post offertorium discedit. Deficiente autem viro, numquam poterit sacerdoti ministrare femina : hæc tantum poterit ei respondere ex causa justa ; ex. gr., ut communitas possit die feriali Missam audire, ut ipse secerdos ex devotione celebrare possit, et similibus.

Qu. 5. Quid censendum sit de sic dicta *Missa dialogata* ?

Resp. Ea prorsus est respuenda ; quippe quæ et suspicione originis sectariæ non vacat, et evidenter pluribus rubricis opponitur, quæ decernunt dialogismum habendum esse inter sacerdotem celebrantem et ministrum, vel (in Missa solemni) inter sacerdotem et ministros 14. Certe a quavis dialogizatione excludendæ sunt mulieres ; quarum nonnisi una, et a loginquo, et justa de causa, respondere potest sacerdoti, dummodo deficiat vir. Adde quod dialogizatio etiam cum cœtu virorum inconvenientibus abundat 15.

ART. IV. — De ritibus in ipsa celebratione servandis

211. Sanctitas sacrificii eucharistici, ac munus, quod pro ecclesia in eo gerit sacerdos, postulant omnino ut hic summa conscientiæ puritate ac interna et externa devotione ad celebrandum accedat. At insuper ecclesia eidem imponit ut cæremonias in rubricis præscriptas sedulo pie-

13) Codex *Can. 1305.*

14) Cf. Codicem *Can. 818.* — Cf. et nostrum *Novità liturgiche* pag. 44-47. (Verona 1917).

15) S. R. Congr. 4 aug. 1922, apud, *Acta Ap. Sedis* XIV. 505.

que observet 16. Quapropter Missa celebrari debet prout ex rubricis ac decretis S. R. Congregationis determinatur in Kalendario diœcesano et in Missali exhibetur; nec regulariter licet quidquam ex ea omittere vel addere aut quomodocumque mutare, vel eam interrumpere. Quidquid contra hæc fiat, peccatum erit, aut mortale, aut saltem veniale; nisi causa habeatur ad gravitatem violationis proportionata.

212. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Undenam discerni possit, utrum quæpiam rubrica, præcipiens ritum intra Missam servandum, id præcipiat *sub gravi*, vel *sub levi?*

Resp. Normæ principales duæ sunt: *a*) Ipsa forma rubricæ; *b*) ejusdem materia considerata, tum in se, tum præ communi sententia theologorum, et declarationibus S. R. Congregationis, si habeantur.

Ex norma prima obligant *sub gravi* rubricæ, quæ, cum aliquem ritum præcipiunt, simul addunt sacerdotem aliter agentem graviter peccare: verum pleræque ex his sunt doctrinales.

Ex norma secunda: *a*) Peccat graviter sacerdos omittens voluntarie ritum, qui notabilis sit, sive dignitate (Offertorium, *Pater noster*, fractio hostiæ ejusque immixtio cum sanguine), sive quantitate (Epistola cum graduali et Evangelio): partes extraordinariæ (*Gloria, Credo*, Sequentia) habentur ut minus notabiles. — *b*) Graviter peccaret sacerdos omittens voluntarie omnes genuflexiones, etiam ad consecrationem: omittens aliquas vel dimidians non excusatur a veniali, nisi legitimo impedimento excusetur. — *c*) Graviter *per se* peccare a quibusdam dicitur sacerdos, si elata voce proferat verba consecrationis; minus graviter, si reliqua secreta, aut si demissa vocet dicat quæ dicenda sunt voce elata. — *d*) Graviter peccat, qui aliqua addat, præsertim aliena a Missali, animo introducendi ritum novum; vel etiam si absque hoc animo addat in notabili quantitate, vel quid nimis deforme, ut *Gloria* in Missa de *Requiem*. Sed qui ex importuna devotione addat Credo, non censetur graviter peccare: qui addat collectam, forte ne leviter quidem: qui submissa voce jaculatoriam interserat, certe non peccat, nisi quatenus Missam interrumptat. — *e*) Peccat graviter, qui extra casum gravissimæ necessitatis Missam definitive suspendat inter utramque consecrationem, vel inter consecrationem et communionem. Qui eam interrumpat accidentaliter absque causa gravi, peccat graviter, vel leviter, pro quantitate interruptionis; at ne leviter quidem peccat, qui interrumpat juxta receptas consuetudines; puta post Evangelium ad habendam homiliam, vel post sumptionem sanguinis ad recipiendam emissionem aut renovationem votorum vel ad habendam brevem adhortationem pro communione solemni. — *f*) Peccat, qui Missam celebret non respondentem officio, excepto casu, quo aliter permittant vel jubeant rubricæ aut decreta S. R. Congregationis: at ex S. Alphonso hic peccat leviter, nisi vel agat ex contemptu, vel scandalum habeatur adstantium; puta, si Missam de *Re-*

16) Concilium Trid. *Sess. XXII. De observ in celebr. Missæ.*

quiem legat in festis Paschatis aut Nativitatis Domini. — g) Denique peccant *per se* graviter contra rubricas et contra ipsum jus naturale, qui, nihil magis solliciti quam ut fastidio Missæ sese expediant, cæremonias et preces omni celeritate persolvere festinant, cum detrimento debitæ reverentiæ et cum gravi scandalo fidelium. « Hujusmodi corruptela, non quidem calamo, sed lacrimis esset persequenda; dum quotidie cernimus maximam partem sacerdotum hoc tremendum sacrificium peragere pejus quam tractant res temporales levioris momenti, ita oscitantes, ut nullam de tanto mysterio fidem habere videantur » 17.

Qu. 2. Utrum celebrare possit sacerdos, qui propter infirmitatem corporalem non potest omnes rubricas servare?

Resp. Si cogitur ea tantum omittere vel mutare, quæ sunt minoris momenti, *affirmative;* ita, si non possit usque ad terram genuflectere, vel hostiam super caput elevare, vel rectus diu sistere sine baculo, etc. Si debet utroque brachio super altare inniti, vel hostiam nullatenus posset elevare, neque sanguinem sumere absque alterius adjutorio, generatim posset celebrare privatim, minime vero publice; nisi ejus Missæ, puta die festo, habeatur necessitas pro fidelibus. At, si tali laboret infirmitate, qua celebrare cogeretur sedendo, aut ab altero fulciedus esset, facultas celebrandi impetranda est a S. Sede, aut pro causa urgente et ad modum actus transeuntis ab episcopo.

17) S. Ligorius *Num. 400.* Cf. et ejus *La Messa e l'Officio strapazzati. Parte I.*

TRACTATUS QUARTUS

DE POENITENTIA

213. « Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et dæmonis potestatem tradidissent; sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicaretur » 1.

Hoc sacramentum est materia tractationis præsentis; cujus gravitatem facile æstimabit, qui tria hæc advertat: *a*) Hoc sacramentum est maximæ necessitatis et usus frequentis pro fidelibus, et administrationis ferme quotidianæ pro sacerdotibus. — *b*) Ejusdem recta administratio supponit et sæpe exigit in ministro cognitionem totius scientiæ moralis, sæpe etiam dogmaticæ et apologeticæ, asceticæ et mysticæ, imo et juridicæ, tum canonicæ, tum civilis. — *c*) Ejusdem sacramenti validitas et digna ac fructuosa susceptio ex parte fidelium quam maxime pendet a scientia et prudentia et zelo ministri.

Juxta methodum communem: 1.° Præmissis notionibus de virtute pœnitentiæ, agemus de ipso Pœnitentiæ sacramento ejusque elementis; 2.° dicemus de iis, quæ requiruntur ex parte subjecti; 3.° de iis, quæ requiruntur ex parte ministri 2.

SECTIO PRIMA

DE IPSO SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

CAPUT I.

DE VERITATE ET NECESSITATE HUJUS SACRAMENTI

214. *Pœnitentia* in genere est ea animi displicentia, quam quis experitur de suo facto vel omisso, quod non fecisse vel non omisisse vellet. Tunc autem pœnitentia est virtus, cum objectum displicentiæ est malum morale proprium, in relatione ad Deum. Hinc definiri solet:

1) Conc. Trid. *Sess. XIV. Cap. I.*: cf. et *Sess. VI. De justif. Cap. XIV.*
2) Tractant S. Thomas *P. 3. Qu. 84-90,* et *Supplem. Qu. 1-28;* S. Ligorius *Lib. VI. Num. 425-705;* Ball. V. *Sect. V. De sacram. Poenit;* etc.

« Virtus moralis, adnexa justitiæ, quæ inclinat peccatorem ad detestationem peccati sui, quatenus hoc, Deum offendens, facit eum ipsi aversum et indignatum, simul peccatorem inclinans ad satisfaciedum Deo pro injuria eidem illata ac ad propositum non peccandi de cetero. Ipsa peccati detestatio est actus virtutis pœnitentiæ.

Magni momenti est distinctio, qua pœnitentia dicitur esse *formalis*, vel *virtualis*. Dicitur *formalis* ea, qua actu habeatur in voluntate detestatio peccati: *virtualis* vero dicitur actus, qui eam detestationem contineat virtute; ejusmodi esset actus caritatis erga Deum, qui necessario continet aversionem ac detestationem peccati mortalis, quod directe caritati Dei adversatur.

Porro doctrina certissima est, in præsenti ordine divinæ providentiæ nullum peccatum actuale remitti posse, nisi peccatorem illius pœniteat pœnitentiâ formali, aut saltem virtuali; ideoque neque in ipso sacramento Pœnitentiæ dari posse peccatorum remissionem absque virtute pœnitentiæ. Hinc, quoniam homo, non modo prohibetur peccare, sed et, commisso peccato, prohibetur in eo statu permanere, ideo habetur verum præceptum, utique affirmativum, quo post commissum peccatum tenemur de eo, aut formaliter, aut virtualiter, pœnitere. Quinimo in nova Lege pœnitentia, ut peccatum mortale destruat, conjuncta esse debet cum sacramento Pœnitentiæ aut cum ipsius desiderio.

215. Pœnitentia, prout est sacramentum, definitur: « Sacramentum a Christo institutum ad peccata post Baptismum commissa homini pœnitenti et confesso per absolutionem sacerdotalem remittenda ».

Præmittimus principales doctrinas theoreticas a Concilio Tridentino definitas a theologis expositas: alias dabimus suis in locis.

216. **Quae sunt de fide. — I.** Pœnitentia, quæ in Ecclesia catholica ritu judiciali secreto peragitur, est vere et proprie sacramentum, a Baptismo distinctum, pro fidelibus post Baptismum lapsis Deo reconciliandis a Christo institutum.

II. Christus per ea verba « *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. » [1], Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus dedit veram potestatem remittendi ac retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ.

III. Absolutio sacramentalis data a sacerdote est vere actus judicialis quo ab ipso, veluti a judice, sententia pronuntiatur; idcirco requiritur ex parte pœnitentis accusatio peccatorum, ut sacerdos, cognitâ causâ, eum possit absolvere.

217. Ex his aliisque Concilii Tridentini doctrinis theoreticis sequuntur quædam practicæ, quarum præcipuæ sunt sequentes:

1) Juxta Modernistas in *Prop. 47* syllabi *Lamentabili*, hæc verba minime referuntur ad sacramentum Pœnitentiæ, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

Principia. 1. Sacramentum Pœnitentiæ ex Christi præcepto necessarium est necessitate medii ad consequendam remissionem peccatorum mortalium, quæ quis post susceptum Baptismum commiserit. Ratio est, quia e Christi voluntate, si Apostoli eorumque successores quorumdam peccata non remiserint in terra, eadem nec remittuntur in cælis. Confirmatur ex doctrina Concilii Tridentini [2].

II. Ad validitatem et efficaciam sacramenti Pœnitentiæ: *a*) ex parte subjecti requiruntur duo; nempe, virtus pœnitentiæ ex jure naturali, et peccatorum submissio auctoritati judiciali ex jure divino positivo; *b*) ex parte ministri requiritur sententia judicialis absolutionis.

218. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Eo ipso quod necessitas sacramenti Pœnitentiæ pendet ex institutione positiva, si quando realis sacramenti susceptio impossibilis sit, suppleri potest per votum seu desiderium ejusdem.

2.ª Votum sacramenti non poterit *per se* justificare peccatorem; sed poterit esse dispositio sufficiens, ut virtus pœnitentiæ, quæ in veteri Lege justificabat, justificet etiam in Lege nova.

219. *Ex Princ. II.* — 1.ª Finis judicii sacramentalis non est ut reus puniatur, sed ut reus pœnitens absolvatur; hinc sine absolutione sacramentum non exsistit.

2.ª In hoc judicio duæ tantum sunt personæ: reus (qui simul est sui ipsius accusator), et judex: potestas judicialis istius dici solet *potestas clavium.*

3.ª Sententia lata a sacerdote, sive absolutionis, sive retentionis peccatorum, rata habetur a Deo; excepto casu, quo sacerdos, utpote homo, decipiatur aut erret in re ad substantiam judicii pertinente.

CAPUT II.

DE MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

220. Dum in ceteris sacramentis habetur res aliqua objective exsistens, quæ, formæ sacramentali subjecta, dicitur *materia;* atque, cum vim habeat significativam gratiæ, simul et vim habere debet ejusdem gratiæ causativam, nihil hujusmodi habetur in sacramento Pœnitentiæ, quod jure dici potest sacramentum *sui generis.* Hinc theologi nomine *materiæ remotæ* in hoc sacramento intelligunt ipsa peccata; nomine autem *materiæ proximæ* intelligunt eorumdem peccatorum subjectionem erga auctoritatem judicialem, ut per ejus sententiam destruantur. Quapropter

2) Concilium Trid. *Sess. XIV. Cap. II.*

forte melius cum quibusdam theologis peccata dicuntur *tenere locum materiæ;* eorumdem vero subjectio erga auctoritatem judicialem cum Tridentino Concilio dicitur hujus sacramenti *quasi-materia* [1]; et ipsi actus ex parte pœnitentis necessarii, nempe confessio, contritio et voluntas satisfaciendi, dicuntur ipsius sacramenti *partes integrales* [2].

Materia remota hujus sacramenti distinguitur duplex. Alia dicitur *necessaria* seu *obligatoria;* quam nempe peccator necessitate, tum præcepti, tum medii, subjicere debet potestati clavium: alia dicitur *libera,* quam peccator potest eidem potestati subjicere, quin teneatur.

221. **Principia. I.** Materia remota necessaria sacramenti Pœnitentiæ sunt omnia peccata mortalia, quæ fuerint post Baptismum commissa, neque umquam fuerint remissa per absolutionem judicialem, et quidem *directe,* h. e., vi verborum [3].

II. Omnia peccata venialia post Baptismum commissa, et ipsa peccata mortalia jam vi clavium directe remissa, possunt esse materia libera sacramenti Pœnitentiæ: hæc autem materia libera *sufficiens* est ad validitatem sacramenti. Constant hæc ex praxi fidelium et ex doctrina Concilii Tridentini [4].

III. Materia proxima sacramenti Pœnitentiæ est materiæ remotæ pœnitens subjecto erga potestatem clavium; seu peccatorum confessio cum detestatione eorumdem, et cum proposito non peccandi de cetero, et voluntate satisfaciendi.

222. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si quis adultus baptizetur, ejus peccata antebaptismalia non sunt materia necessaria sacramenti, imo nec sunt ejusdem materia apta. Ratio prioris est, quia fuerunt remissa vi Baptismi: ratio alterius, quia Ecclesia non judicat de his, quæ foris sunt.

2.ª Si quis suorum peccatorum remissionem consecutus fuerit per actum contritionis perfectæ, adhuc ejus peccata mortalia sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ; item, si cui peccatum aliquod remissum fuit vi clavium, at indirecte, puta quia ex oblivione omissum.

223. *Ex Princ. II.* — 1.ª In confessione possunt omitti quædam, aut plura, aut etiam omnia peccata venialia: at, si quis vult sacramentum accipere, debet saltem unum veniale, aut unum mortale jampridem remissum, confiteri.

2.ª Non sunt materia sufficiens ad valorem sacramenti violationes

1) Concilium Trid. *Cap. III.* — Cf. Ball. *Num. 2, seqq.*
2) Catechismus Conc. Trid. *P. II. De Pœnitentia Num. 21.*
3) Codex *Can. 901.* — Demostratio dabitur ubi de integritate confessionis.
4) Concilium Trid. *Cap. V.* Codex *Can. 902.* — De utilitate confitendi venialia S. Franciscus Salesius *Introd. alla vita divota P. II. 19.*

legum, aut constitutionum, aut regularum non obligantium in conscientia; nisi forte illæ violationes fuerint peccata *per accidens*, ratione contemptus vel scandali.

3.ª Non sunt materia sufficiens imperfectiones, omissiones alicujus operis supererogatorii, defectus morales; item nec legum violationes, quæ fuerint indeliberatæ vel prorsus involuntariæ.

224. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Utrum adultus, sub conditione baptizandus, teneatur confiteri peccata jam alias confessa et absoluta?

Resp. Negative. Ratio est, quia, si Baptismus præcedens fuerat validus, ea peccata fuerunt remissa vi absolutionis; si non fuerat validus, remittuntur per Baptismum iteratum, ac insuper quoad sacramentum Pœnitentiæ subsequens essent materia inepta.

Qu. 2. Quid, si iste gravetur peccatis numquam confessis?

Resp. In hoc casu ille tenetur horum peccatorum consequi remissionem certam. Porro non consequetur remissionem certam per novum Baptismum dubium; ergo eam debet consequi, aut per contritionem perfectam, aut per absolutionem post novum Baptismum, quæ certe valida erit: at non censemus eum ad sacramentum Pœnitentiæ taxative teneri: quippe cujus ea peccata non sunt nisi materia dubia. At certe confessio suadenda.

Idem censemus esse dicendum circa neoconversos ex dubio prioris Baptismi rebaptizandos. Eorum obligatio acquirendi sibi suorum peccatorum actualium remissionem certa est: sed obligatio eam sibi acquirendi per claves Ecclesiæ ex Baptismo dubio dubia est. Pro sententia opposita afferuntur decreta quædam S. Officii: at jure dubitari potest, num ea sint generalia. Cum casus apud nos rariores sint, remittimus ad auctores, qui rem tractant fusius [5].

Qu. 3. Utrum peccatum confessum tantum in genere sit materia sufficiens sacramenti Pœnitentiæ?

Resp. 1.° Si quæstio fiat de validitate, sententia affirmans videtur esse certa. Sane, si quis sciat se peccasse mortaliter et speciem peccati non recordetur, tenetur confiteri generice: « peccavi mortaliter »; et ab hoc peccato debet absolvi: porro, si tale peccatum est materia necessaria, certe est et sufficiens; et proinde sufficiens quoque erit peccatum quodcumque confessum in genere.

2.° Si quæstio fiat de liceitate relate ad pœnitentem, qui gravatur mortalibus et ea potest in specie et numero confiteri, hic insufficienter confiteretur sua peccata in genere: absolutionem reciperet illicite et invalide: ac illicite eum absolveret confessarius. Quod si pœnitens non habeat nisi venialia, aut etiam mortalia alias vi clavium remissa directe, hic nulla lege tenetur sua peccata confiteri in numero et specie; hinc, si ea confiteretur in genere, confiteretur licite, et licite ac valide absol-

5) D'Annibale *301*, *3* Ball. *28*; Gen. *250*; Sabetti *725*; Ferr. *527*; Noldin *225*; Sebast. *458*; etc.

veretur. Hinc « ei, qui materiam necessariam non habet, satis est dicere; peccavi » 6.

Hæc theoretice videntur esse certa. Verum, quia circa validitatem hujus confessionis genericæ, et præsertim circa liceitatem in materia mere sufficienti, theologi quidam dubitant 7, ideo confessarius in casu necessitatis pœnitentem absolvat, saltem conditionate; extra casum necessitatis, a pœnitente exquirat saltem unum veniale, quod facile erit; et sic eumdem absolvat. Huic conclusioni cohæret praxis communis confessariorum et pœnitentium.

225. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Utrum tres actus pœnitentis sint sensu proprio materia proxima sacramenti Pœnitentiæ ?

Resp. Inter theologos gravis auctoritatis *controvertitur*. Controversia autem huc tendit, ut definiatur num valida sit absolutio pœnitentis, qui, usu sensuum destitutus, at compos sui, interne doleat ac votum habeat confitendi, at suum dolorem suumque votum nullo modo possit reddere sensibiles. Qui ad quæstionem propositam respondent *affirmative*, respondent *negative* ad alteram; et viceversa. Ceterum quoad praxim, utrique docent homini huic dandam esse absolutionem, licet conditionatam: illi, quia potest esse quod dolor ac votum sensibiles fiant, quin hoc noscat confessarius: isti, quia dolor ac votum sunt mere dispositiones requisitæ ad justificationem per sacramentum, quæ non necessario debent esse sensibiles: patet hanc alteram opinionem sibi melius cohærentem esse 8.

CAPUT III.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

226. Forma, ut in ceteris sacramentis, alia est *essentialis*, alia *rubricalis*: item alia est *absoluta*, alia *conditionata*: at in hoc sacramento, frequentius quam in ceteris, conditio potest esse mente concepta, quin verbis exprimatur.

Principia. I. Forma certe valida sacramenti Pœnitentiæ habetur in verbis « ego te absolvo a peccatis tuis » : item valida est quælibet alia eidem æquivalens : proferri autem debet a sacerdote super subjectum moraliter præsens.

II. Valida est prædicta forma, etsi detur sub conditione de præterito vel de præsenti, quæ jam sit verificata. Hæc autem for-

6) D'ANNIBALE *Num. 303, 18.* — Cf. APICELLA *Studio sull'assoluzione da darsi a chi non offre materia certa* (Scafati 1880) BALL. *ad* GURY *233, 5;* GEN. *262;* etc.

7) LEHMKUHL *Num. 264-267;* NOLDIN *231;* SABETTI *725 Qu. 5.*

8) Hanc præferunt BALL. *Num. 2-14, 66;* BER. *4432* : minus probant; TUMM. *420;* LEHMK. *256, seqq.* Utramque plus minus æque probabilem habent NOLDIN *222;* GEN. *263;* VERM. *442.*

ma tunc est adhibenda, cum ratio gravis habetur concedendi absolutionem, et simul non licet eam dare absolute.

111. Formæ essentiali ex præcepto Ecclesiae adjicienda est invocatio explicita sanctissimæ Trinitatis : aliæ autem preces, nisi justa de causa, ne omittantur.

227. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Certe valida est forma : « te absolvo a peccatis tuis » ; invalida « absolvo » ; dubia « absolvo a peccatis tuis », vel « te absolvo ».

2.ª Forma deprecatoria « Deus te absolvat » valde dubia est ; ergo numquam adhibenda.

3.ª Si nihil obstet aliunde, valida est forma super plures pœnitentes præsentes prolata : « ego vos absolvo a peccatis vestris ».

4.ª Valide absolvi potest infirmus lecto decumbens a sacerdote in limine januæ consistente ; item in ecclesia pœnitens, qui, sua peccata confessus, paulisper e sede confessionali recesserit ; item in via moribundus a sacerdote e fenestra domus adjacentis.

5.ª Ad valorem absolutionis non requiritur conjunctio proprie dicta ejusdem cum confessione quoad tempus : hinc certe absolvitur valide pœnitens jam ab hora sua peccata confessus 1.

6.ª Invalide sacerdos per nuntium vel per epistolam absolveret longe absentem. At necesse non est quod pœnitens verba audiat.

228. *Ex Princ. II.* — 1.ª Valida est absolutio sub his conditionibus « si vivis, si hoc peccatum commisisti, si vere doles, si in confitendo sincerus es, si te non absolvi » ; dummodo revera ita sit.

2.ª Invalida est absolutio sub conditione « si per hebdomadam non peccabis » ; et quidem, etiam si verificetur conditio.

3.ª Nedum potest, sed et dari debet, absolutio sub forma conditionata, si sacerdos de quopiam adulto catholico dubitet, num vivus sit, an mortuus ; num propter distantiam eum vitâ periclitantem absolverit valide, an non ; etc.

229. **Quæstiones.**— *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quænam sit efficacia formæ in sacramento Pœnitentiæ ?

Resp. Immediate et *per se* ea est, ut subjecto disposito remittat ea peccata, quæ fuerunt formæ subjecta, tamquam materia destruenda. Verum, quia in præsenti ordine divinæ providentiæ peccata remittuntur, non per meram cessationem imputationis, nec per meram condonationem extrinsecam, sed per infusionem gratiæ sanctificantis 2, ideo efficacia formæ ea est, ut peccatori pœnitenti gratiam infundat et per ipsam eumdem justificet. Quare eumdem justificat, non modo a peccatis formæ subjectis, sed et a ceteris peccati mortalibus, quæ peccator, utique pœnitens, ex impotentia aut ex gravi motivo eidem non subjecerit ;

1) Cf. Ballerini Vol. IV. *De sacram. in gen. Num. 8.*
2) Conc. Trid. *Sess. VI. De justif. Cap. VII.* — Cf. Sabetti *Num. 71.*

quippe quæ in anima justificata per gratiam subsistere non possunt. Peccata, quæ fuerunt formæ subjecta, dicuntur remitti *directe* seu *vi verborum;* quæ subjecta non fuerunt, dicuntur remitti *indirecte*.

Qu. 2. Utrum valida sit absolutio data per telephonium ?

Resp. Sacra Pœnitentiaria, interrogata « utrum in casu extremæ necessitatis dari possit absolutio per telephonium ? », respondit « nihil esse respondendum ». Re in se considerata, quidam censent eam absolutionem omnino invalidam esse, ac proinde numquam eam dari posse, ne in casu quidem extremæ necessitatis ; eo quod in hac forma absolvendi non habentur *verba* ministri, nec *præsentia* subjecti [3]. Alii eam absolutionem habent ut dubiam ac proinde censent non esse damnandum sacerdotem, qui eam proferat conditionate erga pœnitentem, qui absens et gravissimo morbo correptus, eam petat ; ceterum non esse eâ umquam utendum extra casum extremæ necessitatis [4]. Quousque S. Sedes suam mentem clarius non aperiat, censemus non esse ab hac praxi recedendum.

230. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Utrum quandoque in danda absolutione sacerdos eam dare possit sub conditione propter dubium circa exsistentiam dispositionis in pœnitente ?

Resp. Affirmative ; dummodo habeatur causa suadens aut exigens non esse ei denegandam absolutionem. Ratio est, quia talis conditio est *de facto* (vel *de non facto*) *præsenti* : ergo absolutio sub tali conditione danda est, quoties causa habetur suadens aut exigens administranda esse sacramenta sub conditione *de præsenti*.

Qu. 2. Quandonam confessarius in danda pœnitenti absolutione teneatur eam dare sub forma conditionata propter dubia circa dispositiones pœnitentis ?

Resp. Quando duæ conditiones verificentur : Prima, quod ex parte pœnitentis habeatur necessitas (non dicimus *jus*) accipiendi absolutionem : altera, quod propter dubitationes sacerdotis absolutio data sub forma absoluta probabiliter esset invalida. Tunc caritas exigit ut ejusmodi pœnitenti non denegetur absolutio : religio postulat ut absolutio non detur sub forma absoluta, quippe quæ probabiliter esset invalida.

Casus certi sunt duo sequentes ; controversos expendemus inferius : *a*) Absolvi debent sub conditione « si es dispositus » omnes moribundi catholici, qui possunt esse, aut esse noscuntur, in statu peccati mortalis, ac de quibus sacerdos dubitat, num sint dispositi : imo absolvendi sunt omnes, quos non constat esse indispositos. — *b*) Item sub conditione absolvi debent omnes, de quorum dispositione dubitetur, si versentur in gravi periculo moriendi ; cujumodi esset mulier in partu difficili, infirmus ante operationem chirurgicam periculosam, miles profecturus in prælium.

3) Ita dubitanter LEHMKUHL *Casus 301;* MARC. *1663;* NOLDIN *239 e;* ZANIN. *2144.*

4) Cf. GENICOT. *Num. 267;* TANQU. *272;* QUÉV. *961;* FERR. *536 NB;* PRÜMMER *331.*

Qu. 3. Quandonam sacerdos propter dubia de dispositione possit absolutionem dare sub conditione, quamvis non teneatur?

Resp. Quando verificentur duæ conditiones: Prima, quod pœnitenti utile sit, non prorsus necessarium, habere absolutionem; eo quod ejus denegatio ipsum privaret bono spirituali notabili non necessario: altera, quod propter dubias dispositiones absolutio posset esse invalida. Casus esset, si confessarius de puero vel de adulto afferente tantum materiam levem, dubitet num propter levitatem aut hebetudinem ingenii vere doleat ac proponat: hunc pœnitentem, si non singulis hebdomadis, aliquando opportune absolvet, ne eum diu privet augmento gratiæ sanctificantis. Patet cum pueris et levioribus feminis id posse contingere frequenter.

231. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Utrum preces, præter formam essentialem, sint de præcepto? — Quid de rubricis?

Resp. a) Communiter habetur ut *sub levi* præcepta invocatio SS. Trinitatis. — *b)* Preces, quæ antecedunt formam (Misereatur... etc.), imo et quæ sequuntur (Passio), omitti possunt « justa de causa »; speciatim in confessionibus frequentioribus et brevioribus. — *c)* Sine gravi causa non omittatur præfatio formæ « Dominus noster »: vox « deinde » non est rubrica, sed pars precum; vox « suspensionis » super pœnitentem laicum omittatur. — *d)* Quoad stolam, « conveniens est ut ea in ecclesia adhibeatur » [5]: elevatio manus et formatio signi crucis certe non præcipiuntur *sub gravi;* probabiliter nec *sub levi.* — *e)* Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones sit in loco patenti et conspicuo, et crate fixa ac tenuiter perforata instructa [6].

SECTIO SECUNDA

DE SUBJECTO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

232. Subjectum habitu capax sacramenti Pœnitentiæ est quilibet homo baptizatus, qui post acceptum Baptismum peccaverit. Ut vero talis homo fiat capax actu, necesse est quod ponat ea, quæ ad habendam suorum peccatorum remissionem requiruntur, tum ex jure naturali, tum ex jure positivo divino. Ex jure naturali requiritur virtus *pœnitentiæ,* quæ usu communi et ab ipso Concilio Tridentino probato dicitur *contritio,* cum *proposito* non peccandi de cetero, et *voluntate satisfaciendi*: ex jure positivo requiritur peccatorum accusatio facta ab ipso peccatore, seu *confessio.* — Hinc dicemus: 1.° De ipsa obligatione suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ; 2.° de contritione, ac de proposito; 3.° de confessione; 4.° de satisfactione: demum 5.° de effectibus sacramenti Pœnitentiæ.

5) S. R. C. 31 aug. a. 1867. — S. Lig. *Num. 425.* Ad *Indulgentiam non* fit signum crucis: vox *Amen* dicitur a confessario; non a pœnitente.

6) Codex *Can. 909, 910;* Rituale *Tit. III. Cap. I. Num. 8.*

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE, SUSCIPIENDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ

233. **Principia. I.** Ex jure positivo divino, omnes, qui rei sint alicujus peccati mortalis post Baptismum commissi, tenentur hujus peccati remissionem obtinere per sacramentum Pœnitentiæ, et quidem directe. Ratio est, quia homo lapsus in peccatum, jure tum naturali, tum divino, prohibetur in eo statu permanere; medium autem eximendi se ab eo statu, in nova Lege necessarium, est susceptio sacramenti Pœnitentiæ.

II. Ex jure ecclesiastico, omnes, qui rei sunt alicujus peccati mortalis post Baptismum commissi, tenentur hujus peccati remissionem consequi per sacramentum Pœnitentiæ, saltem semel in anno.

234. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quandonam urgeat præceptum divinum suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Supposito statu peccati: — 1.° Hoc præceptum urget *per se* aliquando in vita; nempe, quando urget præceptum sese justificandi. Quare, si quis voluntarie in statu peccati permaneat tempore diuturniori, fit reus novi peccati; tum contra voluntatem Dei, qui vult omnes homines esse justos; tum contra charitatem erga seipsum; sive quia est in periculo permanenti damnationis æternæ, sive quia « sine gratia justificante, quod homo diu maneat absque peccato mortali, esse non potest » 1. Quinam vero sit limes extremus, ultra quem peccator reus fieret novi peccati, præsertim mortalis, definiri non potest: juxta communiorem sententiam, hæc obligatio non urget ante annum a peccato commisso; quare, qui satisfacit præcepto ecclesiastico satisfacit etiam præcepto naturali et divino 2.

2.° Urget, iterum *per se*, in articulo et in gravi periculo mortis. Ratio est, quia tunc maxime peccator tenetur seipsum justificare, cum imminet ei momentum, a quo pendet æternitas: homo autem tenetur mori justificatus, tum ex caritate erga seipsum, tum quia Deus vult omnes homines salvos fieri.

3.° Urget *per accidens*: *a*) Quando homo, in statu peccati exsistens, sumpturus est sacram communionem; *b*) quando, suscepturus quodcumque sacramentum, non valeat actum contritionis perfectæ elicere; *c*) quando gravi tentatione prematur, quam superare non possit nisi suscipiendo sacramentum Pœnitentiæ; quæ hypothesis difficilis est.

1) S. THOMAS *Summa theol. 1. 2. Qu. 109 art. 8.*

2) Hanc doctrinam S. LIGORIUS attribuit etiam S. Thomæ; quamvis ipse eidem « non omnino acquiescat. *Lib. VI. Num. 437.*

Si vero agatur de homine, qui post commissum peccatum mortale illius remissionem obtinuit per contritionem perfectam aut per absolutionem indirecte, hic adhuc quidem tenetur præcepto obtinendi illius peccati remissionem per absolutionem, et quidem directe; at difficilius est terminos hujus obligationis definire.

Evidens est, quod obligatio suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ secum fert obligationem, tum contritionis eliciendæ, tum faciendæ confessionis, quæ sunt partes ejusdem.

Qu. 2. Qua ætate homo primum teneatur præcepto divino suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ ?

Resp. Tenetur postquam, adepto usu rationis, peccatum mortale commiserit 3. Tamen opportunum est, quod pueri, etiam qui censentur graviter non peccasse, ad hoc sacramentum mature accedant; ut confessarius, eorum peccatis auditis, judicet, num forte sacramento indigeant: imo et opportunum est, ut beneficio absolutionis (saltem conditionatæ) quandoque donentur etiam qui nonnisi venialia admiserint. At quæcumque sit ætas, absurde affirmaretur obligatio confitendi ante commissum mortale: tunc incipiet; urgebit *per se* intra annum.

CAPUT II.

DE CONTRITIONE AC PROPOSITO

235. *Contritio* a Concilio Tridentino dicitur esse « animi dolor et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ». A S. Thoma definitur « dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi » 1. Cohærenter: « Essentia contritionis consistit formaliter in dolore, præsuppositive in odio, consecutive in proposito » 2. — Agemus: *a*) de ipsa contritione; *b*) de proposito non peccandi de cetero.

ART. I. — De ipsa contritione

236. Contritio dicitur dolor animi, seu displicentia ac animi amaritudo, simul cum detestatione seu abominatione peccati commissi. Duplex autem distinguitur. Alia est *contritio perfecta* seu proprie *contritio*, qua peccator dolet ac detestatur peccatum suum, eo quod adversatur caritati erga Deum: alia vero est *contritio imperfecta* seu *attritio*, qua peccator dolet ac detestatur peccatum suum, eo quod, Deum offendens, ipsum erga se indignatum fecit, et ideo punitionem a Deo timet, vel eo quod turpitudinem peccati erubescit.

3) Codex *Can. 906.* — At applicandæ solutiones datæ ad quaestionem praecedentem.

1) Conc. Trid. *Sess. XIV. Cap. IV.*; S. Thomas *Suppl. Qu. 1, art. 1.*

2) Billuart *De Pœnit. Dissert. IV. art. 1.*

Principia. I° Contritio, ut sit proprie pœnitentia et peccatorem justificet aut ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ consequendam disponat, debet esse: *a*) quoad subjectum, interna ac vera; *b*) quoad objectum, universalis; *c*) quoad principium et motivum, supernaturalis; *d*) in seipsa et quoad detestationem peccati, appretiative summa.

II. Contritio perfecta peccatorem justificat ratione caritatis, qua ipsa informatur; at in nova Lege non justificat absque voto sacramenti Pœnitentiæ.

III. Ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ, seu ad validitatem sacramentalis absolutionis, in subjecto tamquam dispositio requiritur contritio; est autem dispositio sufficiens contritio imperfecta seu attritio.

237. **Expositio.** *Princ. I.* — *a*) Contritio in primis debet esse *interna*, seu vere in corde et voluntate concepta; debet enim esse *animi* dolor, ac peccati detestatio, quæ est actus *voluntatis*. — *b*) Debet esse *universalis*, seu extendi ad omnia peccata commissa; quæ universalitas quoad peccata mortalia requiritur absolute, cum non possit unum mortale remitti, alio manente. — *c*) Debet esse *supernaturalis;* tum ratione principii; nempe, elicita esse debet sub influxu gratiæ actualis, ut proportionem habeat ad justificationem: tum ratione motivi; nempe, concepta esse debet ex motivo quod ad Deum referatur, sive hoc sit amor Dei, sive timor punitionis a Deo, sive peccati turpitudo in ordine ad Deum. — *d*) Demum debet esse *summa*: non quidem *intensive*, cum hæc intensitas summa indefinibilis sit, imo et impossibilis; sed *appretiative*, quatenus peccator suum peccatum detestetur super omnia mala, secum omnino et absolute statuens non amplius peccare [3].

238. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Mera externatio doloris per formulam memoriæ infixam non est contritio; multo minus contritio est ejusdem studiosa simulatio per verba, suspiria, lacrimas, etc.

2.ª Non est de essentia contritionis quod ea sensibilis sit, aut aliquo tempore perduret: utrumque autem utile esse potest, et forte necessarium, ad obtinendam peccatorum remissionem in sacramento Pœnitentiæ.

3.ª Qui de aliquo mortali non doleat, non potest remissionem consequi, sive illius, sive aliorum, de quibus doleat. Ratio est, quia peccatum illud obicem opponit infusioni gratiæ justificantis.

4.ª Qui vult omnium peccatorum venialium remissionem consequi, de omnibus dolere debet; at, si de aliquo non doleat, adhuc consequi

3) Ballerini *Num. 110;* Noldin *253-256;* Marc. *1667;* Verm. *568.*

potest remissione aliorum; neque, ipsum ad bonum finem confitendo, ullam irrogat injuriam sacramento 4.

5.ª Non est contritio, nec quidquam immediate ad justificationem confert displicentia, quam quis de suis peccatis concipiat propter motiva humana; puta, quia ea infamiam vel morbum sibi causarunt, aut aliorum odia sibi pepererunt, aut causa fuerunt carceris vel mulctæ aliorumve damnnorum.

6.ª E contra, vera contritio est, qua quis de suis peccatis doleat, eo quod per ea sibi meritus est punitionem a Deo; puta amissionem paradisi, pœnas inferni, vel (pro venialibus) purgatorii.

239. *Ex Princ. II.* — 1.ª Contritio perfecta peccatorem justificat etiam extra casum necessitatis, aut impossibilitatis recipiendi sacramentum Pœnitentiæ, aut martyrium.

2.ª Quoties urgeat obligatio suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ, ea obligatione tenetur etiam homo per contritionem justificatus; hinc, si sacramentum suscipere omittat, *per se* graviter peccat.

3.ª Attritio non valet hominem peccatorem justificare; non enim formatur caritate, quæ vere et proprie justificat.

240. *Ex Princ. III.* — 1.ª Qui ad sacramentum Pœnitentiæ accedant (inter mulieres et pueros pauci non sunt), rei peccatorum tantum venialium, at de nullo ex iisdem vere dolentes, hi absolutionem accipiunt invalidam: hinc *per se* graviter peccant.

2.ª In eodem casu peccat graviter sacerdos, qui, advertens ejusmodi pœnitentem non dolere, aut de hoc dubitans, eumdem absolvat: tantum in dubio poterit quandoque absolvere sub conditione. - Ex caritate prius curet eumdem disponere, dein et absolvat.

3.ª De suis peccatis dolere non potest, qui Deum ejusque attributa non credat, aut suorum peccatorum veniam ab eo non speret. Hinc ipse actus doloris, aut supponit actus fidei ac spei, aut saltem *exercite* eosdem elicit. Hoc sensu actus harum virtutum necessarii sunt ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ consequendam 4.

241. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum ad detestandum peccatum detestatione appretiative summa necesse sit comparationem instituere inter peccatum et alia mala?

Resp. Negative. Satis est, quod peccator detestetur peccata commissa vere et sincere, simul secum statuens non amplius peccare. Imo, dato etiam quod, si institueretur comparatio inter peccatum et mortem dolorosissimam, homo ille forte vellet peccare, hæc volitio in ejus voluntate non exsistit, sed fieret. Hinc imprudenter huiusmodi comparationes proponerentur; eo magis quod hic et nunc Deus non concedit gratias illas abundantiores, quas concederet quando urgeat necessitas.

Qu. 2. Utrum contritio de peccatis veniabilis prædita esse debeat prædictis quatuor dotibus?

4) Concilium Trid. *Sess. VI. Cap. VI.* — Cf. S. Ligorium *Num. 439.*
5) S. Thomas *Supplem. Qu. 5. art. 3.* Idem docet S. Ligorius *Num. 440.*

Resp. Debet esse vera et supernaturalis, ut per se patet. Universalis debet esse eo sensu, quod nullum remitti potest peccatum etiam veniale, nisi de eo contritio saltem imperfecta habeatur: at non necessario debet esse universalis absolute; cum reatus permanens peccati venialis et ipse affectus ad veniale non impediat infusionem gratiæ, et proinde remissionem omnium mortalium et aliorum venialium. Debet autem esse summa eo sensu, quod qui reus est peccati venialis debet suum veniale detestari super quæcumque mala ordinis physici, non autem super ipsa peccata mortalia, secus tale peccatum est irremissibile; at hic quoque cavendum a comparationibus periculosis.

At venialia non sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ; ideoque non peccat, qui veniale aliquod etiam scienter non accuset, aut de aliquo veniali accusato non doleat.

242. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Utrum contritio perfecta, ad hoc ut justificet, debeat habere gradum aliquem intensitatis?

Resp. Negative; sed satis est quod sit concepta ex motivo caritatis; causa enim justificans est ipsa caritas, quæ hominem conjungit Deo. Hæc est doctrina explicita Doctoris Angelici: « Dolor, qui ad rationem contritionis sufficiat, quantumcumque parvus sit, omnem culpam delet » [5].

Qu. 2. Utrum ad remissionem mortalium per actum perfectæ contritionis requiratur in eo votum explicitum suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Negative; eo ipso quod causa justificans caritas est. Qui enim Deum vere diligit, certe vult ea omnia præstare, quæ Deus præstanda esse jubet; hinc et actu proponeret sua peccata confiteri, si de illis cogitatio occurreret.

Qu. 3. Quid requiratur et sufficiat ad remissionem venialium extra sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Ad ea remittenda sufficere debet contritio perfecta, quæ et mortalium remissionem consequitur. Generatim sufficere debet attritio, si gradum quemdam intensitatis attingat; potest enim esse attritio adeo remissa, quæ sufficiens tantum sit ad removendum obicem impœnitentiæ, minime vero ad obtinendam eorumdem venialium remissionem. Hinc semper opportunum erit peccata venialia sacramento Pœnitentiæ subjicere, quo certius quod culpam et quoad ipsam pœnam remittantur: at, quia eorumdem condonatio non est finis proprius hujus sacramenti, ideo nec necesse est quod ad ea extra sacramentum remittenda habeatur votum sacramenti.

243. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Utrum attritio, quæ sit mera attritio concepta ex metu damnationis æternæ, vel ex turpitudine peccati, sit dispositio sufficiens ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ?

Resp. Affirmative; dummodo peccator ex his motivis vere detestetur peccatum suum. Sane Concilium Tridentinum declarat, quod at-

5) S. THOMAS *Supplem. Qu. 5, art. 3.* Idem docet S. LIGORIUS *Num. 440.*

tritio, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pænarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, est vere donum Dei, et ad Dei gratiam seu justificationem in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit 6. Ceterum hæc hodie est communissima theologorum sententia, conformis Cathechismis et sensui ac praxi communi sacerdotum et fidelium.

Quod heic dicitur de attritione circa mortalia ex metu damnationis æternæ, id evidenter valet etiam de attritione circa venialia ex metu pœnarum purgatorii.

Qu. 2. Utrum sufficiens dispositio sit attritio concepta ex metu malorum hujus vitæ, prout concipiuntur infligenda a Deo in pœnam peccatorum?

Resp. Sententia affirmans modo adeo communis est, ut habenda sit ceu moraliter certa. Ratio intrinseca est, quia hæc attritio motivum habet supernaturale; ac insuper videtur hæc esse doctrina Concilii Tridentini in loco superius relato.

Qu. 3. Utrum sit dispositio sufficiens contritio existimata?

Resp. Communiter negant recentes theologi. Ratio est, quia ex Tridentino Concilio dispositio omnino requisita est dolor verus: hinc, qui eo careat in bona fide, immunis quidem erit a reatu formali sacrilegii, at non inde consequetur suorum peccatorum remissionem, quæ in præsenti ordine absque vera pœnitentia non datur. Verum qui dolent quod non sibi videantur satis dolere, hi communiter de peccatis vere dolent, licet eorum dolor forte sensibilis non sit.

Qu. 4. Utrum contritio, ut ad validitatem sacramenti sufficiat, debeat fieri sensibilis, h. e., exprimi signo sensibili?

Resp. Juxta plurium sententiam, *affirmative;* eo quod contritio habeatur ceu vera pars, seu materia proxima sacramenti pœnitentiæ. Utrumque negant, qui dicunt contritionem esse meram dispositionem subjecti, ut vi sacramenti peccata remittantur. Practice omnes in hæc duo conveniunt: *a*) Tum pœnitens, tum confessarius, curare debent, ut contritio per signa externa sensibilis fiat, ad hoc ut sacramenti validitas in tuto ponatur. *b*) Moribundus, qui nullatenus contritionem patefaciat, nisi quid obstet aliunde, absolvi debet, licet conditionate 7.

Qu. 5. Utrum ad validitatem sacramenti actus contritionis (vel attritionis) elici debeat in ordine ad ipsum sacramentum?

Resp. Juxta eamdem plurium sententiam, *affirmative* ex eadem ratione. At opinio contraria certe probabilis est, imo, juxta S. Alphonsum, probabilior: ratio ejus est, quia ex Concilio Tridentino requiritur et sufficit ea contritio, quæ excludat voluntatem peccandi; nullibi vero indicatur quod ea contritio ordinari debeat ad sacramentum. Tamen,

6) Conc. Trid. *Cap. IV.* — Cf. S. Lig. *Num. 440.*
7) Cf. Tanqu. *Num. 299;* D'Ann. *315, 27;* Ball. *120-123;* Noldin *258.*

quia negari nequit prioris sententiæ probabilitas, ideo, saltem ante factum, ea sequenda est, ut valor sacramenti ponatur in tuto 8.

Qu. 6. Utrum actus contritionis (vel attritionis) elici debeat ante confessionem?

Resp. Id quidem opportunissimum; sed ad valorem absolutionis satis est quod actus doloris absolutionem antecedat, aut saltem comitetur. Quod autem dicitur confessionem debere esse dolorosam, significat quod ea sit, non mera narratio historica peccatorum, sed accusatio, ut reus a judice condonationem eorumdem obtineat. Ceterum hortandi sunt fideles, ut sequantur ordinem naturalem: singulis vicibus, prius examen instituant; dein eliciant actum attritionis, aut etiam contritionis, cum proposito; postea confiteantur et absolutionem accipiant.

244. **Conclusio.** — Confessarius, antequam pœnitentem absolvat, omne studium adhibere debet, ut eumdem ad verum dolorem excitet. Tandem aliquando, ad bonam confessionem unum absolute requiritur, *dolor;* et, si veteres deplorabant multas esse confessiones sacrilegas defectu sinceritatis, hodie etiam ex confessionibus satis integris, plures sacrilegæ, plurimæ (et quidem quoad pœnitentes confessos mere venialia) invalidæ sunt propter defectum doloris. Itaque confessarius primum suggeret motiva contritionis imperfectæ: quoad peccata mortalia, amissionem paradisi, reatum inferni; quoad venialia, dilationem paradisi, pœnas purgatorii. Contritio ex his motivis certe sufficiens est; at sæpe facile est ex his ascendere ad altiora, ostendendo divinam bonitatem, Christum crucifixum 9. Quoad formulas, nulla est necessaria; cavendum ne qua ita systematice adhibeatur, ut a pœnitentibus proferatur mere materialiter; præsertim, si ea præferat tantummodo actum doloris perfecti, cujusmodi est nostra: « O Gesù d'amore acceso », etc.

ART. II. — De proposito

245. *Propositum* est « voluntas non peccandi de cetero ». Hæc voluntas necessario continetur in vera contritione; at elici quoque potest actu proprio et distincto: si primum, propositum dicitur *virtuale* seu *implicitum;* si alterum, *explicitum* seu *formale.* Eo ipso, quod propositum est voluntas, seu proprie *volitio actualis* non peccandi, confundi non debet cum promissione; quamvis fideles frequenter una voce pro alia utantur.

246. **Principia. 1.** Eadem necessitate, qua de peccatis commissis necessaria est contritio, necessarium quoque est propositum non peccandi de cetero; quippe quod, aut in illa continetur, aut ex ea sequitur necessario.

8) Cf. C. Ligorium *Num. 447;* D'Ann. *315, 27;* Ball. *120-123;* Noldin *256.*

9) Juvabit Salvatori *Istruz. per i conf. nov. P. I.* Motiva contritionis perfectæ suggerit S. Ligorius *Praxis confess. Cap. I. § 3, Num. 10.*

11. Propositum quoad venialia non necessario debet esse universale; tum, quia unum veniale remitti potest sine alio, tum quia propositum prorsus universale esset de re moraliter impossibili.

247. **Expositio.** *Princ. II.* — *a*) *Firmitas* propositi in eo consistit, quod pœnitens habeat hic et nunc voluntatem, seu volitionem, non peccandi amplius pro toto tempore vitæ suæ: ab hac firmitate differt *stabilitas* propositi, in eo consistens, quod ea voluntas reapse perseveret: ad valorem sacramenti sufficit firmitas sine stabilitate, non sufficeret stabilitas sine firmitate. — *b*) *Universalitas* propositi in eo consistit, quod pœnitens excludat voluntatem committendi quæcumque peccata, etiam quæ non commisit ac de quibus non dolet. — *c*) *Efficacia* propositi consistit in hoc, quod pœnitens non dicat « vellem non peccare »; sed « volo non peccare, ac proinde propono adhibere omnia media necessaria ad non peccandum ». Deus, quoniam vult omnes homines salvos fieri, ideo misit filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum.

248. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Quod pœnitens valde timeat vel aliquo modo prævideat se iterum in peccata relapsurum, id *per se* non obstat firmitati propositi; cum timor ac prævisio sint actus intellectus, propositum voluntatis.

2.ª Quod quis post propositum non peccandi iterum peccet, id non evincit propositum non fuisse firmum; at id est præjudicium contra ejus firmitatem, plus minusve grave pro diversitate materiæ et pro frequentia relapsus.

3.ª Ad universalitatem propositi non requiritur quod pœnitens mente sua revolvat omnia et singula peccata possibilia, eaque omnia et singula excludat: satis est quod habeat voluntatem generalem et generica non amplius peccandi. Hinc non semper prudenter confessarius exigeret propositum explicitum vitandi hoc vel illud peccatum in particulari: imprudentius proponeret circumstantias duriores; imprudentissime vero proponeret absurdas, ex. gr., « potius infernus, quam peccatum ».

249. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si quis et mortalia confiteatur et venialia, ad valorem sacramenti satis est quod doleat et proponat evitare omnia mortalia: at, si venialia tantum confitetur, saltem proponere debet se vitare unum veniale; secus nullum remittitur, et sacramentum non valet.

2.ª *A fortiori* satis est quod confessus tantum venialia proponat se in eadem peccata non relapsurum; vel quod curabit vitare omnia venialia deliberata, aut peccata cujusdam generis; vel quod studebit minuere frequentiam venialium, etc.

250. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum ad valorem sacramenti necesse sit quod propositum fiat explicite?

Resp. Sententia negans hodie adeo communis est, ut contraria vix probabilis dici queat. Ratio est, quia contritio, si sit ex motivo univer-

sali, jam excludit voluntatem peccandi 10: porro ejusmodi contritio sufficienter disponit hominem ad obtinendam remissionem peccatorum vi sacramenti 11. Ratio autem opposita, desumpta ex Concilio Tridentino, quod expresse mentionem facit de proposito, rem non evincit; cum hoc satis habeatur in contritione, sicut dolor satis habetur in detestatione. Ceterum ante factum, confessarius studeat elici propositum explicitum, quod a pœnitente vere dolente facile consequetur: hoc et certiorem faciet validitatem absolutionis, et efficacius conducet pœnitentem ad emendationem.

251. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Utrum possit vere proponere, qui pro certo habet se iterum peccaturum?

Resp. a) Per se, *affirmative*, eo quod ea certitudo est in intellectu; dum propositum est actus voluntatis. Ita vera fuit voluntas Petri « non te negabo; » licet dubitare non posset de veritate verborum Christi « ter me negabis ». — *b)* At insuper hypothesis ipsa neganda est, et in ea neganda insistere debet confessarius; tum eo quod futura Deus tantum novit; tum eo quod oranti et facienti quod in se est Deus non denegabit gratiam, nec umquam patietur quempiam tentari supra id quod potest. — *c)* Quod si quis ita pro certo habeat se peccaturum, ut de sua emendatione voluntarie desperet, hic caret spe, qua deficiente, nec potest vere conteri: hic non statim dimittendus, sed ad spem erigendus ex motivis propriis hujus virtutis, ac ita ad propositum efficax et ab absolutionem disponendus. — *d)* A fortiori potest esse verum et firmum propositum pœnitentis, quem confessarius prævidet iterum peccaturum. At non raro contingit etiam quod pœnitentes quidam leviores levius leviora enarrent sub forma temporis præsentis: « irascor, detraho, sacra in vanum profero, in parentes insolesco ». De his timendum ne vero proposito careant; hoc autem ad validitatem absolutionis requiritur, etsi materia confessionis sint tantum venialia: confessarius attendat, moneat, urgeat.

CAPUT III.

DE CONFESSIONE

252. *Confessio* intelligitur « accusatio peccatorum post Baptismum commissorum, quam ipse reus faciat sacerdoti, ceu judici, ut ab eorumdem absolutionem nomine Dei consequatur ». Eam esse ex jure divino quoad peccata mortalia necessariam, patet ex necessitate sacramenti Pœnitentiæ: quod, cum sit judicium, necessario constat accusatione et sententia; quod confirmatur ex definitione data a Concilio Tridentino 1.

10) Hinc verior alia sententia, si contritio sit ex motivo particulari afficiente peccatum commissum. Cf. GENICOT *Num. 280.*

11) Hanc tenent BALLERINI *Num. 143- 153,* cum theologis septuagintatribus allegatis; D'ANN. *33, 20;* GEN. *280;* NOLDIN *263.*

1) CONCILIUM TRID. *Sess. XIV. Cap. V.* et. *Can. 6, 7.* — PRÜMMER *Num. 359.*

Plures enumerantur dotes confessionis, quarum aliquæ spectant ad validitatem, aliæ ad majorem utilitatem spiritualem percipiendam. Continentur sequentibus versibus:

Integra sit, simplex, humilis, discreta, fidelis,
Vocalis, mœrens, pura, atque parere parata.

Ex his, quæ maxime ad validitatem pertinet, est integritas; circa quam dicemus: *a*) De ejusdem necessitate; *b*) de mediis ad eam procurandam; *c*) de causis ab ea excusantibus.

AR. I. — De necessitate integritatis

253. *Integritas* confessionis duplex distinguitur. Alia est *materialis*, in eo consistens, quod peccator confiteatur omnia peccata mortalia post Baptismum commissa et nondum directe vi potestatis clavium remissa. Quoniam vero peccator quandoque non potest ea omnia peccata confiteri, quandoque, etsi posset, propter incommoda non tenetur, ideo datur alia integritas mere *formalis*, in eo consistens, quod peccator confiteatur omnia ea peccata mortalia, quæ hic et nunc potest ac tenetur confiteri. Hinc generatim latius patet integritas materialis, quam formalis.

254. **Principia. I.** Ex jure divino positivo peccator tenetur accusare integre, integritate materiali, omnia peccata mortalia post Baptismum commissa et numquam vi potestatis clavium directe remissa. Ratio est, quia omnia hæc peccata sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ.

II. Ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ absolute requiritur integritas formalis: non semper requiritur materialis; cum hæc quandoque adnexa habere possit incommoda a servanda lege positiva excusantia.

III. Ad integritatem confessionis præscriptam a Christo pertinet, quod accusentur omnia peccata, tum juxta eorum speciem theologicam et moralem, tum juxta eorumdem numerum. Constat ex declaratione Concilii Tridentini.

255. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui debet aut vult sacramentum Pœnitentiæ suscipere, tenetur prius inquirere de peccatis a se commissis et nondum directe remissis: qui enim tenetur ad finem, tenetur quoque ad media necessaria.

2.ª Si iste impediatur ab aliquo peccato mortali accusando, tenetur, quantum moraliter potest, impedimentum illud amovere.

3.ª Si quis dubitat, num peccatum in se grave commiserit an non, vel utrum peccatum certe a se commissum grave fuerit an leve, vel utrum de peccato certe commisso et gravi habuerit absolutionem an non, hic tenetur omne studium adhibere ad dubia solvenda, ut peccatum, forte

commissum et grave et non absolutum, accuset: excipe, nisi malit viam sequi tutiorem.

4.ª Ad integritatem confessionis pertinet, quod qui voluit peccatum externum patrare et patravit, confiteatur, non solam voluntatem peccandi, sed ipsam pravæ voluntatis exsecutionem: hæc enim est directe et per se prohibita lege divina, et verum peccatum

5.ª Si confessio aliqua peccatorum mortalium invalida fuerit, sive ex parte confessarii (puta non habentis jurisdictionem, aut non absolventis), sive ex parte pœnitentis (puta non sinceri, aut non attriti), confessio illa ex integro repetenda est: quod si invalida fuit ex culpa pœnitentis, ipsa confessio est verum peccatum sacrilegii, necessario accusandum et absolvendum.

256. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis in confessione absque causa excusante omittat voluntarie unum peccatum mortale, hic graviter peccat, cum divinum præceptum violet in materia gravi: committit ergo grave sacrilegium.

2.ª Peccata necessario accusanda, sunt peccata *vera* seu *formalia;* quæ pœnitens dum ea commisit, novit esse gravia, aut ex erronea conscientia gravia esse putavit.

3.ª Nullatenus peccat ille, qui, erubescens peccatum quoddam mortale confessario ordinario aperire, illud penes extraordinarium confitetur, et ab eo accipit absolutionem; confessario autem ordinario reservat quædam venialia communia. Imo, si timeat ne sibi animus desit confitendi peccatum quoddam ordinario, tenetur *sub gravi* adire extraordinarium.

4.ª Ad integritatem formalem confessionis non pertinet quod pœnitens a confessario cognoscatur, an non; quod iste putet eum commisisse uno abhinc anno peccatum, quod commiserat heri.

5.ª Peccat, et *per se* graviter, qui nonnisi unum veniale confitetur, et hoc non commissum, ac ab eo accipit absolutionem.

257. *Ex Princ. III.* — 1.ª Peccat graviter, qui scienter peccatum mortale ceu veniale confiteatur; item, *per se,* qui seu mortale confiteatur peccatum veniale.

2.ª Non est satis quod peccator reus gravium peccatorum dicat se graviter peccasse; indicare debet peccatorum malitiam specificam, et quidem in specie infima, quæ proprie *species* est.

3.ª Idem peccator non tenetur sua peccata confiteri in individuo, seu cum omnibus circumstantiis particularibus; at ea confiteri debet indicando omnes eas circumstantias, quæ malitiam objectivam peccati in aliam mutant, vel eidem aliam adjiciunt.

4.ª Non est satis quod idem peccator confiteatur se peccasse pluries, aut sæpe, aut raro; at de singulis speciebus peccatorum indicare debet quoties circa illas deliquerit: omnia enim et singula peccata gravia commissa pertinent ad materiam necessariam sacramenti.

258. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum perti-

neat ad integritatem confessionis, quod præter peccatum accusetur quoque effectus ex eodem sequutus ?

Resp. Negandum esse videtur. Ratio est, quia ille effectus non est peccatum; quippe qui contingere potest, dum, qui peccatum commisit, nihil vult vel agit. Ita, si quis venenum inimico propinaverit, tenetur quidem confiteri actum positionis veneni ad illum occidendum; minime vero factum, quod ille reapse mortuus est 2. Hæc dicuntur spectata quæstione de integritate: at obligatio poterit haberi adjiciendi effectum secutum, ratione reservationis aut censuræ, vel obligationis reparandi damna, etc.

Qu. 2. Tenetur ne pœnitens confiteri effectum peccati, si hic novum peccatum sit, et ex peccato sequi, vel non sequi, potuerit ?

Resp. Quidam affirmant; eo quod hic effectus malus est malitiâ suâ, distinctâ a malitia causæ. Ita, si quis prævidebat sibi posse contingere ut propter ebrietatem blasphemaret, tenetur confiteri effectus hos, si reapse secuti fuerint. At ratio infirma esse videtur; qui enim periculum prævidens blasphemandi abundantius bibit, tunc reus factus est, tum ebrietatis, tum blasphemiarum; at, durante ebrietate nihil egit voluntarie.

259. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum, et quatenus, peccet qui mentitur in confessione ?

Resp. 1.° Si mentitur in iis a quorum veritate pendet validitas absolutionis, peccat *per se* graviter; quia ejusmodi mendacium est injuriosum in sacramentum et communiter damnosum ipsi pœnitenti. Ita graviter peccat pœnitens, si neget vel unum peccatum mortale, quod vere commisit; si neget circumstantiam speciem peccati mutantem et ceu talem ipsi notam; si, confessario interrogante, neget se habere alicujus peccati consuetudinem; si falso affirmet se de peccatis suis dolere ac efficaciter proponere; etc.

2.° Si mentitur circa materiam liberam confessionis, vel circa res nihil ad confessionem pertinentes, non peccat, nisi leviter malitiâ mendacii: imo, interrogatus injuste, poterit reatum mendacii evitare per restrictionem mentalem. Verum non raro fit, quod interrogatio ad confessionem materiæ necessariæ pertineat indirecte: puta, si confessarius pœnitentem confessum fornicationem interroget, num sit conjugatus; vel confessum reservatum interroget de ætate; etc.: in hisce casibus pœnitens tenetur respondere juxta veritatem, ejusque responsio cum restrictione esset verum mendacium sacrilegum.

3.° Si mentitur circa materiam *per se* necessariam, at affirmando vel negando circumstantiam, quæ neque speciem aut numerum peccatorum nec dispositiones pœnitentis attingit, neque ad confessionem pertinet indirecte, non videtur alio peccato peccare, quam peccato mendacii. Casus essent: Si dicat se occidisse Paulum, cum occiderit Andream; se

2) Cf. D'Annibale I. *Num. 157*, III. *393, 23;* Gen. *289;* Noldin *227.*

furatum esse summam gravem pecuniæ, cum furatus fuerit duos boves; se tribus abhinc annis commisisse adulterium, quod commisit heri, nisi inter duas epochas intercesserit conjugium.

Quoad casum tertium, præsertim, si peccatum recens aliis jampridem confessis et absolutis admisceatur, repugnant theologi quidam; tum eo quod duplex habeatur in materia necessaria mendacium, falso accusando peccatum mortale vetus, et recens negando; tum eo quod materia necessaria ceu libera obtrudatur. Verum ratio prima firma non est: proprie enim habetur unicum mendacium, respiciens circumstantiam temporis prorsus indifferentem. Nec firmior est altera: docent enim theologi plures « non esse necessarium de peccato mortali addere, quod post ultimam confessionem sit commissum » 3. Quare sententia superius proposita, aut est moraliter certa, aut certe probabilis et practice tuta; quamvis communiter fideles, ab his subtilitatibus alieni et tranquillitatis suæ conscientiæ solliciti, oppositam sequantur 4.

Qu. 2. Utrum peccatum confiteri teneatur, qui dubitat num peccaverit, et qui, sciens se peccasse, dubitat num graviter?

Resp. 1.° Curandum in primis ut dubium solvatur. Hoc autem in casu primo solvi non potest ab alio, quam ab ipso pœnitente: in casu altero, ordinarie et *per se* ab eodem solvi debet; at, si ipse solvere non valeat, aut ejus conscientia in laxitates aut in scrupulos inclinet, peccatum patefieri debet confessario *per accidens;* nempe, ut hic, inter lepram et lepram discernens, obligationem confitendi imponat vel non imponat pœnitenti.

2.° Dato quod dubium solvi omnino non possit, seu re in seipsa considerata, respondendum est ad utrumque casum *negative;* obligatio confitendi est dubia, et proinde practice nulla 5.

Quid, si peccatum, et quidem grave, realiter patratum fuerat? — In eo casu, dummodo doleat dolore universali, peccatum deletur indirecte per absolutionem præsentem vel proxime futuram aliorum peccatorum; vel etiam *per accidens* per communionem eucharisticam, vel per quodcumque sacramentum vivorum, quod postea suscipiatur: tantummodo supererit obligatio confitendi peccatum illud, quando reapse commissum fuisse constiterit.

Qu. 3. Utrum qui novit se peccasse graviter, at dubitat num peccatum, et quidem dolens, accusaverit, teneatur illud confiteri?

Resp. 1.° Si dubitat dubio negativo, h. e., si prorsus ignorat num illud confessus fuerit, et rite, *affirmative.*

2.° Si dubitat dubio positivo, h. e., si motivum habet probabile judicandi se illud accusasse, et quidem cum dolore, at non sufficiens ad moralem certitudinem, S. Alphonsus et alii affirmant; eo quod lex pos-

3) S. Ligorius *Num. 425, 2;* et *Homo apost. Tract. XVI. 4.*
4) Ballerini *Num. 18-22;* D'Ann. *309, 60;* Gen. *882;* Noldin *281.*
5) Post. S. Ligorium *Num. 473-476,* ita fere omnes recentes.

sidet, et obligationi certæ non satisfit per impletionem non certam 6. Verum sententia contraria dicitur a Gury *communissima*, eamque plures post ipsum propugnant: ratio ejus est ex principio communiter admisso, quod in dubio positivo, num quis legem impleverit, ad eam implendam non tenetur 7. — Inde consectaria: *a*) Non est pœnitenti imponenda obligatio confitendi ea peccata, quæ probabiliter accusata fuerunt et directe remissa. — *b*) Confessio non est necessario iteranda eo quod probabiliter invalida fuit: tunc tantum est iteranda, cum de ejusdem invaliditate moraliter certo constat. — *c*) Non est necessario iteranda confessio facta cum contritione dubia; nec *per se* cogendi sunt ad suas confessiones repetendas, qui post eas in præcedentia peccata relapsi sunt. — *d*) Confessio generalis (sive totius vitæ, sive partis notabilis) illi tantummodo necessaria est, cui moraliter certo constat confessiones omnes præcedentes (totius vitæ, aut partis notabilis) aut sacrilegas aut invalidas fuisse: iis, qui dubitant, suaderi quidem poterit, tamquam utilis, at non potest imponi tamquam necessaria.

Ceterum ex communi consensu theologorum, hæc advertimus: *a*) Certe ad tranquillitatem conscientiæ pœnitentis magis conducit praxis sententiæ prioris: hinc ista generatim consulenda, quin ut obligatoria proponatur. — *b*) Qui vero alteram sententiam saltem practice sequi malint, satis habere debent quod pro facta rite et cum dolore accusatione habeant rationem aliquam vere solidam, etsi ad pariendam plenam certitudinem sufficiens non sit. Imo ejusmodi ratio solida et tuta haberi quoque potest ex præsumptione fundata in ipsa conscientia et factis præcedentibus pœnitentis.

Qu. 4. Utrum quis teneatur confiteri peccatum, quod nunc novit se certe commisisse, prius autem confessus fuerat ceu dubium?

Resp. Videtur esse negandum. Sane ejusmodi peccatum remissum fuit a confessario directe, vi absolutionis, sub ea conditione « si tale peccatum vere commisisti ». Porro conditio erat de præterito et vera. Cum ergo absolutio valida fuerit et directa, peccatum illud cessat esse materia necessaria confessionis sequentis. Hæc sententia, hodie valde communis, certe probabilis est et practice tuta 8.

Qui vero confessus est peccatum, quod tum ipse tum confessarius æstimarunt esse veniale, non tenetur ipsum iterum confiteri, si dein certo cognoscatur fuisse mortale.

Qu. 5. Utrum confessarius, qui pœnitenti absolutionem suspenderat, nunc ab eo redeunte exigere debeat iteratam omnium peccatorum confessionem, si ipse ea in confuso recordetur aut penitus oblitus fuerit, vel si confessio invalida fuerat?

6) S. Ligorius *Num. 497;* Genn. *Cons. mor. CXXXII. 11;* D'Ann. *106, 41,* et *352.*

7) Gury *Num. 291;* Noldin *278;* Verm. *587;* Ferr. *511.*

8) Ballerini *Num. 380-387;* Ferr. *291 VI;* Lehmk. *318;* Noldin *278;* Sabetti *744;* etc. — Contrarium tenet Marc. *1696.*

Resp. In utroque casu, *negative*. Ratio est, quia ea peccata jam sufficienter accusata fuerant, ac de iisdem confessarius judicaverat; quod satis est, ut nunc super iisdem sententiam ferat: insuper onus nimis grave pœnitenti imponeretur. Itaque confessarius curabit, ut pœnitens de iisdem peccatis vere doleat ac firmiter proponat; ac ita eidem absolutionem impertiet.

Idem dicendum, si pœnitens in confessione præsenti advertat confessarium ob somnolentiam peccata quædam non audivisse, et nesciat qualia; quod si id certe videat de quibusdam, hæc iterum accusare debet, antequam absolvatur.

260. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Quid significat peccata esse accusanda juxta eorum speciem?

Resp. a) Significat ea esse accusanda juxta eorum speciem theologicam; qua alia sunt mortalia, alia venialia: hinc pœnitens illa confiteri debet tamquam mortalia; hæc, si ea vult confiteri, tamquam venialia. — *b)* Significat ea esse accusanda juxta eorum speciem moralem; qua peccata quædam habent cujusdam malitiæ qualitatem, quædam alterius, et diversæ. Id contingere potest, sive ratione virtutis oppositæ, quæ una, vel alia, vel multiplex esse potest ex objecto aut ex circumstantiis; sive ratione diversorum officiorum unius ejusdemque virtutis: sive ratione præceptorum, quæ sint moraliter diversa 9. Hinc pœnitens, sua peccata accusando, determinare debet qualitatem malitiæ, qua singula sua peccata afficiuntur.

Qu. 2. Quænam sunt circumstantiæ manifestandæ in accusatione peccatorum?

Resp. 1.° Manifestandæ sunt illæ, quæ peccatum transferunt ab una in aliam speciem theologicam; nempe illæ, ex quibus peccatum, quod ex objecto posset esse veniale, fit mortale. Id potest contingere: *a)* ratione materiæ (circumstantia *quid*); puta in furto patrato in damnum personarum diversæ conditionis: *b)* ratione personæ (*quis*); puta, si scandalum in materia *per se* non gravi detur a parocho: c) ratione finis (*cur*); puta, si mendacium proferatur ad furandum vel ad stuprandum.

2.° Manifestandæ sunt illæ, quæ faciunt ut peccatum, habens ex suo objecto determinatam malitiam, habeat aliam diversam propter circumstantiam. Ita odium in proximum habet malitiam contra caritatem; sed odium in matrem habet malitiam contra pietatem: contumelia in homines opponitur justitiæ; sed contumelia in Deum opponitur religioni, in parentes opponitur pietati.

3.° Accusandæ sunt illæ, quæ illi malitiæ, quam peccatum habet ex suo objecto, secundam vel tertiam superaddunt gravem, sive hæc diversa sit, sive specifice eadem. Ita fornicatio ex suo objecto mala est contra castitatem; sed, si fiat a sacerdote, mala quoque est contra religionem; si cum consanguinea, mala quoque est contra pietatem; si a conjugato vel cum conjugata, mala quoque est contra justitiam. Eodem

9) Fuse *De peccatis Num. 230-251.* — Cf. FRASSIN. *I. Diss. IV.*

modo furtum est malum contra justitiam; sed furtum rei sacræ in loco sacro, habet malitiam unam contra justitiam, duplicem contra religionem.

Qu. 4. Utrum sint accusandæ circumstantiæ illæ, quæ malitiam peccati, jam ex se gravem, graviorem esse faciunt?

Resp. a) Si eam graviorem faciunt leviter, certe *negative*. — *b)* Si eam graviorem faciunt notabiliter seu graviter, adeo ut addant novum gradum malitiæ ex se sufficientem ad peccatum mortale, sententia post S. Alphonsum ferme communis negat. Ratio ejus intrinseca est, quia hujusmodi circumstantiæ non mutant speciem, sive moralem, sive theologicam; porro ex Concilio Tridentino habetur tantum obligatio confitendi peccata in specie et numero, ac proinde aperiendi circumstantias speciem mutantes. Ratio extrinseca est ex angustiis, quibus sæpe premerentur pœnitentes in discernendo quænam sint circumstantiæ aggravantes peccatum notabiliter 10.

Ita in accusando incestu necesse non erit manifestare gradum consanguineitatis aut affinitatis in linea collaterali; in accusanda gravi detractione non erit necessario indicandus numerus audientium; in accusanda damnificatione non erit necesse declarare num ea voluntaria fuerit directe, an indirecte; in accusando odio gravi non erit necesse determinare gradum intensitatis ejusdem 11. — Eadem ratione, in accusando furto gravi satis erit ipsum ceu grave accusare, etsi ejus materia dupla vel decupla fuerit, quam ad grave sufficiat: non enim inde fiunt duo vel plura peccata 12.

At aliquando aderit obligatio manifestandi has circumstantias *per accidens*, ratione censuræ aut reservationis aut instructionis præbendæ pœnitenti. Ita pœnitens aperire debet num manus violentas injecerit in clericum, an in Episcopum: confessarius interrogare poterit pœnitentem de ipsius ætate ad discernendum utrum reservatione teneatur. Simili ratione accusanda erit circumstantia consuetudinis, si confessarius jure interroget: jure autem interrogat, si inde tantum judicare possit de dispositionibus aut de obligationibus pœnitentis. Sed hæc non spectant ad integritatem.

Qu. 5. Utrum sit accusanda circumstantia temporis, quo peccatum commissum fuit?

Resp. a) Si ipsa circumstantia (*quando*) afficit substantiam peccati, quod præcise ex ea est peccatum, *affirmative*: ita, si quis omiserit Missam die festo, vel fornificationem commiserit post conjugium. — *b)* Si circumstantia non afficit substantiam peccati, puta dies festus vel ferialis quoad ebrietatem, *negative*. Ita satisfacit integritati, qui peccatum recens admiscet confessioni peccatorum vitæ præteritæ. Nec obstat, quod confessarius putet illud jampridem remissum fuisse; nam peccatum remissum

10) Codex *Can. 901.* — S. Ligorius *Num. 467;* Frassin. II. *Nota 129;* etc.
11) Fidelibus hæc exponamus per summa capita et cum exemplis claris et certis.
12) S. Ligorius *Num. 467* contra quosdam vetustiores. — Circa sensum Catech. Conc. Trid. *De Pœnit, 47,* cf. Ball. ad Gury *loc. cit.*

adhuc est iterum remissibile 13. — *c*) Quidam tamen putant, si non semper theoretice, saltem practice deesse integritati confessionis pœnitentem, qui aut expresse aut æquivalenter confessario persuadeat peccatum, a se post ultimam absolutionem commissum, commissum fuisse antea 14.

Qu. 6. Quid importat præceptum confitendi peccata gravia juxta eorum numerum?

Resp. Importat obligationem, qua pœnitens tenetur declarare quoties in singulis peccatorum speciebus peccaverit: tunc confessio vere integra erit. Quod si pœnitens hunc numerum determinare non valeat, tenetur indicare numerum suorum peccatorum probabilem, addendo particulam *circiter*: ac, si ne id quidem valeat, declarare debet quoties plus minus peccaverit qualibet hebdomada, vel quolibet mense aut anno; ut hac ratione legem divinam integritatis adimpleat perfectiori modo, quo potest. — Quænam autem sit extensio particulæ *circiter*, patet ex usu communi; hinc, si pœnitens post sua peccata hac forma confessa numerum peccatorum certum agnoscat, hunc in alia confessione exprimere tenetur, si juxta usum communem hic numero approximativo indicato non continetur.

ART. III. — De mediis procurandi integritatem

261. Ex dictis, integritas a Christo præcepta, et a pœnitente procuranda, est materialis; quæ, nempe, complectatur omnem materiam necessariam sacramenti suscipiendi. Huic integritati obstaculum frequentius est suorum peccatorum ignoratio. — Hinc:

Principia. I. Pœnitens, qui novit aut suspicatur se gravari peccatis, quæ sint materia necessaria sacramenti suscipiendi, tenetur *sub gravi* suam conscientiam examinare, ut dignoscere valeat peccata necessario accusanda, eorumque speciem et numerum. Ratio est, quia qui tenetur ad finem in se gravem, tenetur quoque *sub gravi* ad media in illum finem necessaria.

II. Examen conscientiæ instituendum est eâ diligentiâ, qua homines prudentes uti solent in rebus magni momenti.

262. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Habetur ceu objective gravis ea negligentia, ex qua quis omittat unum peccatum mortale: ut vero sit culpabilis, et quidem graviter, subjective, necesse est,

13) Quod si pœnitens, de tempore interrogatus, affirmet se peccatum a remoto tempore patrasse, plures putant eum mendacem esse circa materiam necessariam; quidam circa rem impertinentem. Cf. Gury *Num. 300*; *ibique* Ball. *Nota 27*; Noldin *281*; Gen. *288*.

14) Gury *Casus Num. 435*; Genn. *Quest mor. 668*; Tumm *485*. — Alii peccatum leve esse putant; ut D'Ann. *309, 60*; Gen. *loc. cit.*; etc.

quod pœnitens ad gravitatem suæ negligentiæ adverterit eamque voluerit: quod profecto raro continget.

2.ª Confessio, in qua ex negligentia graviter culpabili omissum fuerit unum peccatum mortale, *per se* invalida esset et sacrilega: quia vero id raro continget, ideo fere numquam imponenda erit ex hoc capite obligatio iterandi confessionem.

3.ª Qui moraliter certus est se non gravari mortalibus numquam directe vi absolutionis remissis, tenetur tantum inquirere ex vita præsenti aut præterita materiam sufficientem. Ceterum utile erit quod omnia venialia diligenter inquirat, ut, de eisdem vere dolens, omnia confiteatur.

263. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si negligentia levis fuerit, quamvis ex ea fuerint omissa quædam mortalia, non inde confessio invalida est. Hinc neque ea erit iteranda: tantummodo peccata omissa manebunt materia necessaria proximæ confessionis.

2.ª Licet diligentia adhibenda in genere debeat esse seria et accurata, tamen proportionata quoque erit capacitati et conditioni pœnitentis: hinc ad minorem diligentiam tenentur infirmus et idiota, quam homo bene valens et perspicax.

3.ª Ad sua peccata investiganda et memoriâ retinenda non tenetur pœnitens uti mediis extraordinariis; cujusmodi essent, quod vir de suis peccatis interroget uxorem; quod homo memoriæ labilis sua peccata scribat.

264. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quo ordine pœnitens examen instituere possit?

Resp. Ante omnia divinum lumen humiliter imploret. Dein generatim opportunum est, ut sequatur ordinem præceptorum Dei et Ecclesiæ, ea transiliendo, contra quæ certissime pro sua conditione non peccavit: maximam vero diligentiam adhibeat circa obligationes speciales sui status, et peccata sibi magis consueta [15]. Qui frequenter ad sacramentum accedit, facile obvia habebit peccata gravia commissa; quin valde curet de ordine servando.

Qu. 2. Quid agendum confessario cum pœnitente, qui sine examine sufficienti accedat?

Resp. Ipse jus haberet dimittendi pœnitentem. Tamen aliter esse agendum suggerit caritas; non modo cum illis, qui imparati accedant defectu instructionis vel temporis, sed et cum iis, qui examen negligant infirmitate fidei ac defectu veræ pietatis: facile enim continget quod hi, utcumque humaniter dimissi, non amplius redeant. Curabit igitur confessarius eosdem opportunis interrogationibus juvare, ut confessionem satis integram perficere possint, de suis peccatis ac de ipsa negligentia doleant, et absolutionem accipiant.

Quoad scrupulosos suos pœnitentes ordinarios, opportune confessarius omnem suæ conscientiæ discussionem eisdem interdicet.

15) De examine, præsertim pro confessione generali, plura VERM. *Num. 539, 597* q.

ART. III. — De causis excusantibus ab integritate

265. Præter oblivionem perfectam aut ignorantiam invincibilem alicujus peccati vel circumstantiæ, dantur et aliæ causæ, quæ aut impossibilem aut valde difficilem faciunt integritatem materialem confessionis. — Hinc:

Principia. I. Si ex una parte habeatur necessitas suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ, et ex altera impossibilitas physica aut moralis perficiendi confessionem materialiter integram, licebit absolutionem accipere (et dare), licet accusata non fuerint ea peccata, quæ impossibile erat confiteri.

II. Ab integritate confessionis non excusant incommoda eidem confessioni intrinseca, quantumvis gravia sint: excusant tantummodo incommoda gravia, quæ ex ea obvenire possint *per accidens*, quæque pœnitens nullo modo possit amovere; hisce autem cessantibus, obligatio integritatis reviviscit.

266. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si infirmus moribundus aliquo modo peccatum aliquod confitetur, aut se confiteri velle manifestat, aut se de suis peccatis dolere quacumque ratione ostendit, huic dari debet sacramentalis absolutio, et quidem sub forma absoluta.

2.ª Absolutio dari debet, saltem sub forma conditionata, quoties moribundus, monitis confessarii obtemperans, in aliqualem confessionem consentit; item quoties ille, antequam usu sensuum privaretur, confessarium advocari petierat, aut desiderium ostenderat accipiendi sacramenta: hisce actibus contineri videtur confessio saltem formaliter integra.

267. *Ex Princ. II.* — 1.ª Ab integritate non excusat repugnantia aut verecundia, quam quis experiatur in confitendo peccata quædam probrosa: item nec timor accipiendi severiorem, aut amittendi bonam penes confessarium existimationem.

2.ª Neque excusat timor, ne confessarius obligationem imponat restituendi, aut dimittendi occasionem, servandi legem jejunii, aut implendi quamcumque obligationem eidem ex jure naturali aut positivo inhærentem.

3.ª Si impossibilitas aut gravissimum incommodum habeatur in uno peccato manifestando, non inde pœnitens excusatur ab accusandis reliquis: si incommodum sit in manifestanda specie infima, accusari debet superior; si in manifestanda circumstantia una, accusari debet peccatum cum reliquis.

4.ª Si incommoda gravia habeantur in confessione penes aliquem sacerdotem facienda, fiat penes alium, etiam cum dispendio temporis et incommodo itineris; dummodo hæc nimis gravia non sint.

5.ª Si quis propter impossibilitatem aut grave incommodum pecca-

tum aliquod aut circumstantiam omiserit, tenetur postea defectum supplere, et quidem cum primum sacramentalem absolutionem accipiet 16.

268. **Quaestiones.**— *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quandonam, relate ad materiam præsentem, habeatur necessitas suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ ?

Resp. Præter casum, quo quis versetur in articulo vel in periculo mortis, recensentur casus sequentes: *a*) Quod urgeat præceptum annuæ confessionis vel communionis. — *b*) Quod quis versetur in statu peccati, et non possit celebrationem Missæ aut communionem omittere sine periculo infamiæ aut scandali. — *c*) Quod quis secus cogatur in statu peccati manere tempore notabili, quale haberi poterit etiam per biduum aut per unum diem 17. — *d*) Quod quis secus privetur beneficio indulgentiæ extraordinariæ, aut directione vel alia notabili utilitate spirituali.

Qu. 2. Quandonam habeatur impossibilitas perficiendi confessionem materialiter integram ?

Resp. 1.° Certe ea habetur, et quidem physica, tum in casu oblivionis inculpabilis et perfectæ alicujus peccati, tum quando infirmus usu sensuum, aut saltem loquelæ, destitutus sit.

2.° Insuper censentur versari in impossibilitate morali: *a*) Surdi, qui non valeant ex seipsis omnia sua peccata explicare, neque interrogationes confessarii percipere. Idem, saltem practice, sæpe dicendum de surdastris, præsertim feminis, quæ confessionale in ecclesia patens jam ingressæ sint. — *b*) Ignari idiomatis confessarii; qui profecto confiteri non tenentur per interpretem. — *c*) Infirmi, qui, uno vel altero peccato accusato, videantur viribus deficere, ac de quibus confessarius timeat ne defatigatio excessiva possit esse noxia.

Qu. 3. Utrum muti teneantur scripto sua peccata confessario manifestare, quando id fieri possit absque periculo revelationis ?

Resp. Dissident theologi Aliis communicatio per scriptum pro mutis est medium ordinarium: aliis confessio peccatorum per scriptum est medium extraordinarium 18. Practice, ea forma confitendi non est pœnitenti muto imponenda: at certe suadenda; tum ad tranquillitatem, tum ad habenda a confessario monita opportuna.

269. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum ab integritate excuset verecundia extraordinaria ?

Resp. Theologi quidam affirmant, si ea sit omnino insuperabilis et confessioni adnexa propter rationes personales confessarii, aut relationes

16) Ex *Prop. 11* damnata ab Alexandro VII. apud DENZIGER *Num. 1111.* — Cf. MARC. *Num. 1699,* et responsum 6 Febr. 1915, apud *Mon. eccl.* XXVII. 113.

17) «Mihi videtur durum esse ei, qui est in mortali, manere sine absolutione etiam per unum diem ». S. LIGORIUS *Num. 490.* At ne durum sit sacerdoti Missâ propter adnexum stipendium per biduum privari.

18) Cf. S. LIGORIUM *Num. 479;* BALL. *391;* LEMK *328;* GEN. *292;* NOLDIN *270;* PRÜMMER *365.*

speciales pœnitentis cum confessario. Ceterum generatim est negandum; saltem ex eo quod sententia affirmans nimis obnoxia est hallucinationibus, et numquam non periculosa.

Qu. 2. Quænam incommoda generatim censenda sint excusare ab integritate confessionis?

Resp. Generatim sunt ea, quæ confessionem redderent magis onerosam, quam Christus voluit. Id contingere videtur: *a*) Si confessio integra, et exinde nimis prolixa, obesse videatur famæ pœnitentis 19; quod potest contingere laico, si plures alii pœnitentes exspectant, ac multo magis sacerdoti, si inde debet celebrationem Missæ nimis differre. — *b*) Si confessio integra posset esse periculosa bono spirituali pœnitentis, aut confessarii; puta, si femina inde timeat gravissimas tentationes, aut sibi, aut confessario. — *c*) Item, si periculosa posset esse bono temporali pœnitentis, aut aliorum; puta, si pœnitens in nosocomio confiteri debeat, aliis facile audientibus; si timeat, ne confessarius in eum odium concipiat, aut ne notitia sui peccati in suum gravamen utatur; ne (parochus) cooperatorem coarguat aut Episcopo denuntiet, famulum dimittat, etc. 20.

Ceterum duo sunt notanda: *a*) Cavendum ne ejusmodi incommoda facile confingantur, ad incommodum confessioni intrinsecum aliqua ratione justificandum. — *b*) Ille, qui est in necessitate suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ (nam qui immunis est, debet omittere), tenetur adhibere omnia media, ut confessio integra fiat, incommoda illa cavendo aut amovendo: nominatim tenetur, si possibile sit, confessionem instituere penes alium confessarium, præ quo incommoda illa non habeantur.

Qu. 3. Quid, si confessio integra fieri a pœnitente non possit, nisi complicem peccati sui revelando?

Resp. Theologi in hæc duo consentiunt: si confessio necessaria non sit, omittatur: si necessaria omnino sit, instituatur apud confessarium, cui complex sit ignotus. Quod si confessio prorsus necessaria sit, et valde difficile aut durum sit ejusmodi confessarium adire 21, theologi inter se discrepant propter conflictum inter præceptum servandæ integritatis confessionis, et præceptum caritatis et justitiæ non detrahendi de proximo. Quidam dicunt posthabendum esse præceptum integritatis, utpote positivum, præ præcepto caritatis aut justitiæ, quod est naturale: taceat ergo pœnitens peccatum complicitatis, aut eas circumstantias, ex quibus confessarius complicem cognoscere posset aut suspicari 22. Alii, et plures, dicunt præceptum integritatis præhabendum esse; eo quod præ-

19) S. Ligorius *Num. 485;* Lehmk. *Casus 364.*

20) D'Ann. *Num. 305, 33-35;* Ball. *422.*

21) Causæ apud S. Alphonsum excusantes ab alio confessario adeundo, sunt plus minus eædem, quas alii habent excusantes ab integritate materiali: istis additur causa directionis melioris a confessario ordinario habendæ, quam ab alio. Cf. Gen. *Num. 295.*

22) In eam inclinat Ball. *Num. 441, seqq.* — Hærent Genn. *Cons. mor. XCVII. 15 sequ.;* Ferr. *Num. 601.*

ceptum non detrahendi cessat, quando ad detrahendum habetur causa gravis; præsertim, si crimen non reveletur nisi uni personæ prudenti 23. Hinc illi obligant pœnitentem ad tacendum; isti obligant ad loquendum: tantummodo indirecte et vi principii reflexi pœnitenti libertatem permittunt utrique, sive tacendi, sive loquendi.

Nobis altera sententia præferenda esse videtur; sive, quia complex in peccando videtur renuntiasse juri, quod alter ipsius peccatum ne confessario quidem aperiat; sive, quia pœnitens, peccatum illud ex caritate erga complicem tacendo, difficile pace conscientiæ suæ frueretur. Verum, quia et prior sententia certe probabilis est, ideo posterior, neque tamquam certa proponi potest in publicis catechesibus: neque in confessione imponatur pœnitenti obligatio non certa per importunas interrogationes.

Casus essent sequentes: Uxor difficile confiteri potest peccata quædam, non revelando complicitatem mariti: ita et ancilla (in oppido rurali), quæ peccaverit cum hero suo sacerdote; soror, quæ sit fornicata cum fratre, aut glos cum leviro, aut puella cum amasio.

Eadem solutio (non eadem ratione) danda est alteri quæstioni de accusando peccato, quod integre accusari non potest sine infamatione alterius, qui fuit occasio peccati. Casus esset, si quis occiderit sororem suam ex delicto gravidam, et similes. Hac de causa nonnihil indulgendum est uxoribus et matribus revelantibus quas a viris et filiis vexationes patiuntur; at cavendum, ne, solatium a confessario quærentes, sua levia (aut suas virtutes) aperiant, ut aliorum accusent graviora.

Qu. 4. Utrum possit umquam ipse confessarius petere a pœnitente nomen complicis?

Resp. Generatim Jus novissimum decernit: « Caveat omnino (confessarius) ne nomen complicis inquirat » 24. — Practice: *a*) Certe peccat gravissime, si id faciat ex curiositate; tum quia pœnitentem inducit ad detrahendum sine causa, tum quia odiosum reddit sacramentum. — *b*) *Per se* peccat, si id faciat ad procurandam confessionis integritatem 25. — *c*) Item *per se* peccat, si id faciat *falsa zeli specie*, ut ipsum complicem corripiat, aut ad confitendum accedentem accuratius interroget. — *d*) Certe interrogare poterit, quando videat ex occultatione complicis gravissima damna imminere (puta communitati), ad quæ impedienda omnino pœnitens teneatur, simulque videat pœnitentem id præstare non posse nisi complicem ipsi confessario revelando 26. Insuper licite videtur interrogare de complice ad prospiciendum necessitatibus spiritualibus ipsius pœnitentis; puta, ut ei suadeat vel imponat deserendum esse famulatum, qui ipsi est occasio proxima peccandi.

23) S. Ligorius *Num. 489, sequ.*; Marc. *1702.* Eam præferunt Noldin *285;* Gen. *loc. cit.;* Tanqu. *400;* D'Ann. *305, 35;* Alb. *16 VII.;* Ojetti ad v. *Complex.*

24) Codex *Can. 888* § *2.* — Idem decreverat Benedictus XIV Const. *Ubi primum* et *Ad eradicandum.*

25) Ballerini *Num. 928, seqq.*

26) Cf. Gennari *Cons. cit. Num. 12;* Lehmk. *340;* Ferr. *Num. 601.*

270. **Scholion.** — *De confessione generali.* — 1.° Confessio generalis, quæ aut omnem vitam anteactam comprehendat, aut partem notabilem ejusdem, si juxta dicta superius cuipiam *necessaria* sit, ea debet fieri integra, sicut quælibet confessio circa materiam necessariam. Hinc præmittendum diligens examen, removenda pro viribus omnia impedimenta integritatis materialis, ac de omnibus peccatis vere dolendum et proponendum.

2.° Confessio generalis quandoque potest esse *quasi-necessaria.* Id contingit, cum alicujus pœnitentis conscientia non gravatur peccatis, quæ juxta apices regularum theologicarum sint adhuc necessario accusanda et absolvenda; tamen iisdem se gravari dubitat, ac ex dubiis angustias conscientiæ patitur, quas omnino evacuare non valent subtilitates theologicæ. Huic pœnitenti consulenda est confessio generalis; et quidem consilio, quod vix distet ab impositione præceptiva; hinc pari consilio eidem consulendum est examen diligens et integra confessio cum dolore et proposito.

3.° Confessio generalis, etiam quæ nullatenus necessaria sit, quandoque potest esse *utilis* propter fructus spirituales, quos potest afferre. Præcipui sunt: *a*) Quod homo ex intima suorum peccatorum cognitione firmius in humilitate solidetur. — *b*) Quod, ea peccata ex corde iterum detestando, ampliorem eorum remissionem obtineat. — *c*) Quod ex eorumdem detestatione propositum magis firmum et efficax concipiat, et sic melius suæ emendationi prospiciat. — *d*) Quandoque accedere potest utilitas melioris directionis habendæ a confessario.

Ad hos aliosque fructus confessio generalis suadenda est pueris ante primam communionem, adolescentibus, infirmis vita periclitantibus; imo et omnibus aliquando in vita, præsertim occasione exercitiorum spiritualium. His vero, qui ad hos fructus confessionem generalem instituere velint, clare edicendum est non absolute requiri diligens examen, neque peccata in ea confessione oblita vel utcumque omissa necessario accusanda esse in confessionibus sequentibus.

4.° Extra hos casus, confessio generalis, saltem propter jacturam temporis, *inutilis erit;* personis autem scrupulosis aut meticulosis generatim erit *nociva,* et proide interdicenda.

Quod spectat ad methodum, censemus nullam indiscriminatim assignari posse ceu bonam aut ceteris opportuniorem; sed prudentis confessarii esse, juxta diversas hominum indoles et conditiones, methodum pro singulis opportunam sibi efformare et adhibere 27.

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE

271. *Satisfactio,* prout ad sacramentum Pœnitentiæ refertur, est « voluntaria acceptatio et exsecutio pœnæ a confessario absolvente im-

27) Cf. Lehmkuhl. *Num. 345-349;* Verm. *539, 598;* Noldin *422-427.*

positæ ad satisfaciendum Deo pro injuria eidem per peccata illata, et redimendam pœnam temporalem, quæ post culpas remissas adhuc remanet luenda ». Satisfactio in voto, seu voluntas acceptandi et exsequendi pœnitentiam impositam, aut est pars essentialis sacramenti, aut certe dispositio necessaria : realis autem acceptatio et exsecutio ejusdem est pars integrans sacramentum; quod proinde, ea deficiente, validum est, sed incompletum. Eo ipso quod acceptatio et exsecutio pœnitentiæ est aliquo modo pars sacramenti, ideo ad satisfaciendum Deo et ad remittendam pœnam in foro interno debitam habet efficaciam *ex opere operato*. — Dicemus : *a*) De impositione satisfactionis ; *b*) de acceptatione et impletione ejusdem.

ART. I. — De imponenda satisfactione sacramentali

272. **Principia. I.** Confessarius, pœnitentem a peccatis absolvens, debet eidem satisfactionem seu pœnitentiam imponere. Ratio est, quia ipsius munus est procurare ut sacramentum integrum et completum exsitat ; confirmatur vero ex declaratione Concilii Tridentini [1].

II. Satisfactio a confessario imponenda, *a*) eo quod proxime ordinata est ad peccatorum vindictam, debet esse ipsis peccatis *proportionata; b*) eo quod remote ordinatur quoque ad emendationem pœnitentis, debet esse *salutaris* seu *medicinalis*. Utrumque constat ex ipsa rei natura et ex Concilio Tridentino.

III. Obligatio confessarii imponendi pro peccatis gravibus satisfactionem, et quidem gravem, *ex genere suo* gravis est.

273. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quænam opera imponi possint in sacramentalem satisfactionem ?

Resp. Generatim imponi possunt quælibet opera bona [2] ; quodcumque enim opus bonum in præsenti statu naturæ lapsæ affert auctori suo aliquod gravamen, et sub hoc respectu potest esse pœnitentiale. Ejusmodi sunt in primis opera mortificationis ; jejunium, abstinentia a qualitate vel quantitate cibi aut potus, maceratio carnis, vigilia : opera caritatis ; eleemosyna, adsistentia infirmo præstanda, etc. : opera pietatis ; auditio Missæ, visitatio ecclesiæ, exercitium *Viæ crucis*, oratio sive vocalis sive mentalis. Raro expediet imponere abstinentiam ab aliquo opere bono.

Verum imponendæ non sunt satisfactiones irrationales aut contrariæ

1) Concilium Trid. *Sess. XIV. Cap. XIII., Can. 12-15.*

2) Opinio, quod per verba « *Quidquid boni feceris* » etc. omnia opera bona pœnitentis eleventur ad meritum satisfactionis sacramentalis, certe probabilis est. S. Ligorius *Num. 707;* Palm. apud. Ball. *484.*

hodiernæ disciplinæ; ut essent pœnitentiæ publicæ; neque illæ, quae juxta hodiernam disciplinam habendæ sint justo graviores. Caveat insuper confessarius ab imponendis satisfactionibus nimis diuturnis vel implicatis, aut conditioni pœnitentis incongruis, aut nimis naturæ repugnantibus. Hodie enim hujusmodi pœnitentiæ probabiliter pœnitentibus magis nocebunt, quam prosint.

Qu. 2. Utrum imponi possit opus bonum aliunde debitum?

Resp. Affimative; cum adhuc sit opus bonum et pœnitentiale: eo autem quod imponatur in pœnitentiam, duplex ejusdem habetur obligatio, ac proinde duplici peccato obnoxius fieret, qui opus illud non impleret. Ita pœnitentem, qui scandalum dederat, confessarius monebit de obligatione ejusdem reparandi; simul vero hanc reparationem eidem imponere poterit in satisfactionem [3]. — A *fortiori* imponi potest, et sæpe utiliter, opus, quod libere a pœnitente fieri solet, etiam pro defunctis; item opus aliquod, cui adnexæ sint indulgentiæ [4].

Qu. 3. Utrum imponi possit opus præstandum sub conditione relapsus?

Resp. Affirmative. Imponitur enim pœnitentia disjunctiva; pœnitens, aut conatum adhibeat, quo tentationi resistat; aut, si lapsus fuerit, pœnam exsolvat. Quare hæc pœnitentia maxime salutaris esset. Ita puellæ frequenter in matrem insolenti, possum imponere ut studiosius ab insolentiis caveat, in eas vero relapsa toties terram osculetur.

274. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* In quo consistat proportio satisfactionis cum peccatis?

Resp. Proportio *substantialis* in eo consistit, ut pro peccatis mortalibus imponatur pœnitentia gravis; pro venialibus levis. Ab ea distinguitur proportio *accidentalis*: consistens in hoc, ut pro mortalibus, gravis quidem imponatur, at quæ sua majori vel minori gravitate respondeat numero et gravitati peccatorum. Prima proportio certe præcipitur, nisi habeantur causæ excusantes, *sub gravi*: altera consulitur; aut, si præcipitur, certe non *sub gravi*. Ceterum ipsius pœnitentis pluribus et gravibus peccatis onusti valde interest, ut gravior ei pœnitentia imponatur; cum hæc efficaciam habeat *ex opere operato*, et per eam minuatur pœna eidem adhuc luenda in præsenti vita aut in altera.

Qu. 2. Quænam pœnitentia habenda sit tamquam gravis?

Resp. Ea, quæ respondet operi, quod a Deo vel ab Ecclesia præcipitur *sub gravi*, vel quod obligaret *sub gravi*, si præciperetur. Hinc certe gravis est eleemosyna summæ quæ aut absolute aut relative esset materia gravis in furto; item auditio Missæ, jejunium unius diei; Litaniæ Sanctorum cum precibus, tertia pars Rosarii, septem *Pater, Ave* et *Gloria*, et similia. Juxta quosdam, pœnitentia levis esset recitatio quinque *Pater* et *Ave*. Ceterum, ubi de precibus agitur, facile et melius

3) Non expedit infirmo pro pœnitentia imponere, ut patienter incommoda sufferat infirmitatis; nisi ille libenter hanc pœnitentiam acceptet.

4) CODEX *Can.* 932§ S. C. Indulg. 14 pun. 1901, apud *Monit. eccl.* XIII. 198.

est nonnihil abundare, præsertim dividendo; puta, ut quinque *Pater, Ave* et *Gloria* recitentur et ante et post communionem.

Qu. 3. Utrum præceptum sit, ut pœnitentiæ sint medicinales?

Resp. Certe non *sub gravi;* probabiliter ne *sub levi* quidem. Patet ex verbis Ritualis Romani: « Curet (confessarius), quantum fieri potest, ut contrariis peccatis pœnitentias injungat; veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia vel alias carnis afflictationes, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia » 5.

275. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Utrum gravis sit obligatio imponendi pœnitentiam?

Resp. Si absolutio data fuit a peccatis mortalibus, *affirmative.* Si a venialibus tantum, dubitatur. Affirmant quidam; quia etiam in hoc casu sacramentum debet fieri integrum, et sacramenti integratio est res in seipsa gravis. Alii negant; quia, cum obligatio pœnitentis acceptandi et exsequendi eam pœnitentiam impositam sit levis, non videtur quomodo possit esse gravis obligatio imponendi. Quæstio non est tanti momenti; cum facile sit imponere saltem Salutationem angelicam 6.

Qu. 2. Quandonam nulla pœnitentia imponi possit, aut pro peccatis mortalibus levis?

Resp. 1.° Omitti potest impositio pœnitentiæ cujuscumque, quando pœnitens impotens sit quamcumque acceptare aut implere; ut sunt moribundi et infirmi usu sensuum carentes.

2.° Imponi potest pro peccatis mortalibus pœnitentia levis: *a*) Quando pœnitens nonnisi levem implere possit. — *b*) Quando prudenter timeatur, ne pœnitentia, quæ debet esse in salutem pœnitentis, in ipsius spirituale detrimentum vertatur; esto id fieri possit ex culpa ipsius: puta si confessarius timeat ne ille majorem pœnitentiam omittat, aut ob graviorem pœnitentiam a confitendo in posterum avertatur; certe imprudentissime imponeretur pœnitentia proportionata accidentaliter. — *c*) Pœnitentia levis imponi quoque posset, quando pœna peccatis remissis debita aliis simul causis minor fiat; sive propter pœnitentis contritionem perfectam, sive propter indulgentiam plenariam ab eodem lucrandam 7. — Quoties imponere licet pœnitentias leves pro peccatis gravibus, licebit etiam imponere graves *sub levi.*

Confessarius vero, qui absque ulla causa excusante pro peccatis certe gravibus pœnitentiam tantummodo levem, aut gravem *sub levi,* imponat, certe peccat; at probabiliter leviter, nisi pro peccatis gravissimis pœnitentias imponat levissimas: id enim obesset utrique fini satisfactionis.

5) Rituale Rom. *III. Cap. 1. 19.* -Cf. Tanqu. *Num. 448;* Gury *348.*

6) S. Ligorius *Homo apost. XVI. Num. 47;* Noldin *299.* - Adverte, quod usus sententiæ benignioris nihil obstat validitati sacramenti.

7) At non licet in eo casu imponere nullam. Benedictus XIV. Const. *inter præteritas* § *65;* Leo XII. Const. *Caritate Christi* § *6.*

ART. II. — DE ACCEPTATIONE ET IMPLETIONE SATISFACTIONIS

276. Satisfactio usu satis communi *pœnitentia* dicitur. — Itaque.

Principia. I. Pœnitens, accipiens peccatorum suorum absolutionem, tenetur acceptare et implere pœnitentiam a sacerdote sibi impositam. Ratio est, quia confessarius in hac re (et in hac tantum) gaudet potestate imperii, ac insuper idem tenetur pœnitentiam imponere. Adde quod ipsa pœnitentia acceptanda et implenda spectat ad integritatem sacramenti.

II. Hæc obligatio gravis est *per se* : ideoque quoad pœnitentiam gravem pro peccatis gravibus impositam gravis est ; quoad pœnitentiam levem, sive pro levibus, sive pro gravibus impositam, est levis ; ratio alterius partis est, quia materia levis non est capax obligationis gravis.

277. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si pœnitens dimissus fuit inabsolutus, vel si ipse sciat se absolutum fuisse invalide, non tenetur pœnitentiam implere.

2.ª Si pœnitenti dilata fuerit absolutio, et interim pœnitentia aliqua imposita, hic *per se* non tenetur eamdem implere : at, si intentio expressa a confessario ea fuit, ut pœnitens eam ante absolutionem adimpleat, hanc ante absolutionem adimplere debet ; dummodo non præferat iterum confiteri et absolvi ab alio confessario.

3.ª Pœnitentia a pœnitente adimplenda est, non modo quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias temporis, modi, loci, etc., præscriptas a confessario ; dummodo constet eas, non ad modum directionis adjectas fuisse, sed ad modum præcepti.

4.ª In casu dubii de intentione confessarii, tum quoad substantiam, tum quoad circumstantias, ea præsumi debet juxta sensum et usum communem. Hinc, si imposuerit duas Missas, hæ audiendæ sunt successive ; si unam die festo, hæc audienda est præter præceptam ex lege Ecclesiæ : si tempus non designavit, pœnitentia adimplenda est quo primum moraliter fieri potest.

278. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si pœnitentia in se gravis imposita a confessario fuit pro peccatis venialibus vel pro mortalibus alias directe remissis, obligatio implendi levis est ; non enim potuit imponi *sub gravi*, nisi forte pro levibus quæ ad gravia disponant [8].

2.ª Si confessarius pro pœnitentia imposuerit, nedum opus aliquod, sed et circumstantias ejusdem, hæ servendæ sunt *sub gravi*, vel *sub levi* (pro mortalibus), juxta gravitatem earumdem et intentionem expressam vel rationabiliter præsumptam confessarii.

279. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quid de eo, qui pœnitentiam impleat in statu peccati mortalis ?

8) S. LIGORIUS *Num. 516, sequ;* D'ANN. *348, 20, 28.*

Resp. 1.° Hic certe satisfacit obligationi suæ; nisi forte in pœnitentiam imponatur opus, quod exigat statum gratiæ, cujusmodi esset sacra communio.

2.° Idem nec graviter peccat, nec leviter: hic enim status peccati non opponitur reverentiæ debitæ sacramento jam suscepto; tantummodo impedit ne per pœnitentiam remittatur pœna peccatis remissis debita: ceterum nulla ratio suadet eumdem teneri ad statum gratiæ recuperandum pro implenda pœnitentia.

Qu. 2. Utrum, et quatenus, peccet qui pœnitentiæ exsecutionem differt?

Resp. a) Si confessarius tempus designaverit ad finiendam obligationem, et quidem ut circumstantiam graviter obligantem, pœnitens eo tempore pœnitentiam non adimplens, peccat graviter: ita, si imposuerit eleemosynam diurnam determinatio infirmo largiendam; pœnitens vero eam largiri distulerit, donec iste mortuus est. At, si imposuerat jejunium in pervigilio festi S. Antonii, dies designatus fuit ad urgendam obligationem; ideoque, eo die elapso, obligatio non cessat. — *b)* Si confessarius tempus non determinavit, aut illud designavit ad urgendam obligationem, certe pœnitens peccat *per se* mortaliter, si ex gravi negligentia eam adeo differat, ut periculum fiat oblivionis vel impotentiæ: at difficile est gravitatem peccati definire subjective. Extra hunc casum haud facile erit definire quanta dilatio ad peccatum mortale requiratur; cum nimis variæ sint theologorum opiniones [9].

Itaque confessarius insistat, ut pœnitentia impleatur quamprimum; pœnitentem, quem reperiat pœnitentiam serius aut nondum implevisse, severe corripiat ac ad dolendum ac proponendum excitet; judicium autem de gravitate peccati Deo reservet.

Qu. 3. Quid agendum pœnitenti, si pœnitentiam sibi impositam non recordetur?

Resp. Quod sibi aliquam faciendam assumat, bonum est quidem; at hæc non est satisfactio sacramentalis, nec habet efficaciam *ex opere operato*. Cum itaque exsequi pœnitentiam impositam impossibile sit, ipse ad nihil tenetur: tantummodo dicunt eumdem teneri a cofessario eam iterum petere, si commode possit et existimet confessarium eam adhuc recordari. — Item in confessione quærere debet a confessario pœnitentiam, si advertat hunc ejus imponendæ oblitum esse: si non quæsierit, ad eum redeat, si commode potest; at a peccatis jam valide absolutus fuit.

Qu. 4. Quid agendum pœnitenti, si judicet pœnitentiam sibi impositam excessivam esse, aut talem deinceps evasisse?

Resp. Certe eam sibi ipse mutare non potest, ne in perfectiorem quidem: in ipsa confessione petere potest a confessario ut pro ea alia sibi imponatur: digressus, idem ab eodem petere potest, sive in alia confessione, sive extra confessionem. Idem petere potest ad alio confes-

9) Cf. S. Ligorium *Num. 521;* Ball. *520-235;* Noldin *307.*

sario; sed, in confessione tantum: ad hanc autem commutationem sufficere videtur, quod hic confessarius de statu pœnitentis judicare possit ex cognita pœnitentia ab alio imposita et nunc commutanda, quin pœnitens adigatur ad sua peccata confessa et absoluta iterum confitenda [10]. — Quod si pœnitens ad pœnitentiam implendam absolute impotens fiat, ad nihil omnino tenetur.

280. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Utrum peccet graviter, qui partem pœnitentiæ gravis impositæ omittit?

Resp. Affirmative, si omittat partem, quæ præ integra pœnitentia notabilis sit, vel quæ gravis esset in seipsa. Idem dicendum, si omittat circumstantiam, quæ notabiliter ad finem præcepti conduceret. Ita peccat graviter qui ex integro Rosario sibi imposito tertiam partem omittat; vel qui, jussus Rosarium recitare genibus flexis et manibus junctis, illud sedens et brachiis complicatis persolvat. Aliter dicendum, si omittat partem aut circumstantiam levioris momenti.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

281. **Principia. I.** Hoc sacramentum rite susceptum *directe* remittit omnia peccata, quæ peccator de iisdem dolens clavibus subjecerit; hoc autem præstat per infusionem gratiæ justificantis [1]: hinc *indirecte* remittit omnia mortalia, etiam quæ non fuerint clavibus subjecta. Remissis peccatis, opera bona, facta in statu gratiæ et per peccatum mortificata, reviviscunt [2].

II. Hoc sacramentum remittit pœnam æternam peccatis mortalibus debitam: pœnam autem temporalem, sive mortalibus, sive venialibus debitam, non semper tollit ex integro [3], sed minuit, magis vel minus plene, pro diversa perfectione dispositionis in pœnitente exsistentis.

III. Hoc sacramentum infundit etiam gratiam sacramentalem; nempe confert vim ad vitanda peccata et perseverandum in statu gratiæ, et jus ad habenda suo tempore auxilia in hunc finem necessaria.

10) Hæc opinio probabilis habetur a S. Ligorio *Num. 529 Dub. 1.* — Cf. Ball. *Num. 534-538;* Gen. *315, sequ.;* Noldin *310.*

1) Concilium Trid. *Sess. VI. De justif. Cap. VII.*, et *Can. 10, 11.*
2) S. Thomas *P. 3. Qu. 89 a. 5.*
3) Concilium Trid. *Sess. VI. Cap. XIV.*, et *Sess. XIV. De Pœnit. VI. 11. 12.*

282. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum et simul informe ?

Resp. Id certe perdifficile est; eo quod elementa requisita ad valorem sacramenti sunt ipsa requisita ad infusionem gratiæ; nempe, ex parte subjecti (certe nihil huc refert minister) confessio formaliter integra et dolor. Porro pœnitens, vel hæc duo præstat, et recipit infusionem gratiæ; vel hæc, et nominatim dolorem, non præstat, et non accipit valide sacramentum. Hinc theologi quamplures negant dari posse sacramentum validum et informe: illi in primis, qui contendunt actus pœnitentis esse proprie materiam, hujus sacramenti. Contrarium tenent, qui putant actus pœnitentis, nominatim dolorem, non esse proprie materiam, sed dispositiones requisitas, ut pœnitens remissionem peccatorum per sacramentum consequatur.

Casus precipuus sequens esset: Cajus furtum et fornicationem commisit: at in confessione ex oblivione tacet furtum, ac de fornicatione dolet ex speciali turpitudine hujus peccati. Si hic absolvatur, quid recipit ? — Ex iis, qui negant hoc sacramentum umquam esse informe, quidam dicunt absolutionem invalidam esse, eo quod furtum ex defectu doloris remitti non potest, nec remitti potest fornicatio sine furto: alii dicunt utrumque remitti; fornicationem *directe*, furtum *indirecte;* quod explicant ex eo quod dolor de fornicatione, cum secum ferat propositum universale, virtualiter universalis est. Hinc, juxta illos, utrumque peccatum manet materia necessaria proximæ confessionis; juxta hos, furtum dumtaxat. Auctores sententiæ contrariæ tenent in hoc casu sacramentum esse validum, eo quod peccatum accusatum habet comitem dolorem; simul vero esse informe, quia peccatum furti irremissibile est, ac proinde infusionem gratiæ excludit: proinde unum manere peccatum necessario accusandum, furtum.

Quidam informe habent sacramentum, si pœnitens de peccatis suis doleat, at non detestatione appretiative summa: ac censent hac ratione probari posse praxim confessariorum absolvendi pœnitentes confessos et attritos, licet valde dubitare debeant num eorum dolor sit summus. Alii idem putant de eo, qui, de aliquo peccato dolens, invincibiliter crederet non esse peccatum ad sacramentum hoc accedere sine dolore de omnibus.

Omnes isti tenent sacramentum informe deinceps (ante novum mortale) reviviscere, si ea dispositio ponatur ex cujus defectu impediebatur, gratiam conferre. Denique advertunt casus istos forte numquam contingere: nam generatim pœnitentes aut non dolent, aut dolent ex motivo universali; eo magis quod universale debet esse propositum 4. Pro praxi insistant confessarii.

283. **Scholion — I.** *De remissione peccatorum venialium ex opere operato.* — Certum est quod peccata venialia remitti possunt per sa-

4) Cf. D'Annibale *Num. 312, 319;* Lehmk. *299;* Noldin *260;* Verm. *569;* etc.

cramentum Pœnitentiæ, et quidem *per se*, licet non fuerit ad ea remittenda institutum. Insuper remitti possunt, saltem *per accidens*, vi sacramentorum Baptismi, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis; probabiliter vi sacramentorum Confirmationis, Ordinis et Matrimonii. Dispositio requisita ad hanc remissionem *ex opere operato* est ea attritio, quæ sufficiens sit ad removendum obicem remissioni eorumdem, qui est impœnitentia.

II. *De remissione pœnæ peccatis remissis debitæ.* — Remissâ vi sacramenti aut contritionis perfectæ pœnâ æterna, luenda adhuc manet pœna temporalis iisdem peccatis remissis debita [5]. Hujus autem remissio duobus modis haberi potest in præsenti vita: nempe *a*) per opera pœnitentialia, sive quæ sacramentaliter imposita fuerint, sive quæ ab ipso pœnitente sponte suscipiantur, aut juxta divinæ providentiæ dispositiones voluntarie acceptentur; *b*) per indulgentias. Quæ tempore mortis adhuc solvenda supersit, ea luenda erit in altera vita per pœnas purgatorii.

SECTIO TERTIA

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

284. Minister sacramenti Pœnitentiæ non potest esse nisi sacerdos. Christus enim Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus dixit: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Quæ doctrina definita fuit ut veritas de fide in Concilio Tridentino, damnante eos, qui dixerint « non solos sacerdotes esse ministros absolutionis » [1].

Inde *a*) iterum patet quanta sit dignitas sacerdotum; qui, dum in sacramento Eucharistiæ vices gerunt Christi, in sacramento Pœnitentiæ vices gerunt Dei, ejusque auctoritate pronuntiant eam sententiam: *Ego absolvo te a peccatis tuis.* Verissimum enim est, quod Judæi Christo objiciebant: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* — *b*) Patet quoque Ecclesiam non posse, neque umquam potuisse, concedere diaconis aliisve ministris potestatem absolvendi a peccatis, absolutione propria fori interni, quæque rata habenda esset et in cœlis. — *c*) Patet invalidam esse absolutionem, quam impertiat qui invalide Ordinem susceperit; invalidam ex isto capite non esse, quam impertiat, qui Ordinem susceperit illicite.

Hæc potestas Ordinis sacerdotalis necessario requiritur ad sacramentum Pœnitentiæ ministrandum, qua *sacramentum* est. At ea non sufficit; cum hoc sacramentum sit institutum a Christo sub forma judicii, imo et verum *judicium* sit. Judicium enim requirit, ut, qui vi Ordinis

5) Contritio perfecta, si intensa sit, remittere potest partem pœnæ temporalis, imo et totam. S. THOMAS *In IV. Dist. XVII. Qu. 2. a. 5,* et alibi.

1) CONCILIUM TRID. *Sess. XIV. De Pœnit. VI. Can. 10;* CODEX *Can. 871.*

potest esse judex, vere judex fiat per auctorizationem Superioris et assignationem subditorum, seu per jurisdictionem. — Agemus: 1.° De jurisdictione; 2.° de officiis ministri; 3.° de quibusdam abusibus in ministerio exercendo occurrentibus; 4.° de modo agendi cum variis classibus pœnitentium.

CAPUT I.

DE JURISDICTIONE

285. *Jurisdictio* in præsenti materia, est « potestas ligandi et solvendi in foro sacramentali »; seu « potestas remittendi vel retinendi peccata per sententiam judicialem sacerdotis, quæ rata habenda sit a Deo in cœlis ». Distinguitur duplex: *Ordinaria* ea est, quæ sacerdoti competat ratione officii habentis adnexam curam animarum: *delegata*, quæ detur sacerdoti super fideles, quorum ipse curam non habet. Hæc delegatio fieri potest *expresse* vel *tacite;* item *directe* et *immediate* ipsi sacerdoti, vel *indirecte* et *mediate* per facultatem factam pœnitenti eligendi sibi sacerdotem. — Dicemus: *a*) De necessitate jurisdictionis; *b*) de subjecto ejusdem; *c*) de ejusdem restrictione quoad peccata, seu de reservatione; *d*) de jurisdictione relate ad moniales.

ART. I. — De necessitate jurisdictionis

286. **Principia. 1.** Ipsa judicii sacramentalis natura postulat, ut minister, nedum potestate Ordinis sacerdotalis polleat, sed et jurisdictione fruatur super subditos, quos debet judicare. Confirmatur ex decreto Concilii Lateranensis IV., statuentis ut « omnis utriusque sexus fidelis... sua peccata confiteatur *proprio sacerdoti* », ex Concilio Tridentino et ex Jure novissimo [1]. Jurisdictio autem sacerdoti dari debet ab Ecclesia.

II. « Ad confessiones valide audiendas opus est jurisdictione scripto vel verbis expresse concessa ». Tamen « in errore communi, aut in dubio positivo probabili, sive juris, sive facti, jurisdictionem supplet Ecclesia pro foro (tum externo tum) interno » [2].

287. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Quod fideles sua peccata confiteantur sacerdoti habenti super ipsos jurisdictionem, hoc non est ex lege Ecclesiæ, sed ex voluntate Christi instituentis sacramentum Pœnitentiæ ut verum judicium. — Hinc:

2.ª Si quis voluerit sacerdoti non proprio sua peccata confiteri,

1) Concilium Later. *IV.*; Conc. Trident. *Cap. VII;* Codex *Can. 872.*
2) Codex *Can. 879 § I, 209.* — Cf. Verm. *Num. 459.*

necesse est, quod facultatem ad id obtinuerit a Pontifice, vel a proprio Ordinario; secus enim sacerdos ille ipsum absolvere non potest.

288. *Ex Princ. II.* — 1.ª Graviter peccat sacerdos, qui ex jurisdictione præsumpta confessiones audiat et absolvat.

2.ª Quotiescumque alicujus loci fideles communiter putant sacerdotem aliquem esse confessarium, valide ab eo absolvuntur, licet ille careat titulo sive colorato sive existimato.

3.ª Id valet etiam, si sacerdos sciat se non habere jurisdictionem, aut sit quomodocumque excommunicatus aut suspensus: ipse autem graviter peccat, nedum in altero casu, sed et in primo, cum cogat Ecclesiam ad supplendum.

4.ª Si fideles omnes pro certo habeant quempiam esse sacerdotem, qui reapse non sit, invalide absolvuntur: Ecclesia nec supplet, nec supplere potest; cum Ordo sacerdotalis requiratur jure divino.

5.ª Si pœnitens confiteatur peccatum in se reservatum, de cujus reservatione theologi inter se disputant, puta quia commissum ab ignorante reservationem, valide absolvitur a confessario non habente facultatem in reservata.

6.ª Si in diœcesi reservatum sit homicidium voluntarium, at ratio habeatur dubitandi num revera mors secuta sit et quidem ex actione posita a pœnitente, hic valide absolvitur a confessario non habente facultatem in reservata; nec manet ulla obligatio iterum confitendi, si dein et de morte et de influxu actionis in ipsam constet.

7.ª Sacerdos, qui cum gravi fundamento, at non absque formidine errandi, judicet sibi nondum elapsum esse tempus concessæ facultatis, valide et licite absolvit.

289. **Quaestiones.**— *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum necessaria sit jurisdictio ad absolvendum valide a peccatis venialibus, vel a mortalibus jam alias directe vi absolutionis remissis?

Resp. Affirmative ad utrumque: cum in utroque casu proferenda sit sententia judicialis; hæc autem absque jurisdictione esse non possit. Quidam censebant pro hisce peccatis jurisdictionem conferri tacite ab Ecclesia in ordinatione sacerdotali. At hujus opinionis applicatio, nedum arbitraria, sed et periculosa esset: confessarius enim, nonnisi auditis peccatis, judicare potest de eorumdem levitate vel gravitate. Qua de re opportunissime Innocentius XI hanc praxim interdixit: quia tamen de valore absolutionis nihil doctrinaliter declaravit, ideo hæc ceu valida a nonnullis adhuc habetur 4.

Qu. 2. Quandonam haberi censeatur *error communis*?

Resp. Quando omnes vel fere omnes illius loci fideles existimant sacerdotem illum jurisdictione sive ordinaria sive delegata esse instructum. Nec obstat quod plures, præsertim in civitate, de his nihil sciant aut curent: satis est quod ita existiment communiter fideles, qui eam

4) S. Ligorius *Num. 543* fatetur id communissime teneri. — Cf. Ball. 555.

ecclesiam frequentant. — E contra, si pars notabilis fidelium sciant sacerdotem illum non esse confessarium, et nonnulli, forte advenæ, apud ipsum confiteantur et ab eo absolvantur, absolvuntur invalide.

Qu. 3. Utrum sacerdos licite excipiat fidelium confessiones eosque licite absolvat, dubitans de sua jurisdictione ?

Resp. 1.° Si dubitat dubio positivo probabili, ita ut vere probabile ei sit se jurisdictione potiri, *affirmative*. Ratio est, quia de validitate absolutionis nunc nullum est dubium; agitur ergo de sola liceitate. « Communis sententia docet licitum esse absolvere cum jurisdictione probabili, modo opinio sit vere probabilis » 6.

2.° Si dubitet dubio negativo, h. e., si nullum habeat pro sua jurisdictione argumentum, *negative*. Licet enim fideles valide absolvantur, si habeatur *error communis*, ipse cogeret Ecclesiam ad supplendum, pari ratione ac cogeret qui certo sciat se non habere jurisdictionem. Tantum licebit dare absolutionem dubie validam *per se*, certe validam *per accidens*, si habeatur ex parte pœnitentis necessitas: puta, si sacerdos pœnitens omittere non possit Missam absque periculo scandali vel gravis infamiæ: forte etiam, si confessarius dubitare incipiat post audita peccata.

Patet et eum sacerdotem peccare, qui negligat aut non curet renovationem facultatis sibi procurare quo tempore elabitur; hic certe peccat *objective* et *per se* graviter: *subjective* haud facile erit judicare, ut generatim de peccatis negligentiæ vel incuriæ. Insuper « sacerdos, qui sine necessaria jurisdictione præsumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis » 7.

ART. II. — De subjecto jurisdictionis

290. **Principia. I.** Jurisdictio ordinaria ad sacramentum Pœnitentiæ valide conferendum competit: *a*) Romano Pontifici pro universa Ecclesia; *b*) Ordinario loci pro suo territorio; *c*) parocho et quasi-parocho pro sua parœcia; *d*) superiori religionis clericalis exemptæ pro suis subditis; *e*) ex Jure novissimo Cardinalibus pro universa Ecclesia. *f*) Canonicus pœnitentiarius potestatem habet ordinariam (non delegabilem) super fideles etiam extraneos in diœcesi, ac super diœcesanos extra territorium dioecesis 8.

II. Jurisdictionem delegatam *a*) super fideles, sive sæculares sive religiosos, sacerdotibus tum sæcularibus tum religiosis confert Ordinarius loci, in quo confessiones excipiuntur: *b*) in religione cle-

6) S. Ligorius *loc. cit.* — Præter Ball. *Num. 632;* ita sentiunt Noldin *346;* Gen. *330, II;* D'Ann. *321, 16.*

7) Codex *Can. 2366.* — Agimus *Lib. III. Num. 509.*

8) Codex *Can. 873, 239* § *1 n. 1, 401.*

ricali exempta super professos, novitios aliosque in religiosa domo diu noctuque degentes confert quoque proprius eorumdem Superior; qui eam concedere etiam potest sacerdotibus e clero sæculari aut alius religionis [9].

111. Jurisdictio, et quidem illimitata, conceditur ab Ecclesia cuilibet sacerdoti, etiam hæretico, excommunicato aut suspenso relate ad eos fideles, qui sunt in articulo vel in periculo mortis [10].

291. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos suos absolvere ubique terrarum: ita Episcopus suos diœcesanos, parochus et quasi-parochus suos parochianos, Superior suos subditos.

2.ª Nomine quasi-parochi venit: *a*) sacerdos, qui constitutus fuerit rector quasi-parœciæ in vicariatu vel præfectura apostolica; *b*) sacerdos qui ab Ordinario constitutus fuit vicarius œconomus vel parœcialis loco parochi defuncti, absentis vel impediti.

3.ª Parochi et quasi-parochi intra limites suæ parœciæ valide excipiunt confessiones fidelium, tum alterius parœciæ, tum alterius diœceseos.

4.ª Cessante parocho vel Superiore vel Pœnitentiario ab officio suo, cessat simul jurisdictio; nisi aliter statuat Ordinarius, aut ferat consuetudo.

5.ª Licet *per se parocho* jurisdictio competat in suos parochianos, tamen vi consuetudinis non ignotæ Ordinariis valide confessiones excipere potest in tota diœcesi: excipe casum, quo Episcopus aliter statuerit.

292. *Ex Princ. II.* — 1.ª Ordinarii et Superiores religiosi illis tantum concedere debent facultatem audiendi confessiones, quos per examen aut aliunde noverint esse idoneos; et, nedum quoad doctrinam, sed et quoad morum honestatem, prudentiam aliasque dotes pro hoc ministerio requisitas.

2.ª Religiosi exempti jurisdictionem super fideles sæculares et religiosos alterius religionis accipere debent ab Ordinario loci; a quo et judicium ferendum est de eorum idoneitate.

3.ª Eo quod jurisdictio datur ab Episcopo loci, in quo fit confessio, ideo qui habeat sive ordinariam sive delegatam, eam in loco valide exercet super vagos, peregrinos et quoscumque advenas [11].

4.ª Jurisdictio accepta ex delegatione tanta est, quanta est concessa; hinc subesse potest limitationibus quoad personas, quoad peccata, quoad tempus, quoad locum: jurisdictio autem ultra limites signatos, *per se* exercetur invalide.

9) Codex *Can. 873-875* § *2*, coll. *Can. 514* § *1*.
10) Concilium Trid. *ess. XIV. Cap. VII. De Pœnit.*; Codex *Can. 882*.
11) Circa sacerdotes navigantes (casus apud nos rariores) c. Codex *Can. 883*, et Comm. Ponnt. ad C. C. interpr. 20 maji 1923 *Num. IV*, apud *Acta Ap. Sedis* XVI. 113.

5.ª Parochus nunc certe invalide concederet facultatem audiendi in sua parœcia confessiones sacerdoti aut etiam parocho alterius diœcesis.

6.ª Valida est jurisdictio delegata implicite; puta, si parochus habuerit a suo Episcopo licentiam advocandi sacerdotem alius diœceseos ad missionem habendam in sua parœcia: at non valet præsumpta.

7.ª Facultas audiendi confessiones nec facile deneganda est, nec nimis coarctanda: at limitatio vel coarctatio etsi illicita, valida est.

8.ª Qui habet jurisdictionem sibi ab Ordinario loci delegatam, ea uti non potest extra limites territorii Ordinarii delegantis.

9.ª In ecclesia parochiali aut parocho subjecta sacerdos approbatus ab Episcopo illicite confessiones exciperet præter et contra voluntatem parochi, at valide: exciperet licite in domo privata aut in ecclesia parocho non subjecta.

293. *Ex Princ. III.* — 1.ª Sublata omni controversia, certe in casu, nedum articuli, sed et periculi mortis, absolvere potest quilibet sacerdos, etiamsi præsens adsit approbatus.

2.ª Unice excipiendus casus sacerdotis, qui adsit moribundo complici suo in peccato turpi nondum per absolutionem remisso: si adsit vel adesse possit sacerdos quilibet etiam non approbatus, sacerdos complex absolvere non potest complicem, et absolvens gravissime peccaret et in excommunicationem incideret: tamen absolutio valida esset.

294. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* A quo Ordinario sacerdos accipere debeat jurisdictionem?

Resp. Cum res pendeat a voluntate Ecclesiæ, hæc vero nunc suam mentem aperuerit, jurisdictio abhinc datur sacerdotibus quibuscumque, sæcularibus et regularibus, ab Ordinario loci in quo confessio auditur: excipiendus casus religionis exemptæ.

Qu. 2. Quibus modis cesset jurisdictio delegata?

Resp. Cessat: *a*) per revocationem ipsius factam ab ipso delegante, vel ab ejus superiore aut successore; *b*) lapsu temporis præfixi; *c*) excommunicatione aut suspensione ipsius delegati; *d*) morte delegantis aut cessatione ejusdem ab officio, si delegatio data fuerat ad casum particularem, et confessio nondum cœpta est. Si delegatio data fuit ad *beneplacitum* delegantis, ea, juxta quosdam, cessat delegante defuncto aut cessante ab officio; juxta alios, perdurat; quia locutio illa, saltem in quibusdam regionibus, æquivalet alteri « usque ad revocationem »; certe dicenda est perdurare, si data fuit illimitate 12.

ART. III. — De restrictione jurisdictionis quoad peccata

295. Eo quod sententia judicialis absolutionis supponit in judice jurisdictionem, hæc autem danda est ab Ecclesia, certum est quod Ecclesia hanc dare potest quoad peccata absolvenda limitatam; et quidem,

12) Cf. S. Ligorium *Num. 558, sequ.*; Ball. *577*; Gen. *342*.

non solum sacerdotibus accipientibus delegatam, sed et habentibus ordinariam. Ita R. Pontifex potest quorumdam peccatorum absolutionem sibi reservare, eam non permittendo sacerdotibus, parochis, et ipsis Episcopis; idemque facere possunt Episcopi ceterique Prælati jurisdictionem quasi-episcopalem habentes relate ad suos subditos. Id constat etiam ex Tridentino Concilio et ex damnatione errorum Synodi Pistoriensis 13. Ista exclusio quorumdam peccatorum a facultate absolvendi sacerdoti inferiori concessa, seu eorumdem avocatio ad judicium Superioris, dicitur *reservatio*.

Finis principalis reservationis indicatur a Tridentino Concilio « christiani populi disciplina »; seu recta Ecclesiæ gubernatio: at insuper certe Ecclesia intendit ut reservatio sit delinquenti *pœnalis;* quatenus ipsi delinquenti gravior fiat sui criminis condonatio, hujusque majoris gravaminis cognitio a peccato perpetrando hominem retrahat. Simul est *medicina curativa;* quatenus reus adire debet judicem et medicum peritiorem, a quo judicium rectius, remedium efficacius 14.

§ 1. — De peccatis reservationi obnoxiis.

296. Materia subjecta reservationi generatim sunt peccata. At quandoque reservata sunt ipsa peccata in se et per se; adeo ut sacerdos non valeat ab iisdem absolvere valide, absolutione fori interni et coram Deo: quandoque peccatis quibusdam gravioribus adnexa quoque est ex lege Ecclesiæ censura, et hæc quoque reservata; adeo ut sacerdos immediate prohibeatur absolvere a censura, mediate absolvere nequeat a peccato, quod propter reservatam censuram obnoxium est reservationi. Nos heic agimus tantum de reservatione, prout afficit peccata.

Porro ex peccatis Sedi Apostolicæ reservatis, unum est reservatum ratione sui, reservatione pœnali præservativa: nempe, falsa delatio, qua sacerdos innocens accusetur de crimine sollicitationis apud judices ecclesiasticos: item generatim reservata sunt ratione sui peccata, quæ sibi reservant Episcopi. Quare ad hæc tractationem nostram restringimus.

Jure novissimo gravia data sunt monita circa materiam plus minusve aptam reservationi: at hæc data sunt Ordinariis et Superioribus. Nos theorias generales damus præsertim pro confessariis.

297. **Principia. 1.** Ut peccatum sit reservatum, necesse est *a*) ipsum esse mortale, et quidem *b*) nedum materialiter, sed et formaliter; *c*) et ea specie malitiæ propter quam reservatum fuit: *d*) hoc autem, tum ratione actus interni, tum ratione actionis externæ, sive publicæ, sive occultae 15.

13) Concilium Trid. *Sess. XIV. De Pœnit. Cap. 7,* et *Can. 11;* ac Synodi Pistor. *Prop. 44,* apud Denziger *Num. 1544.* — Codex *Can. 893.*

14) Cf. Ballerini v. *App. P. II.;* D'Ann. I. *343, 47;* Noldin *371;* Farrugia *De casuum reservatione* (Aug. Taur. 1922).

15) Frustra reservarentur venialia, inopportune gravia interna.

II. Idem peccatum debet esse consummatum juxta literam legis reservantis; et in suo genere perfectum.

III. Idem peccatum debet esse certum, tum quoad exsistentiam, tum quoad ejus comprehensionem in lege reservante: reservatio enim est res odiosa.

IV. « Quævis reservatio (etiam casus papalis) omni vi caret: *a*) Cum confessionem peragunt sive ægroti qui domo egredi non valent, sive sponsi Matrimonii ineundi causa; *b*) quoties, vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel *c*) prudenti confessarii judicio absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi pœnitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; *b*) extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam pœnitens ex eo discesserit » [16].

298. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si peccatum, in se grave et reservatum, fuerit leve, sive ratione imperfectæ cognitionis aut volitionis, sive ratione materiæ, expers est reservationis: ita blasphemia hæreticalis prolata semiadvertenter, sermo leviter lascivus cum moniali.

2.ª Quia reservatio est lex Ecclesiæ, ideo naturam legum Ecclesiæ induit; ac proinde peccatum in se reservatum, quod fiat ex gravi metu extrinsecus incusso, immune est a reservatione.

3.ª Sicubi reservatus sit incestus in primo gradu consanguinitatis, qui hujusmodi incestum commiserit ignorans eam feminam sibi esse in eo gradu consanguineam, vel (si possibile est) censens nihil incestum hunc differre a simplici fornicatione, hic non commisit peccatum reservatum.

4.ª Ubi reservatus sit sermo lascivus cum moniali, non est reservatus sermo leviter lascivus, et simul graviter alicui injuriosus.

5.ª Si forte reservatum sit peccatum turpe cum moniali, non subest reservationi, qui illius manum tangat affectu graviter libidinoso.

299. *Ex Princ. II.* — 1.ª Ubi reservata sit abortûs procuratio effectu secuto, qui voluntarie causam abortus posuerit, potest a simplici confessario absolvi, si procuraverit frustra, aut si abortus nonnisi post confessionem sequatur: nec retractatur absolutio, cum sequitur abortus.

2.ª Non incurrit reservationem peccati R. Pontifici reservati femina illa quæ calumniose confessarium de sollicitatione apud superiores accuset, at non juxta formas canonicas denuntiet.

3.ª Si reservata sit sodomia, hæc intelligenda est perfecta; ac proin-

16) Codex *Can. 900.* — Cessatio hæc non spectat peccata, quæ sint reservata ratione censuræ. Comm. Pont. 10 nov. 1925.

de non est reservatum peccatum, si fiat a viro cum femina, aut cum viro quidem, sed actu non perfecto. At, si reservati sint lapsus carnis et actus exteriores venerei, tunc reservati quoque sunt actus imperfecti; dummodo actio externa sit peccatum mortale.

4.ª Reservato incestu, non reservatur peccatum cujuscumque luxuriæ inter virum et feminam consanguineos, si non fuerit perfectâ copula consummatum.

5.ª Si ad reservationem peccati conditio apponatur quod fuerit voluntarium, intelligitur tale esse debere et perfecte et directe. Hinc, si reservatum fuerit homicidium voluntarium, reservationem effugit homicidium ex negligentia graviter culpabili secutum; probabiliter etiam quod fiat ex subito impetu iræ (non eximente a peccato mortali), vel ex metu. Idem dicendum de abortu *ex industria*.

300. *Ex Princ. III.* — 1. Quousque quis, glande in adversarium explosa, dubitat num ille obierit, vel, sciens obiisse, dubitet num ex glande explosa a se, an ex explosa ab alio, aut ex imperitia medici curantis, etc., non tenetur reservatione. Interim absolvi potest a quolibet confessario; nec peccata reviviscunt, si postea veritas reservationis comperiatur.

2.ª Si reservatus sit sermo lascivus cum monialibus, immunis est a reservatione, nedum qui sermonem habuerit leviter lascivum, sed et qui, omnibus adjunctis perpensis, dubitat num lascivus fuerit graviter vel leviter, sive defectu plenæ advertentiæ (puta, in statu semiebrietatis), sive defectu materiæ in se gravis.

301. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Una cum ægrotis, videntur reservatione non teneri infirmi ac senes, qui virium debilitate aut senecta domo egredi prohibentur; non, hoc titulo, convictores, novitii, carcere detenti, etc. Ex spiritu legis, illi absolvi posse videntur, etsi domo exire valeant, at non ecclesiam forte dissitam adire.

2.ª Quoad convictores, etc., reservatio omni vi carere videtur, si urgeat necessitas, utique moralis, communicandi; puta, si die festo solemni in ephebæo aut instituto religioso omissio communionis suspicionem diffundere possit de reatu commisso.

3.ª Si durum sit pœnitenti, at ipsi subjective, manere in statu peccati toto tempore necessario ad impetrandam facultatem absolvendi, statim absolvi potest a simplici confessario.

4.ª Pœnitentibus sic absolutis nulla manet obligatio quoad reservationem: absoluti enim fuerunt a peccato reservato vi clavium, et quidem directe.

302. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum subsit reservationi peccatum commissum ab eo, qui ipsum esse reservatum ignorabat?

Resp. Res pendet ab intentione Episcoporum et mente Ecclesiæ.

1.° Certe standum est statutis Episcopi reservantis, si hæc edicant ignorantem incurrere reservationem, vel non incurrere. Episcoporum

mens dignosci quoque poterit, si scienter permittant unam vel aliam sententiam in scholis tradi et communiter a confessariis in praxim deduci.

2.° Relate ad mentem Ecclesiæ, solutio pendet a solutione alterius quæstionis: Utrum reservatio sit pœna medicinalis præservativa; an vero sit, saltem principaliter, medicina curativa. Si primum, ignorantes reservationem eâ non tenentur etiam vi Canonis 2229 § 3 n. 1; dummodo ignorantia non fuerit crassa vel supina: si alterum, tenentur quoque ignorantes. Theologi plures inclinabant in sententiam posteriorem 17: recentes fere omnes præferunt priorem 18. Nunc Codex monitum dat Ordinariis « ne facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant »; quod indicaret finem reservationis esse ut reus ad peritiorem judicem et medicum recurrere cogatur, et proinde sententiæ posteriori faveret: hinc et impuberes reservationem incurrerent; nisi aliud reservans statuerit.

303. *Circa Princ. IV. — Qu. 1.* Quandonam confessarius possit absolvere pœnitentem a reservatis post negatam a Superiore facultatem?

Resp. Quando ipse casum determinatum ad judicium Superioris detulerit, omittendo tantum nomen et indicia pœnitentis. Hoc enim modo aliquatenus attingitur finis reservationis, et pœnitens aliquo modo punitur, saltem dilatione absolutionis, et Superior suggerere potest confessario opportuna remedia. Minime ergo sufficit quod licentiam postulaverit pro reservatis generalem; aut pro casu primo vel secundo tabellæ reservatorum: exponere debet casum in concreto 19.

Qu. 2. Quandonam confessarius absolvere possit a reservatis propter incommodum pœnitentis aut periculum violationis sigilli?

Resp. 1.° Incommodum, præterquam grave, debet esse extrinsecum legi reservationis. Inter alia, certe incommodum est intrinsecum quod absolutio per unum vel alterum diem differatur, ut interim habeatur legitima facultas: adverte quod vi legis ipse pœnitens deberet suum peccatum confiteri penes Superiorem; ergo petitio facultatis est in levamen pœnitentis. Verum, si manere in statu peccati per unum vel alterum diem sit subjective valde durum pœnitenti, qui suspiriis absolutionem implorat, pro isto ea dilatio erit incommodum extrinsecum, ac proinde absolvi poterit, nedum indirecte a reservatis, sed et directe. At, si pœnitens post peccatum confessionem ad plures menses distulit, ac nonnisi urgente uxore ad confessarium accessit, num præsumi poterit durum illi esse in eo statu adhuc manere per biduum? 20. — Item incommodum extrinsecum poterit esse quod sacerdos Missam omittat die festo: at quod omit-

17) Cf. S. Ligorium *Lib. VI. Num. 582,* et *Quæst. reff. I. 83.* — Cf. et Farrugia *Op. cit. Art. V.*

18) Genicot *Num. 345.* — Ferreres *Num. 672* utramque sententiam probabilem habet.

19) Quid, si facultatem petierit per epistolam ab Ordinario, vel (pro peccato Apostolicæ Sedi reservato) a S. Pœnitentiaria, et nullum acceperit responsum?

20) Si agatur de dilatione longiore desiderium absolutionis in pœnitente excitari forte poterit a confessario. — *Cf. Monit. eccles.* X. P. I. 214.

tat uno vel altero die feriali, facile erit intrinsecum: si hoc subire non vult, adeat Episcopum.

Hæc extendi posse videntur ad quemvis casum urgentiorem, simili modo ac est concessum pro absolutione a censuris. In casibus incommodi vere gravis absolutio vi Juris novissimi est directa.

2.° Periculum revelationis sigilli, utique indirectæ, haberi potest si confessarius, paucis auditis in ephebæo vel novitiatu alumnis, petere debeat ab Episcopo vel Superiore facultatem, quam isti facile suspicabuntur pro aliquo ephebo vel novitio postulari. At, si confessarius hoc periculum præcavere potest, ipsum præcavere debet *sub gravi*, ut ita utraque lex impleatur.

Qu. 3. Quid, si judicium confessarii de gravi incommodo pœnitentis vel periculo revelationis erroneum sit?

Resp. Si erroneum sit, at prudens, absolutio valida est: si erroneum et simul imprudens, absolutio *per se* invalida est; facile valida erit *per accidens*, supplente Ecclesia jurisdictionem.

Qu. 4. Utrum habendum sit ceu reservatum peccatum, quod reservationi obnoxium est in diœcesi in qua fit confessio, non in ea in qua fuit commissum?

Resp. Affirmandum esse videtur, eo quod jurisdictio datur sacerdoti ab Ordinario loci, in quo fit confessio, hæc autem in casu datur limitata. Adde quod « peregrinus tenetur reservationibus loci, in quo degit » 21: quod multo magis valet, si peccatum sit in utraque diœcesi reservatum.

Qu. 5. Quibus modis cesset peccati reservatio jure quasi-naturali?

Resp. Cessat, manente peccato, *a*) per confessionem peccati apud habentem in reservata facultatem, si ea confessio aliunde invalida fuerit aut etiam sacrilega; peccatum enim fuit judicio Superioris subjectum; *b*) per confessionem validam apud habentem facultatem in reservata, in qua inculpabiliter omissum fuerit reservatum: confessarius enim intendit pœnitentem absolvere in quantum hic indiget, et ipse *potest; c*) per confessionem peccati dubie reservati apud confessarium non habentem in reservata facultatem; cum reservatio sit stricte interpretationis: imo in hoc casu peccatum ipsum cessat per absolutionem validam et directam, supplente Ecclesia, si forte reservatum sit 22.

§ II. De facultate absolvendi a reservatis.

304. Indicamus facultates datas jure communi: hisce adjicendæ quæ dentur jure particulari ab Ordinariis.

Principia. 1. A peccatis quæ sibi reservaverit Epi-

21) Codex *Can. 14 § 2.* — Comm. Pont. 24 nov. 1920.
22) Codex *Can. 209;* S. Ligorius I. *Num. 600. Qu. 8;* Noldin *364;* Gen. *149.*

scopus, absolvere possunt: *a*) potestate ordinaria Episcopus ipse, ipsius in eadem potestate jurisdictionali successor, ejusdem superior actu in illius subditos habens jurisdictionem; *b*) potestate delegata possunt sacerdotes, qui ab aliquo e prædictis hanc facultatem acceperint.

II. Nulla est reservatio in articulo (vel periculo) mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis absolvere possunt [23].

III. « A casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt, tum *a*) parochi aliive, qui parochorum nomine in jure censentur, toto tempore ad præceptum paschale adimplendum utili, tum *b*) singuli missionarii quo tempore missiones ad populum haberi contingat » [24]: his *c*) addantur Cardinales.

IV. « Sacerdos, qui sine necessaria jurisdictione præsumpserit.... a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus » [25].

305. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ab his peccatis absolvere potest Vicarius capitularis, qui sufficiatur Episcopo defuncto, aut cessanti ab officio.

2.ª Hanc facultatem non habet *a jure* Vicarius generalis: eam habere potest *ab homine*, et quidem cum facultate subdelegandi.

3.ª Metropolita absolvere non potest a reservatis subditos suffraganeorum, nisi in actu visitationis ex officio: quo in casu gaudet vera jurisdictione super ipsos.

4.ª Hanc facultatem impetrare quis potest a Romano Pontifice; at nemini dari solet sub forma generali, præterquam tempore Jubilæi.

5.ª Potestas absolvendi a reservatis delegari potest confessario, nedum directe, sed et indirecte; nempe per facultatem pœnitenti concessam eligendi confessarium, a quo eorum absolutionem accipiat.

306. *Ex Princ. II.* — 1.ª Pœnitentem in articulo vel periculo mortis exsistentem absolvere potest valide et licite confessarius simplex, etiam non approbatus, excommunicatus vel suspensus; et quidem, etsi facile vocari possit aut præsens adsit Superior vel sacerdos habens facultatem in reservata.

2.ª Qui in articulo vel periculo mortis absolutus fuerit, si postea convalescat, non tenetur adire Ordinarium vel sacerdotem ad reservata delegatum: fuit enim absolutus *directe*: tenebitur implere ea, quæ de jure ipsi imposita sunt a confessario.

23) Codex *Can. 882;* ex Conc. Trid. *Sess. XIV. De Pœnit. Cap. 7.*
24) Codex *Can. 899 § 3.*
25) Codex *Can. 2366.* — Agimus *Lib. III. Num. 509*

307. *Ex Princ. III.* — 1.ª Qui parochorum nomine in jure censentur, sunt vicarii paroeciales qui plena potestate paroeciali sint præditi, et inter nos qui officium hoc ex Episcopi delegatione gerant pro parocho incapaci, vel in paroecia de facto vacante; item vicarii œconomi, paroecia vacante de facto et de jure.

2.ª Hi omnes intra limites paroeciæ certe absolvere possunt et suos et alienos, advenas, vagos et peregrinos; absolvere possunt et a casibus, quos Ordinarius sibi reservaverit speciali modo; et toto tempore ad præceptum paschale adimplendum utili, etiam anticipato vel prorogato; et quidem etiam pœnitentes, qui jam præcepto satisfecerint.

3.ª Nomine missionum *ad populum* accipienda esse videntur et exercitia, quæ habeantur in communitate sive religiosa sive non religiosa, vel pro sacerdotibus adunatis in seminario vel alibi; ceterum, quousque Sedes Apostolica super hac re mentem aperuerit, opportune providebunt Episcopi.

308. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Licet sacerdos peccet peccato gravissimo, tamen absolutiones, *per se* invalidæ; validæ esse possunt *per accidens*, Ecclesia supplente in casu erroris communis.

2.ª Sacerdos, qui reservationem ignoret ignorantia, sive simplici, sive crassa vel supina, et ideo absolvat, præsentem suspensionem non incurrit: incurrit qui absolvat ignorans ignorantia affectata.

3.ª Non incurrit qui, post quamplures auditas confessiones, somno semisopitus pœnitentem reum peccati reservati absolvat; licet vix data absolutione advertat se sine necessaria jurisdictione absolvisse: neque hic tenetur pœnitentem monere in casu, quo absolutio valida fuerit *per accidens*.

309. **Scholion.** — *De peccato Sanctæ Sedi reservato.* — « Unicum ratione sui reservatum Sanctæ Sedi est falsa denuntiatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud judices ecclesiasticos » 26. Ad reservationem requiruntur duo: *a*) Accusatio fiat calumniose; non ex conscientia nimis timida, ex deficentia sani criterii, ex ingenii levitate; sed fiat cognoscendo confessarium esse innocentem. — *b*) Eadem fiat apud Ordinarium vel ad Apostolicam Sedem aut virum ab ea delegatum, et quidem servatis formis juridicis denuntiationis 27. Non requiritur quod accusatio fiat a pœnitente, qui affirmet se fuisse ad turpia provocatum. — Censemus hoc peccatum modo reservatum esse *simpliciter*.

ART. IV. — De jurisdictione relate ad religiosas

310. Summa capita referimus ex documentis Apostolicæ Sedis: nominatim ex Codice 28; ex quo religiosarum confessarii, alii sunt *ordi-*

26) Codex *Can. 894.* — Cf. Tumm. *Num. 562.* De censura diximus *Lib. III. 432.*

27) Habentur apud Bucc. *In Const.* « *Sacram. Pœnit.* » post *Num. 17.*

28) Codex *Can. 520 - 527.*

narii, alii *extraordinarii*, alii *speciales;* quibus addi possunt *occasionales.*

Principia. I. Singulis religiosarum domibus unus dumtaxat detur ab Episcopo confessarius *ordinarius*, qui sacramentales confessiones universæ communitatis ad triennium excipiat; nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam justam causam sit opus altero vel pluribus.

II. Si qua religiosa ad suæ conscientiæ tranquillitatem confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico peracta, valida et licita est.

III. Religiosæ omnes, cum graviter ægrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt, eique perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri.

IV. Unicuique religiosarum communitati detur confessarius *extraordinarius*, qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat, et ad quem omnes religiosæ se sistere debent, saltem benedictionem recepturæ.

V. Ordinarius aliquot sacerdotes pro singulis domibus religiosarum designet, ad quos pro sacramento Pœnitentiæ in casibus, particularibus recurrere eæ facile possint: si qua religiosa aliquem ex his confessariis expetat, nulli Antistitæ licet ei quavis ratione directe vel indirecte refragari.

311. **Accessoria.** — *Ad Princ. I.* — 1.° Episcopus confessarium ordinarium ad secundum, imo et ad tertium, triennium confirmare potest, tum ob penuriam sacerdotum idoneorum, tum si major religiosarum pars ejus confirmationem per secreta suffragia postulaverit.

2.° Confessarius religiosarum etiam quæ sint Superiori regulari subjectæ, designatur ab Ordinario loci: Superiori officium incumbit præsentandi.

3.° Confessarius pro uno monasterio delegatus non excipit valide *per se* confessiones in alio; nec ipse in monasterio sibi commisso, elapso tempore concessionis.

4.° Conceditur ut, si qua religiosa, ad animi sui quietem et ad majorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile concedat Ordinarius. At concessio est valde periculosa: hinc Ordinarius invigilet ne ex ea abusus irrepant: si agatur de novitia, forte et ipsi, at certe monasterio, proderit quod ea dimittatur.

312. *Ad Princ. II.* — 1.° Idem dicendum videtur in casu, quo plures religiosæ, puta in paroecia rurali, deficiente sibi confessario pro ipsis ab Ordinario designato, in ecclesia publica adeant confessarium quemlibet approbatum pro mulieribus; prout sentiebant theologi.

2.° Nomine oratorii semi-publici venit quivis locus ad audiendas confessiones mulierum legitime destinatus 29. Juxta aliquos, venit etiam oratorium internum ipsius monasterii.

3.° Pro casu, quo confessio fiat in oratorio vel alio loco interno communitatis, variæ sunt recentium opiniones. Quidam censent, quod confessio fieri debeat in sede pro audiendis confessionibus mulierum sæcularium destinata: alii, quod fieri possit in sede destinata pro audiendis confessionibus religosarum. Quidam censent, quod confessio fieri debeat eo tempore quo ibi confiteri possent mulieres sæculares: alii quod fieri possit etiam januis clausis. Quidam exigunt quod confessarius, non consulto ad monasterium accedat ut confessionem excipiat, sed ob aliam causam; alii putant hanc restrictionem non requiri. Quidem vellent concessionem hanc large esse accipiendam « ad conscientiæ tranquillitatem: alii stricte ad præcavendos abusus non raro irrepturos, quos non semper facile Ordinarius cognoscere potest. Imo sunt qui negant religiosam confiteri posse in oratorio aut quovis alio loco monasterii sui 30. Ergo...

313. *Ad Princ. III.* — 1.° Jus petendi confessarium pro religiosa graviter, at non periculose, ægrotante extenditur ad confessarium quemlibet ab Ordinario approbatum pro mulieribus: pro religiosa in periculo mortis exsistente extenditur ad quemcumque sacerdotem.

2.° In hisce casibus, præsertim in altero, maxime curandum est Antistitæ ut sororibus amplissima detur eligendi libertas. In utroque casu confessarius electus ingredi potest clausuram etiam papalem.

314. *Ad Princ. IV.* — 1.° Opportunum est quod confessario extraordinario munus detur audiendi confessionem per duas hebdomadas: hac ratione satisfit et religiosæ, quæ forte bis velit aut debeat (puta pro casu reservato) ad ipsum accedere.

2.° Opportunum est et vix non necessarium quod Episcopus confessarios extraordinarios det quibuscumque collegiis femineis quibus communiter unus datur confessarius ordinarius.

3.° Si prohibitum modo non est, certe est valde incongruum, quod confessarius ordinarius adeat monasterium ibique unius alteriusve religiosæ confessionem excipiat: accedere potest ad audiendas confessiones earum quæ lecto decumbunt, si ab ipsis sponte vocetur.

315. *Ad Princ. V.* — 1.° Singulæ religiosæ jus habent petendi sibi confessarium specialem, ex designatis ab Ordinario, unice ad animi

29) Comm. Pont. die 24 nov. a. 1920.

30) Ferreres *Num. 662;* Fanfani *De jure relig.' 110;* Gen. *339;* Cocchi *Comm. De relig. 42;* Cerato in *Studia sacra* 1922 *Num. I.:* Sebast. *472;* etc.

sui quietem et ad majorem in via Dei progressum: si ad alium finem (forte ad detrahendum), peccare possunt leviter aut etiam graviter.

2.° Confessarius postulatus ab aliqua religiosa ceu specialis, si advertat se extra duos casus indicatos postulari, accedere prohibetur; eo magis, quod agitur de concessione vix umquam non periculosa; sive pro religiosa postulante, sive pro regimine generali communitatis.

3.° Pro audiendis confessionibus postulantium nulla requiritur facultas specialis.

CAPUT II.

DE OFFICIIS MINISTRI

316. Sublimi dignitati, qua sacerdos remittens peccata vices Dei gerit, respondet summa ipsius muneris gravitas et obligatio recte exercendi munus acceptum: a recto enim hujus muneris exercitio quamsæpissime pendet efficacia sacramenti, peccatoris justificatio et reconciliatio cum Deo et vitæ æternæ consecutio. Obligationes inhærentes confessario sunt triplicis classis: *a*) Aliæ exercitium ministerii præveniunt; *b*) aliæ comitantur; *c*) aliæ subsequuntur. Quædam dicenda quoque erunt; *d*) de abusibus, qui in hoc ministerio exercendo committi possent.

ART. I. — DE OFFICIIS EXERCITIUM MINISTERII PRÆVENIENTIBUS

317. Cum jam dictum sit de obligatione, qua ad confessiones audiendas teneri possunt sacerdotes, agendum modo esset de dotibus, quæ in sacerdote hoc munus exercente prærequiruntur, ut exerceat valide et licite. Hæc prærequisita potissimum duo sunt: Ex parte intellectus, *scientia;* ex parte voluntatis, *zelus* pro gloria Dei et animarum salute. Porro de zelo, prout universim ad munia sacerdotalia necessarius est, agunt scriptores *Theologiæ pastoralis*. Nunc dicemus de scientia: de zelo, prout exercitium muneris confessarii comitari debet, dicemus inferius.

Ex dictis: *a*) Confessarius, suum munus exercens, conficit sacramentum; *b*) quia hoc sacramentum judicium est, sacerdos sacramentum conficiens agit judicium; *c*) idem sæpe tenebitur pœnitentem ignorantem instruere, eumque; *d*) a morbis vitiorum curare et ad pravos mores emendandos dirigere et urgere. — Hinc confessarius est sacramenti *minister*, et in eo ministrando *judex;* pœnitentis vero est *doctor*, et *medicus*.

318. **Principia. 1.** Confessarius *sub gravi* tenetur eam scientiam habere, quæ suis muneribus rite obeundis ordinarie sufficiens sit. « Affirmo in statu damnationis esse eum confessarium, qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas sese exponit ».

1) S. LIGORIUS *Praxis Num. 18*, et *Homo ap. XVI. 100.* — Cf. et LEONIS XIII Epist. ad Epp. Italiæ die 8 dec. 1902, apud *Mon. eccl.* XXV. 442.

II. Relate ad objectum scientiæ, confessarius, *a*) prout est *minister*, scire debet ea quæ spectant ad validitatem et liceitatem sacramenti, tum ex parte sui, tum ex parte pœnitentis; *b*) prout est *judex*, scire debet necessaria ad cognoscendum et judicandum, tum de materia confessionis, tum de dispositionibus pœnitentis; *c*) prout est doctor, scire debet ea, quæ docere debebit pœnitentem ignorantem; *d*) prout est *medicus*, scire debet ea, quæ necessaria sunt ad cognoscendos morbos pœnitentis et ad remedia opportuna indicanda et præscribenda.

III. Relate ad extensionem scientiæ, confessarius tantam scientiam habere debet, ut sua officia rite peragere valeat in casibus communiter contingentibus; pro casibus vero difficilioribus et raro contingentibus valeat dubitare, et ex dubio exercitium sui muneris, aut ex toto, aut præ aliquo officio, suspendere ac differre.

319. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ad scientiam necessariam tenetur *sub gravi* confessarius quilibet, sive confessiones audiat ex justitia, sive ex caritate.

2.ª Obligatio scientiæ habendæ infert obligationem scientiæ acquirendæ: medium autem ordinarie necessarium ad hunc finem est studium theologiæ moralis et scietiarum affinium; quod et ante et post adeptum sacerdotium numquam est intermittendum.

3.ª Studio juvabit quidem experientia, at illius vices supplere non potest: item præsidio quidem erit sanum criterium; at illius se expertem esse ostendit, qui ipsum sufficere dictitet.

4.ª Qui studium omittit, reus est *in causa* errorum, qui ex ea omissione secuturi sunt, et secuturi esse, saltem in confuso, prævidentur.

5.ª Qui sibi scientiam deesse cognoscat (et quomodo non cognoscet ille, cui et non studuisse et non studere conscientia exprobat?), peccat assumendo aut acceptando munus audiendi confessiones: nec eum *per se* a peccato excusat approbatio Episcopi.

6.ª Peccat *per se*, et graviter, Episcopus approbans confessarium ignorantem. Dicimus: *per se;* quandoque enim ad hoc cogi potest propter necessitates fidelium; quandoque decipi potest testificatione erronea examinantium: at non inde immunis est a peccato gravi, qui confessiones excipiat, noscens se esse inhabilem.

7.ª In casu necessitatis potest ac debet confessarius ignarus et indoctus audire confessionem. Ratio est, quia absolutiones ab eo datæ validæ sunt, etsi ipse ex ignorantia etiam culpabili peccata mortalia ceu venialia habeat, aut ea opera meritoria esse existimet.

320. *Ex Princ. II.* — 1.ª Confessarius scire debet quænam requiratur in pœnitente objectorum fidei scientia et fides, quænam sacramenti materia, quinam actus; item quid requiratur ex parte sui quoad jurisdi-

ctionem et absolutionem, quænam sint peccata reservata, quænam sint censuræ frequentius occurrentes.

2.ª Discernere debet inter materiam necessariam, sufficientem et insufficentem, ac inter diversas peccatorum species ex objecto aut ex circumstantiis; scire debet cujusmodi dolor ac propositum in pœnitente requiratur; scire debet quid interrogandum sit ad procurandam confessionis integritatem materialem; item quænam sit satisfactio peccatis accusatis conveniens.

3.ª Quia non raro tenebitur pœnitentes veritates fidei edocere, eisque pro sua cujusque conditione obligationes proprias exponere, eorum præjudicia theoretica et practica diluere, etc.; ideo hæc omnia generatim noscenda sunt ipsi confessario.

4.ª Dignoscere debet quænam in singulis pœnitentibus sint causæ peccatorum: utrum malitia, an infirmitas, an ex habitu contracta fragilitas, an occasio, etc.; hinc et principia nosse debet ad hæc dignoscenda: insuper et cognoscere debet remedia pro singulis peccatorum causis opportuna, et satisfactiones salutares. Imo et callere debet scientiam asceticam; qua, nedum vitia extirpare valeat, sed et virtutes pœnitentium cordibus inserere et pro uniuscujusque statu et spiritu excolere ac perficere.

321. *Ex Princ. III.* — 1.ª Est in statu damnationis confessarius ille, qui ignoret principia generalia ad discernendum quænam sint peccata mortalia aut venialia in singulis præceptis, quænam sint peccata specifice diversa inter se, quomodo peccata multiplicentur numero in actibus physice simplicibus et moraliter multiplicibus, aut viceversa. Nisi enim ea principia cognoscat, ea non poterit casibus particularibus applicare.

2.ª Quænam sint objective mortalia aut venialia scire debet relate ad materias magis frequentes in confessionibus; cujusmodi sunt detractiones, imprecationes, furta, fraudes, peccata luxuriæ aut impudicitiæ solitariæ et non solitariæ, turpiloquia, lectiones et repræsentationes theatrales, irreligiosæ vel turpes, usurpationes sacrorum vanæ aut blasphemæ, violationes legum Ecclesiæ.

3.ª In iisdem materiis scire quoque debet quandonam peccata sint specifice diversa. Ita quoad fornicationes, sciat quantum necesse est ad cognoscendum num fuerit incestuosa, adultera, sacrilega: quoad odium et imprecationes, num peccatum fuerit contra caritatem, an vero contra religionem, vel contra pietatem: quoad blasphemias, num accesserit peccatum contra fidem, vel contra amorem Dei: quoad violationem legum abstinentiæ et jejunii, quænam sint causæ communius eximentes aut excusantes aut saltem culpam minuentes.

4.ª Non requiritur, quod confessarius de iis, quæ raro occurrunt, judicare sciat an sint gravia, vel levia; imo neque an sint peccata, vel non: hæc audiat et absolvat. Quod valet etiam circa ea, quæ hodie frequenter contingere dicuntur, at rarissime tribunali pœnitentiæ subij-

ciuntur; nominatim circa sextum præceptum et abusus matrimoniales: imo et circa ea, quæ non raro accusantur, at, cum sint accusanda pudice, confessarius urgere non debet interrogationes; puta in peccatis solitariis puellarum: si in hisce materiis interrogare non debet, cur debet scire? — Hucusque de scientia confessarii *judicis*: nunc de scientia confessarii *doctoris*.

5.ª Nimis frequenter hodie confessario occurrunt sophismata contra veritates catholicas, tum theoreticas, tum practicas. Hæc quandoque ab ipso pœnitente accusantur; non raro eidem obiter excidunt in confitendo, ceu opiniones aut dubitationes menti ejusdem infixæ. Materia potissimum sunt: Providentia divina, voluntas Dei salvifica universalis, exsistentia alterius vitæ, æternitas pœnarum inferni, ignis inferni aut purgatorii, intolerantia religiosa catholicorum, potestas legifera Ecclesiæ, etc. Confessarius sciat quid respondeat: saltem sciat se nescire: ne per impares responsiones sophismata magis confirmet, quam diluat.

6.ª Item saltem sciat se nescire quid respondendum ad objectiones magis implicatas; puta, circa hominis originem, historiam creationis, veritatem historicam Evangeliorum; item circa facta quædam ex historia ecclesiastica, vitia quorumdam Pontificum, Inquisitionem, processum in Galilæum, etc.

7.ª Nec opus est quod respondere sciat ad quæstiones abstrusiores circa spiritismum; circa quasdam curas medicales, fecundationem artificialem, condomismum, malthusianismum aliasve licentias conjugales [2]; item circa quosdam contractus hodiernos valde complexos: in hisce et aliis similibus confessarius fateatur se nescire; ac pœnitentes ad peritiores mittat, vel eisdem suadeat ut apud se post datum tempus revertantur.

ART. II. — De officiis exercitium ministerii comitantibus

322. Primum, quod in confessario ad rite et fructuose hoc sacramentum ministrandum exigitur, caritas est, qua Deum ardenter diligat. Ex hac enim in Deum caritate connaturaliter omni caritate prosequetur peccatores, quos Deus sibi per ejus ministerium reconciliari exoptat, quique ipsum *patrem* compellant, ab eoque vitam spiritualem per recuperationem gratiæ exspectant. — De hac paterna in peccatores caritate breviter hæc ex S. Alphonso notamus [3]:

323. — 1.° Confessarius caritatem erga pœnitentem adhibere debet *in principio confessionis*. — Omnes absque ulla personarum acceptione benigne excipiat; eos præsertim, quos sciat aut suspicetur esse

2) Opera quædam *medico-pastoralia*, tabulis quoque anatomicis illustrata, forte utiliora erunt medicis quam pastoribus; qui animarum salutem curare debent; at in primis suæ!

3) S. Ligorius *Praxis Cap. I.* — Cf. etiam Salvatori *Istruz. per i conf. novelli P. II. § I;* Bettonagli *Della benignità necess. ai confessori.*

mortalibus onustos, vitiis oppressos, indifferentismo laxatos: Christi imitatus exemplum, qui ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

2.° Caritatem adhibeat *in decursu confessionis.* — *a*) Quoad integritatem, opportune interroget, animos addat timidis, prolixos toleret, audaces et effrontes corripiat. — *b*) Quoad dispositiones, pœnitentem motivis supernaturalibus ad dolorem excitet, ostendat propositi necessitatem ac facilitatem, vel saltem possibilitatem. Quos indispositos esse videt, pro viribus curet disponere: ad quem finem « sæpe plus agit benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas » 4. — *c*) Maximum vero opus paternæ caritatis illud erit, ut curet peccatori beneficium absolutionis conferre, per quod ipsi justificationem et vitam spiritualem restituet: ergo, quem indispositum novit vel timet, caritate paterna disponat.

3.° Caritatem adhibeat *in fine confessionis.* — Pœnitentem in bono proposito vitæ emendandæ confirmet; media ad tutandam propositi efficaciam suggerat; ad quem effectum in primis commendabit sacramenti Pœnitentiæ usum frequentem. Quod si debuerit eidem absolutionem denegare, ipsum quamhumanissime dimittat; simul amplitudinem divinæ misericordiæ eidem ostendens. — Hæc quantum ad ipsam substantiam amoris: nunc ad qualitates:

324. — 1.° Amor confessarii *paternus* sit (non maternus), ideoque prudens, et, quando opus est, severus. Id maxime curandum cum feminis, quibus sæpe et criterium leve est et amandi insita necessitas. Quod confessarius pœnitentem *filiam* compellet, hodie magis displicet quam placeat: placet omnino *sermo ille brevis et durus,* qui sanctis Augustino et Bernardo familiaris erat. Insuper « dove, come tra noi, il dare del *tu* alle persone è un tratto di confidenza, non è da usare se non colle fanciullette » 5.

2.° Quoad sui motivum, amor sit *supernaturalis*: nihil habens humani, purus sit, seu vera caritas erga pœnitentes, procedens ex amore Dei. Ideo suum amorem confessarius pari dilectione extendat ad pœnitentes quoscumque, viros et feminas, divites et pauperes, senes et pueros, gratos et ingratos: nec ægre ferat quod pœnitens, præsertim femina, a se passim aut definitive recedens, alium adeat confessarium.

3.° Amor confessarii *patiens* sit, et simul *industrius* et *efficax* in adhortando, in monendo, in increpando: pro viribus studeat pœnitentem indispositum disponere, ut dispositum a vinculis peccatorum et reatu damnationis æternæ absolvat ac divinæ amicitiæ restituat.

325. Hujusmodi caritate flagrans confessarius, eos effectus in suo ministerio exercendo consequetur, ad quos hoc sacramentum Christus instituit. Porro hi duo sunt: Primus, ut pœnitentem a peccatis commissis absolvat: alter, ut ipsum ad meliorem vitam adducat; quod alterum consequetur movendo ejus voluntatem, tum immediate, tum mediante in-

4) Concilium Trid. *Sess. XIII. Decret. de Reform. Cap. I.*
5) Frassinetti *Dissert. XV.* § 3, et *Manuale del Parroco nov. 400-410.*

structione intellectus. Hinc confessarius in hoc sacramento agit *judicem, medicum, doctorem*. Officium primum ratione sui finis primarium est, imo et essentiale; alia duo sunt secundaria 6.

§ I. — De officio judicis.

Officium confessarii, qua *judicis*, illud est ut, *a*) cognitâ causâ, *b*) judicium faciat, et *c*) ex eo ferat sententiam.

Punctum I. — *De causâ cognoscenda.*

326. **Principia. I.** Confessarius, ut judicium facere et sententiam ferre valeat, tenetur causam instruere, sibi acquirendo ab ipso pœnitente necessariam cognitionem, tum circa materiam, tum circa ipsius pœnitentis dispositiones.

II. Circa materiam, tenetur sibi acquirere cognitionem sufficientem, qua judicare possit de peccatorum exsistentia, gravitate, specie et numero. Circa dispositiones pœnitentis, tenetur sibi acquirere cognitionem sufficientem, ut judicare possit num pœnitens habeat dolorem saltem imperfectum, propositum et voluntatem satisfaciendi.

III. Ubi videat, vel cum fundamento suspicetur, elementa horum judiciorum sibi non sufficienter præberi a pœnitente, debet ipse ejus defectum supplere, et quidem obligatione *per se* gravi [7]. Ratio est, quia sacerdos est sacramenti minister; et ideo circa materiam procurare debet confessionis integritatem etiam materialem, circa dispositiones pœnitentis debet ipse procurare sacramenti validitatem.

327. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I, II.* — 1.ª Eo quod confessarius cognitionem sacramentalem acquirere debet a pœnitente, regulariter credere debet eidem, tum quoad accusationem peccatorum, tum quoad affirmationem suarum dispositionem 8.

2.ª Quantumcumque confessarius dubitet de sinceritate pœnitentis, eidem credere debet, sive relate ad materiam, sive relate ad dispositiones; ipse enim est et reus, et simul sui ipsius accusator et testis et advocatus.

328. *Ex Princ. III.* — 1.ª Confessarius non tenetur interrogare eos

6) Agimus in op. *De judicio sacramentali Cap. III-VII* (Ed. 3).

7) Qui numquam interroget, mortali non caret. Bened. XIV Const. *Apost. Const.* § *19*. — At, ne quid nimis!

8) Cf. S. Thomam *In IV. Dist. XVII. Qu. 5, art. 3. qu. 5 ad 2.*

pœnitentes, qui videntur ex se præbere eidem sufficientem cognitionem, tum circa materiam, tum circa sui dispositiones.

2.ª Confessarius non tenetur interrogare pœnitentem, nisi cum diligentia ordinaria, quæ proportionata sit obligationi (et proinde capacitati, facultati, etc.) ipsius pœnitentis: non *suæ*. Obligatio enim interrogandi est in supplementum defectus pœnitentis.

3.ª Quod in prolixa confessione materiæ necessariæ confessarius omittat unam vel duas interrogationes *per se* necessarias, communiter a theologis non censetur esse peccatum mortale.

4.ª Contra obligationem interrogandi confessarius peccare potest et per excessum, et per defectum: hinc regula prima in interrogando est sanum criterium confessarii.

329. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I. — Qu. un.* Quid agendum confessario, si certo cognoscat peccatum aliquod a pœnitente taceri aut negari?

Resp. 1.° Profecto debet pœnitentem forma generali interrogare, et monere de necessitate sinceritatis in confitendo et de sacrilegii gravitate; quæ omnia præstabit summa cum caritate et prudentia. Si id frustra fecerit, quæstio valde implexa est. — Itaque:

2.° Confessarius peccatum pœnitentis cognoscere potuit: *a*) ex confessione alterius, puta complicis; *b*) ex relatione aliorum, puta parentum; *c*) ex experientia et visu proprio. Si primum, plures censent nullam haberi posse rationem cognitionis habitæ ex confessione alterius, ne sigillum frangatur: imo, etsi alter pœnitens in eum usum cognitionis sacramentalis consenserit. S. Thomas docet in confessione « credendum quidem esse peccatori pro se et contra se loquenti, at non contra alium » 9. Confessarius ergo, juxta plures, absolvat pœnitentem, saltem conditionate; juxta alios, absolutionem dissimulet 10. Si alterum, « quantumcumque confessor sciat peccatum pœnitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc judicio magis credere pœnitenti » 11; quæ sententia practice tuta est: ergo absolutio detur, saltem sub conditione. — Si tertium, h. e., si plane constet pœnitentem peccatum admisisse nec ullam habere causam reticendi, saltem existimatam, confessarius ei nullatenus credere potest: hinc, si potest, eumdem arguat et convincat; secus, juxta quosdam, absolutionem dissimulet, at certe non absolvat.

330. *Circa Princ. III. — Qu. un.* Quænam regulæ servandæ sunt in interrogando circa materiam?

Resp. Præcipuæ duæ sunt. — *Regula prima* versatur circa quæcumque peccata; et eo spectat, ne confessio nimis *onerosa* evadat, ultra quam Christus voluit; est autem hujusmodi: 1.° Relate ad materiam in

9) S. Thomas *Opusc. VII.* (al *XII*) *Qu. 6.* — Cf. et Gury *431;* Zanin. *2301.*

10) D'Annibale *Num. 334, 17;* Noldin *387;* Genn. *Cons. mor. I. III.;* etc. Pro dissimulatione absolutionis stant S. Lig. *31;* Marc. *1907.*

11) Suarez, apud Ball. *Num. 892;* Gen. *365, 2.*

genere, interrogationes fiant cum *discretione*. Scilicet: *a*) Confessarius non interroget de iis, quæ ne indirecte quidem ad confessionem pertinent; ut generatim sunt ipsius pœnitentis nomen aut ætas vel conditio, complex, factum vel persona quæ ei fuit occasio peccandi; *b*) nec interroget de peccatis, quæ verosimile est non fuisse a pœnitente commissa, sive quoad ipsam peccatorum entitatem, sive quoad aliquas circumstantias 12; neque *c*) de iis, quæ, etsi forte materialiter commissa fuissent, verosimiliter non fuerunt ex conscientia pœnitentis peccata formalia; puta, circa jejunium. — 2.° Circa ipsa peccata verosimiliter commissa et verosimiliter formalia, adhibeatur in interrogando *moderatio*: *a*) non urgendo nimis disquisitiones ad dignoscendam singulorum peccatorum gravitatem aut speciem moralem, præsertim quam habere possent ex circumstantiis; *b*) non urgendo nimis disquisitiones de numero, præsertim cum habituatis, et quoad peccata interna cum omnibus; in his ex ratione vivendi pœnitentis et frequentia peccandi confessarius ipse numerum conjiciat, præsertim cum rude, cum infirmo, cum gravato pluribus. Ratio horum est, quia nec ipse pœnitens ad exquisitam in examine diligentiam tenetur, et confessio nimis onerosa fieret pœnitenti et confessario; insuper periculum est quod pœnitens interrogationibus pressus respondeat quidquid in buccam venit; demum, etsi confessarius circa gravitatem aut speciem vel numerum peccatorum erret, si pœnitens in bona fide sit, absolutio peccata ejusdem delet, quæcumque et quotcumque ea sint.

Regula secunda versatur circa peccata contra sextum præceptum et connexa: eo autem spectat, ne confessio *periculosa* evadat, contra quod Christus voluit: 1.° Interrogationes de hisce materiis fiant cum *discretione maxima;* etiam ex eo, quod pœnitens facile et juste offenderetur. Hinc, nisi ex adjunctis probabile sit pœnitentem hisce peccatis gravari, numquam de his interrogetur. — 2.° Ubi verosimile sit pœnitentem in hæc lapsum esse, interrogationes fiant cum *summa prudentia,* ne pœnitens ex ipsis interrogationibus discat quæ ei prodesset nescire, vel utcumque scandalum patiatur: hinc procedendum pedetentim et gradatim; a locutionibus ad cogitationes, aut a cogitationibus ad desideria, ad aspectus, ad tactus: nec puer confessus immodestias vel turpia interrogandus de pollutione, etc. Imo cum ipsis conjugatis numquam sermo fiat de debito conjugali; ad summum, si ratio quæpiam suadeat, interrogentur, num quidpiam circa officia mutua dicendum habeant. — 3.° Demum, ubi jam pateat pœnitentem in turpia lapsum esse, nec esse scandali capacem, interrogationes in hisce materiis fiant cum *maxima honestate*, h. e., *de ipsis inverecundis verecunde;* tum propter reverentiam debitam sacramento et loco sacro, tum ad evitanda nova pericula et sibi et pœnitenti, ac hujus dicteria cum amicis 13. Teneatur aurea

12) « Si pœnitens dicat se peccasse cum consanguinea, quærere poterit *quo gradu?* — Non puto: nam quorsum, nisi ut intelligat ne forte pater filiam cognoverit, an matrem filius? at casus rarissimus est ». D'Ann. *Num. 334, 16.*

13) Omnes norunt quot invectivas ecens malitia pharisaica congesserit adversus scripta moralia castissimi et sanctissimi viri Alphonsi M. de Ligorio.

norma omnibus theologis acceptissima: « In hac materia melius est in pluribus deficere, quam superabundare in uno ». Imo, « si confessarius in promptu non haberet, nisi verba, quæ sacerdotali pudori non convenirent, tunc interrogationem omittere.... *sub gravi* deberet » 14. Periculo enim violandæ legis integritatis prævalent pericula, quæ ex immodicis interrogationibus provenire possent: hinc in dubio de interrogatione facienda vel non, semper standum erit pro parte negativa.

Regula tertia (prorsus accessoria) est, ut interrogationes fiant *opportune*, tum quoad diversas qualitates et conditiones personarum, tum quoad tempus (ab initio vel in decursu confessionis), tum quoad formam. Huc spectant interrogationes: A quo tempore pœnitens sit confessus?... utrum circa vitam præteritam sit tranquillus?... utrum (confessus fornicationem) sit conjugatus?... et similes. At in his plurimum valet criterium confessarii.

Punctum II. — *De judicio faciendo.*

331. **Principia. I.** Confessarius, antequam sententiam ferat, judicare debet: *a*) num quæ pœnitens accusavit, sint peccata; quatenus *affirmative*, *b*) cujus sint speciei theologicæ, *c*) cujus moralis, *d*) demum quot fuerint. Judicium hoc, quoad caput primum, afficere potest ipsam validitatem sententiæ ferendæ; quoad cetera, si erroneum sit, reddere quidem potest sententiam absolutionis illicitam, at non invalidam.

II. Confessarius, antequam sententiam ferat, judicare debet, num pœnitens habeat requisitas dispositiones. Si in hoc judicio confessarius erret, habendo ut dispositum qui dispositus non est, sententia absolutionis ferenda invalida est; quod si erret culpabiliter, ipse reus est, tum frustrati sacramenti, tum aliorum malorum, quæ exinde sequutura prævidere debuit. Si erret, habendo ut non dispositum qui dispositus est, et consequenter eidem neget sacramentalem absolutionem, infert pœnitenti gravem injuriam, saltem materialem; et, si formalem, reus est malorum, quæ inde prævideat obventura esse pœnitenti.

332. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Confessarius, qui tantâ laboret inscitiâ, ut in casibus communioribus discernere non valeat inter materiam necessariam et liberam, inter diversas peccatorum species, inter peccata plura et pauca, hic versatur in statu habituali peccati mortalis.

14) Ita Berardi *Praxis confess. Num. 4705.*

2.ª Confessarius, absolvens pœnitentem confessum tantummodo materiam insufficientem, absolvit invalide, et *per se* graviter peccat.

3.ª Si confessarius, etiam culpabiliter, peccata venialia judicet esse mortalia, aut viceversa, vel inter diversas species nullatenus discernat, vel judicet peccata confessa plura esse vel panciora quam realiter fuerint, hic valide absolvit, licet data absolutio falso judicio innitatur.

4.ª Non tenetur recte judicare de iis, quæ raro in sacramento hoc ministrando occurrunt, imo nec de iis, quæ frequenter occurrunt, at non clare a pœnitentibus exponuntur, ac de quibus non opportunum est ulterius perscrutari: huc refer quamplura ad materiam sexti præcepti spectantia.

333. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si confessarius culpabiliter pœnitentem erronee judicet dispositum, ipsi imputanda erit accepta ab isto invalida absolutio, erronea ejusdem conscientia de suorum peccatorum remissione, ac (*per se*) sacrilega communio. Licet enim hæc omnia sint pœnitenti voluntaria, aut in se aut in causa, tamen simul sunt ex causa culpabiliter posita a confessario.

2.ª Longe graviorem reatum incurrit confessarius, qui culpabili errore pœnitentem dispositum judicet indispositum. Ipsi enim imputanda est istius permanentia in statu peccati, sacræ communionis privatio, et forte desperatio ac definitiva a sacramentis et quibuscumque actibus religiosis recessio.

334. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quandonam confessarius judicabit pœnitentem habere dispositiones ad absolutionem sacramentalem requisitas?

Resp. Quando pœnitens affirmet, et ex adjunctis videatur affirmare sincere, se habere dolorem de peccatis commissis et propositum non peccandi de cetero. Ratio est, qui in his (imo proprie in uno, *dolore*) consistit pœnitentis dispositio; horum autem exsistentiam in corde pœnitentis confessarius aliunde dignoscere non potest, quam ex affirmatione pœnitentis. Quia vero unius attestatio, et quidem de seipso, numquam potest parere proprie dictam judicii certitudinem, ideo confessarius judicabit dispositum esse pœnitentem, quoties de ejus dolore et proposito habeat certitudinem moralem late sumptam, indicia probabilia, prudentem probabilitatem. Hæc doctrina, tum ante, tum post S. Alphonsum, adeo communis est, ut dici debeat moraliter certa, ac ideo practice tutissima [15].

Quod si contra affirmationem pœnitentis habeantur gravia præjudicia, præsertim eo quod jam antecedenter post similes affirmationes inventus est ab iisdem practice recessisse, confessarius ab eo exquiret actualis doloris ac propositi signa efficaciora, quæ valeant eorum præjudiciorum vim elidere. Hæc sunt, quæ S. Alphonsus appellat *signa*

15) S. Ligorius *Num. 461* — Præter auctores, quos allegavimus *De judicio sacram. Num. 15;* idem sentiunt Bucc. *Comm. De absolutione danda,* etc. *3, seqq.;* Noldin *389, sequ.;* Marc. *Num. 1817;* Gen. *367;* etc.

extraordinaria; quæque confessarius non aliunde exquiret, quam ab ipso pœnitente, et quidem in ipso actu confessionis præsentis. Confessarius enim « non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat; quia hoc est ad subveniendam conscientiæ ipsius » 16.

Qu. 2. Quandonam confessarius judicabit pœnitentem esse indispositum?

Resp. Quando pœnitens ipse exhibeat suæ indispositionis indicia adeo patentia, ut exinde confessario moraliter certo constet eumdem dolore et proposito carere. Dum ad judicandum pœnitentem dispositum sufficit certitudo moralis late sumpta seu prudens probabilitas, ad judicandum indispositum requiritur certitudo moralis stricte sumpta. Id verificatur, quoties pœnitens, aut ex se, aut ad interrogationes vel monitiones confessarii, sive conceptis verbis, sive æquivalenter significet se de peccatis commissis non dolere, aut nolle a peccatis abstinere in futurum; quando recuset odium aut inordinatum affectum deponere, occasionem proximam et voluntariam amovere aut vitare, auctoritatem doctrinalem ac legiferam Ecclesiæ revereri, veritates catholicas credere, officia communia aut sui status propria adimplere, ablata restituere, et similia.

Qu. 3. Utrum signum sit indispositionis, quod pœnitens post præcedentem confessionem in eadem peccata relapsus fuerit?

Resp. Id erit aliquale præjudicium, immediate contra dispositiones in confessione præcedenti, mediate contra dispositiones in præsenti: at nullatenus est signum sufficiens ad judicium moraliter certum de defectu dispositionis actualis.

Qu. 4. Utrum signum sit indispositionis, quod pœnitens pertimescat et quodammodo prævideat se esse relapsurum?

Resp. Juxta alibi dicta, *negative*. Id jam per se patet quoad timorem: quoad prævisionem, negandum est suppositum. Multo minus probat indispositionem actualem pœnitentis timor aut etiam prævisio confessarii, quod pœnitens relabetur.

Qu. 5. Quid, si indicia desint sufficientia, tum ad prudentem probabilitatem de dispositione, tum ad certitudinem de indispositione?

Resp. In eo casu confessarius indiciis habitis pro dispositione addet quoque argumentum ex præsumptione, quæ regulariter favet pœnitenti. Si neque inde habeantur indicia sufficientia ad prudentem probabilitatem pro dispositione, confessarius judicium suspendet, seu pœnitentem habebit tamquam dubie dispositum.

Ad solvendum dubium proderitne experimentum temporis? — Aliquando et ad aliqualem conjecturam, *transeat;* ordinarie et ad moralem certitudinem, *nego*. « Aliquando alia signa præsentis dispositionis melius manifestant mutationem voluntatis, quam experientia temporis: nam signa illa directe indicant dispositionem pœnitentis, experientia vero

16) S. Thomas *In IV. Dist. XVII. Qu. 3, art. 3, qu. 5, sol. 5, art. 2.*

tantum indirecte; adeo ut non raro evenire possit, quod quis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi hujus honestate contineat, et tamen non sit dispositus » 17.

Punctum III. — *De sententia ferenda,*

335. **Principia. I.** Confessarius pœnitenti afferenti materiam necessariam, quem judicio prudenti probabili censet esse dispositum, tum ex justitia, tum ex religione, tenetur sacramentalem absolutionem concedere, et quidem regulariter statim. Ratio est, quia per ipsam sacramentalem peccatorum exceptionem confessarius sese erga pœnitentem quasi-contractu obligavit ad concedendam ipsi, et quidem statim, absolutionem; quæ si non daretur, teneretur ille sua peccata iterum confiteri, aut saltem in statu peccati permanere. Insuper ad hunc finem Christus sacramentum Pœnitentiæ instituit, ut peccatori pœnitenti et accusanti materiam necessariam sacerdos absolutionem impertiat.

II. Confessarius pœnitenti, quem moraliter certo indispositum esse judicat, prohibetur in quocumque casu absolutionem impertiri; quippe quam moraliter certo constaret esse invalidam.

III. Confessarius pœnitenti, de cujus dispositionibus dubitat, prohibetur absolutionem largiri extra casum necessitatis: in casu necessitatis eam dare debet sub ea conditione quod vere dispositus sit.

336. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Quamvis *per se jus* ad absolutionem habeat etiam pœnitens confessus tantum venialia, tamen hoc jus facile elidi potest a jure alieno; puta confessarii vel aliorum pœnitentium: absolutio enim ipsi utilis quidem esset, at non necessaria.

2.ª Jus habendi absolutionem a peccatis mortalibus competit, non solum pœnitentibus communibus, sed et illis, qui dici solent *exceptionales;* ut sunt occasionarii, consuetudinarii, habituati: unica conditio requisita ea est, quod et illi et isti indicia prudentia probabilia præbuerint suæ actualis dispositionis.

3.ª Pœnitens quilibet, etsi judicio confessarii subjecerit materiam necessariam et judicatus fuerit ad absolutionem dispositus, renuntiare potest juri, quod habet, habendi statim absolutionem; hoc autem, sive sponte sua, sive consentiens monitis et consiliis confessarii.

4.ª Idem jus (pœnitentis confessi mortalia et dispositi) confligere

17) S. Ligorius *Num. 459, 461;* nostrum *De judicio 16, 22, 54.*

quandoque potest cum bono majori ejusdem; quatenus absolutio statim concessa ipsi minus utilis foret, quam ejusdem aliqualis dilatio. In eo casu confessarius ex caritate, qua curare debet majus bonum pœnitentis, poterit ejusdem consensum in dilationem absolutionis præsumere *interpretative;* hoc autem, etiamsi ipse vix et ægre consentiat, imo (*rarissime*) etsi positive dissentiat.

337. *Ex Princ. II.* — 1.ª Confessarius pœnitenti, quem indispositum habet, denegare debet absolutionem sacramentalem, etiam si ille in articulo mortis versetur. Peccaret enim ipse graviter contra religionem, nec absolutio quidquam prodesset moribundo.

2.ª Item eam denegare debet pœnitenti, quem indispositum habet, quodcumque ex ea denegatione prævideatur damnum secuturum, sive confessario, sive ipsi pœnitenti, sive aliis: quandoque casus erit dissimulandæ absolutionis.

3.ª Ex præcepto caritatis confessarius omni via studebit pœnitentem indispositum disponere; et quidem cum incommodo etiam gravissimo, si ille in articulo vel periculo mortis versetur: ceterum caritas cum incommodo relative gravi non obligat.

4.ª Ex eodem præcepto caritatis confessarius tenetur cum incommodo non levi disponere pœnitentem indispositum extra periculum mortis; quod non raro consequetur, si « viscera indutus misericordiæ Christi Jesu, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat studiose, patienter, mansuete cum ipsis agere » 18. At, si indispositum nec disponat nec absolvat, non peccat, sive contra religionem, sive contra justitiam.

338. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si confessarius, dubio non soluto, pœnitentem inabsolutum dimittat, non peccat contra justitiam; cum ad pœnitentem spectet præbere signa sufficientia suæ dispositionis: peccare tamen potest contra caritatem.

2.ª Si pœnitens suæ dispositionis præbeat indicia probabilia, non est habendus et tractandus ut dispositus dubie, sed ut dispositus certe.

339. **Quaestiones.** — *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quæ et quanta debeat esse necessitas pœnitentis, ut ei dubie disposito danda sit sacramentalis absolutio, sub ea conditione: *si es dispositus?*

Resp. Sufficiens est necessitas late, imo et latissime sumpta; adeo ut in ea comprehendatur etiam notabilis utilitas spiritualis ipsius pœnitentis aut aliorum. — Itaque:

1.° Si agatur de casu, quo pœnitens absque absolutione dimissus privaretur bono aliquo notabili necessario, forte et justitia, at certe caritas exigit ut eidem confessarius absolutionem concedat: ne det absolute, vetat religio. Hinc: *a*) Sunt in eo casu moribundi omnes, quamtumvis de eorum dispositione dubitetur; *b*) quotquot periculo proximæ mortis obnoxii sunt ex operatione chirurgica, ex prælio imminenti, ex partu difficili, etc.; *c*) qui communionem absque periculo infamiæ omit-

18) Leo XII Const. *Caritate Christi* 25 dec. 1825. — Cf. S. Lic. *Num. 680.*

tere nequeunt; *d*) sponsi mox contracturi matrimonium; *e*) pœnitentes, qui nonnisi post longum tempus redire possent ad confessarium, vel de quibus timeatur ne in desperationem labantur; *f*) idem aliquando exigere potest bonum publicum; puta, « si pœnitens sit magnæ auctoritatis in provincia, urbe, pago, parœcia, vel communitate; qui, si absolvatur, plures alios ad bonum trahet; si non absolvatur, forte a bono avertet ».

2.° Si agatur de casu, quo pœnitens absque absolutione dimissus, privaretur bono notabili spirituali non necessario, salvâ reverentiâ debitâ sacramento, confessarius dare *potest* licite absolutionem conditionatam; aliquando et tenetur. In eo casu sunt: *a*) Pueri et puellæ, cum quadam levitate et obscuritate confitentes quædam minus honesta, quosque confessarius imprudenter interrogaret ulterius; *b*) illi, qui ex defectu perfectæ loquelæ aut ex quadam surditate non permittuntur sua peccata clarius edicere, quosque confessarius timet non dolere et proponere. *c*) Si accedat semifatuus vel puer, de quo confessarius timet ne gravetur mortalibus, confessarius curabit ipsum ad dolorem excitare; de quo si adhuc dubitet, illum absolvet *sub conditione*, saltem mente concepta. Rarius absolvet eum, de quo pro certo habet non gravari mortalibus, simul dubitans num de venialibus sufficienter doleat: denegatio absolutionis non privaret ipsum gratia sanctificante et jure accedendi ad sacram Synaxim; privaret augmento gratiæ.

Qu. 2. Timor, ne pœnitens absque absolutione dimissus amplius ad sacramenta non redeat, estne talis necessitas, ob quam confessarius eidem dubie disposito possit aut etiam debeat absolutionem (sub conditione) concedere?

Resp. Ex sententia plurium et gravium auctorum, *affirmative* ad utrumque. Ratio intrinseca est, quia in hypothesi denegatio absolutionis exponeret pœnitentem, utique culpâ ipsius, periculo gravissimo exuendi quemcumque sensum religionis, et amittendi ipsam fidem, quæ initium est omnis justificationis; dum concessio absolutionis, etsi forte invalidæ, eumdem hisce periculis probabiliter eximeret. Hæc sententia, si non est certa, est probabilissime vera, eamque in praxim deducere omnino licet [19]. Evidenter in his non continetur casus, quo pœnitens expresse confessario intimet se non amplius reversurum, si inabsolutus dimittatur. At pertinebit ad prudentiam et caritatem confessarii hanc intimationem præcavere.

Confessarius inabsolutum dimittet pœnitentem gravatum mortalibus et dubie dispositum, de quo nedum sperat, sed et confidit quod, suis monitis obsequens ac conscientiæ stimulis et horrore status peccati perculsus, ad meliora consilia conversus, brevi dispositus ad sacramenta redibit.

Qu. 3. Utrum confessarius possit, aut etiam debeat, absolvere pœnitentem, qui sequi vult opinionem probabilem contrariam opinioni suæ?

19) Cf. *De judicio Num. 24.* Auctoribus ibi citatis adde; NOLDIN *Num. 391, 396.*

Resp. « Sententia communis et sequenda docet, non solum posse, sed etiam teneri *sub gravi* confessarium absolvere hujusmodi pœnitentem 20. Quamvis enim confessarius judex sit, judex est dispositionum, non opinionum; et, quamvis sit doctor, docere potest et imponere tamquam obligatorie servanda ea tantum, quæ servanda sunt certe, non quæ probabiliter.

§ II. — De officio medici.

340. Morbus peccatoris pœnitentis duplex est: *a*) ipse status peccati, in quo nunc versatur; *b*) ejus habitualis infirmitas a peccatis inducta, ignavia, malitia, etc.; quæ possunt et solent esse causa peccatorum in posterum. Priori morbo confessarius medetur ut *judex*, per sacramentalem absolutionem; quod morbis habitualibus medeatur, hoc proprium est officii *medici*, de quo nunc agimus. — Itaque.

341. **Principia. I.** Confessarius, ut infirmitatibus sui pœnitentis remediis opportunis occurrat, in primis cognoscere debet causam et gravitatem ejus malorum spiritualium.

II. Cognita morbis causa et gravitate, tenetur apta ei remedia applicare, consulendo quæ sunt utilia, præscribendo quae sunt necessaria; et quidem, non modo remedia generalia, sed et pro diversitate pœnitentium et morborum particularia [21].

342. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — Confessarius potest, et generatim ex caritate debet, pœnitentem de causis suorum peccatorum interrogare; utrum sit fragilitas naturalis, an vero infirmitas ex frequentia peccandi contracta seu vitium, an occasio quæpiam externa: ad quæ omnia pœnitens regulariter tenetur veritatem fateri.

343. *Ex Princ. II.* — 1.ª Pœnitentibus, qui frequenter in peccata gravia labantur, quæcumque ea sint, confessarius semper consulere, et vix non præscribere, potest ac debet orationem; quippe quæ est medium ordinarium ad obtinendas a Deo quascumque gratias necessarias, et proinde gratiam quoque perseverantis conversionis.

2.ª pœnitenti, cui causa peccandi frequentior sunt occasiones, socii, amici, libri, folia, etc., in mentem revocabit verba Christi « *erue eum, abscide eum* »; cui causa sunt ambitio, avaritia, etc., ea « *quid prodest homini?* »; cui causa est pura malitia, ea « *ite maledicti in ignem æternum* ».

3.ª Pœnitenti, qui fragilitate naturæ cereus sit in luxuriam, commendabit devotionem erga B. Virginem; commendabit quoque, et vix

20) S. Ligorius *Num.* 4: contra Giordanini Op. cit. — Cf. Tumm. 612.
21) *Principia* hæc ferme literaliter abet S. Ligorius *Praxis confess.* § *II.*

non præscribet, frequentem accessum ad sacram synaxim, quæ vere est *vinum germinans virgines*.

4.ª Ad officium confessarii, *medici* simul et *judicis*, spectabit etiam ut pœnitenti imponat satisfactiones *salutares*: dum enim ut medicus generatim consulere potest vel ad summum ex officio declarare, ut judex imponere potest *satisfactiones medicinales* auctoritate vere imperativa 22.

344. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum confessarius ad præcavenda peccata futura pœnitentis, quem judicat dispositum, possit eidem ad tempus differre absolutionem?

Resp. Affirmative, si, omnibus perpensis, prudenter judicet hoc remedium utile fore pœnitenti; si timeat ne inutile sit, aut dubitet num possit evadere nocivum, *negative*.

Hoc remedium contra peccata futura secum fert incommoda et pericula non levia. — *a*) Horum quædam sunt ipsi remedio intrinseca. Pœnitens, mortalibus gravatus et ad justificationem dispositus, per hanc medicinam in statu peccati manebit tempore plus minusve diuturno: nonne et interim mori potest? Etsi non moriatur, interim caret gratia sanctificante et sacramentali; privatur sacra communione: ejus opera bona mortua sunt. — *b*) De hac medicina veteres dicebant: « Dilatio (absolutionis) raro prodest, sæpe nocet ». Nonne hoc verius erit temporibus nostris? — *c*) Doctrina communis tenet hanc medicinam ordinarie non esse præbendam iis, qui in peccata relabuntur ex intrinseca fragilitate 23: imo generatim in peccata facile relabentibus utilissimum fuerit consulere ut sæpe confiteantur et, si expediat, communicent ». — *d*) Utilitas hujus remedii saltem problematica est, si confessarius per ipsum adigere velit pœnitentem ad non transgrediendum præceptum negativum, quod per temporaneam impletionem non finitur. — *e*) Forte prodesse poterit, si confessarius hoc remedio excutere velit ignaviam pœnitentis eumque adigere ad implendam obligationem præcepti affirmativi, quod per ipsam impletionem finitur. Ita pœnitenti, qui sæpius promisit, numquam implevit, confessarius intimare poterit: « Antea restitue, antea concubinam dimitte; dein redi, et mox te absolvam ». — At *f*) in hoc quoque casu hodie contingere potest, quod pœnitens hic et nunc satis dispositus, nec restituat, nec feminam dimittat; rediens vero mentiatur, aut etiam confessario et confessioni in perpetuum valedicat.

Confessarius itaque omnia adjuncta, tum communia, tum pœnitentis propria perpendat; ac, « postquam se Deo commendavit, ut erit a Deo inspiratus, absolutionem differat vel impertiatur » 24.

Qu. 2. Utrum confessarius quandoque hoc remedio uti teneatur?

Resp. Affirmative; quando videat hoc remedium, nedum utile esse,

22) Remedia indicantur penes REUTER *Num. 48-84, 162;* SALVATORI *Op. citl. P. 1,;* LEHMK. *Num. 447, seqq.;* TANQU. *576.*

23) S. LIGORIUS *Num. 463,* addens ab ea doctrina non esse regulariter recedendum.

24) S. LIGORIUS *Num. 463.* Cf. BALL. *323-345,* ad GURY *435. 25. sequ.*

sed et necessarium, quia unicum. « Confessarius, cui etiam medici competit munus, meo judicio, tenetur differre absolutionem, quando judicat tale remedium esse necessario utile (h. e., *necessarium*?) saluti sui pœnitentis » 25. Porro « hoc hypothesim nimis inverosimilem redolet ».

Qu. 3. Quo sensu accipiedus sit Canon 886 Codicis juris canonici ?

Resp. Eo sensu, ut sit monitum (non *statutum*) pro confessario, prout est judex, non prout est medicus. Quod enim confessarius, prout medicus est, quandoque possit absolutionem differre pœnitenti, de cujus dispositionibus nequeat dubitare, doctrina est theologis omnino communis: ergo et est vera; prout exigunt normæ theologiæ fundamentalis 26.

§ III. — De officio doctoris.

345. Duplici titulo confessarius teneri potest ad docendum pœnitentem; tum titulo religionis ad tutandam sacramenti validitatem, tum titulo caritatis aut justitiæ ad procurandam stabilem emendationem pœnitentis ipsiusque in christianis virtutibus profectum.

346. **Principia. I.** Confessarius, si advertat aut suspicetur pœnitentem ignorare ea, quæ necessaria sunt necessitate medii ad hoc sacramentum hic et nunc valide suscipiendum, tenetur de iisdem eum instruere, et quidem antequam det ei sacramentalem absolutionem. Ratio est, quia ipse, ut minister, tenetur curare certiorem, quo potest, sacramenti ministrandi validitatem.

II. Confessarius, si advertat pœnitentem ignorare quædam ex iis, quorum cognitio necessaria est necessitate præcepti ad vivendum christiane, sive quoad fidem, sive quoad mores, tenetur ex caritate et quandoque ex justitia eumdem de illis instruere.

346. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Confessarius, advertens vel suspicans pœnitentem ignorare eas fidei veritates, quæ aut certo, aut probabiliter sciendæ sunt et explicite credendæ necessitate *medii* ad justificationem, eas pœnitentem docere debet, quantum satis est ut ille sufficienter eas percipiat et explicite credat. Excipe casum necessitatis absolvendi et impossibilitatis docendi; quo in casu pœnitentem absolvet sub conditione.

2.ª Si ignorantia, sive de his, sive de veritatibus sciendis et credendis necessitate *præcepti*, sit pœnitenti culpabilis, ante absolutionem eum monere debet ut doleat et serio proponat se harum cognitionem sibi acquisiturum esse quamprimum poterit.

25) S. Ligorius *Num. 462.* — Cf. Ball. ad Gury *433-21.*

26) Cf. Ter Haar *De conferenda absolutione juxta Canonem 886;* Quévastre *Num. 1138;* Marc. Suppl. ad *Num. 1819;* Arregui *622;* Racca *Theologiæ mor. Synopsis 1038;* Gen. *366.*

3.ª Si confessarius advertat aut suspicetur pœnitentem ex ignorantia, etsi forte inculpabili, nihil de dolore ac proposito curare, ipsum de utriusque necessitate docere debet, et quidem antequam absolvat.

4.ª Si advertat vel suspicetur pœnitentem in ipso actu confitendi adhuc laborare odio gravi vel affectu graviter inordinato, ipsum instruere debet de necessitate deponendi odium vel affectum: utique usque ad limites gravitatis et voluntarietatis.

347. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si confessarius videat pœnitentem ignorare Orationem dominicam, Symbolum apostolicum, etc.; hæc non tenetur eumdem docere ante absolutionem: tenetur eumdem monere de obligatione discendi; ac deinceps curabit eumdem instruere ex caritate, ac proinde cum incommodo non gravi.

2.ª Idem, si advertat pœnitentem imbutum esse erroribus aut gravibus præjudiciis contra veritates catholicas, contra auctoritatem Ecclesiæ, contra ipsam Ecclesiam aut Pontificem aut cœtum ecclesiasticum, prohibetur ex justitia ita rem dissimulare tacendo, ut ille sibi consentientem esse putet confessarium: ejus errores ac præjudicia refutare tenebitur ex caritate.

3.ª Item ex justitia prohibetur tacendo confirmare pœnitentis errores aut ignorantias practicas; puta, circa contractum iniquum, munus valde periculosum, officia conjugalia, animum vindictæ contra inimicum, etc.

348. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quantum instruendus sit pœnitens, qui videatur ignorare eas veritates, quæ, aut certo, aut probabiliter sciendæ et credendæ sunt explicite *necessitate medii* ad justificationem?

Resp. Nonnullis abhinc annis hujusmodi ignorantia in regionibus catholicis impossibilis esse dicebatur: hodie fatendum est eam dari et frequenter. Itaque confessarius tenetur pœnitentem instruere quantum necesse est, ut ille eas veritates sciat; non quantum necesse est, ut ille suam scientiam de illis exprimere valeat, aut ejus rationem reddere. Sciat Deum exsistere, eumque esse bonorum operum remuneratorem, vindicem operum malorum: sciat Deum quidem unum esse; at tum Patrem, tum Filium, tum Spiritum sanctum, tres esse personas distinctas, ac singulas esse illum ipsum Deum, qui unus est: sciat Filium, quin cessaret esse Deus, humanam naturam assumpsisse, ac in ea passum esse et mortuum ad nostram redemptionem et salutem. Hæc non solum sciat, sed, aut ex se, aut ad postulationes confessarii, se firmiter ea credere profiteatur.

Qu. 2. Quid, si pœnitens erret aut positive dubitet circa aliquam ex veritatibus credendis?

Resp. 1.° Si error vel dubium versatur circa aliquam e veritatibus modo indicatis, instruendus est, ut statim errorem vel dubium deponat et veritatem catholicam profiteatur; ita, si, negando aut in dubium vocando alteram vitam, neget aut in dubium revocet veritatem de Deo bonorum

operum remuneratore et vindice malorum; item, si ex eventibus vitæ justitiam Dei neget, vel de ea dubitet.

2.° Si error vel dubium versetur circa aliquam veritatem credendam necessitate præcepti, puta circa originem animæ humanæ, circa ignem aut æternitatem pœnarum inferni, circa exsistentiam purgatorii, etc., et hic et nunc impossibile sit aut inopportunum de veritate credenda ipsum diserte edocere, hoc saltem ab eo exigendum, ut profiteatur sincere se credere quod credit et docet catholica Ecclesia, et non minus sincere proponat se necessariam instructionem sibi de singulis veritatibus acquisiturum esse quamprimum.

349. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* — Utrum confessarius, advertens pœnitentem ignorare aliquam sui obligationem, ipsum de ea monere debeat?

Resp. 1.° Si pœnitens ipse interrogat, respondere ei debet juxta veritatem; eo quod pœnitens ipsa interrogatione ostendit se dubitare, ac proinde non esse in bona fide. Idem dicatur, si pœnitens non interroget, at confessarius advertat eumdem circa determinatam obligationem dubitare; quo in casu contingere potest, quod silentium confessarii indirecte suadeat licere quod non licet.

2.° Pœnitentem non interrogantem edocebit, quoties ejus ignorantia videatur esse hic et nunc eidem voluntaria et culpabilis, seu peccatum. Tunc enim, etiamsi confessarius taceat, pœnitens, suam obligationem transgrediens, immunis non esset a peccato formali; quare monitio non facit ei conditionem pejorem, cum in his non possit esse perfecta bona fides. Hac de causa, parochus aut medicus, ignorantes et nihil studio incumbentes, monendi sunt de obligatione studendi, qua omissa impossibile est eos frequenter non errare erroribus quammaxime noxiis. Eadem de causa moneri debent illi, quorum ignorantia versetur circa prima principia juris naturæ, aut circa eorum immediatas deductiones: ita, qui, ideis liberalibus imbuti, censeant sibi licere fundum ecclesiasticum a gubernio emere vel tenere; qui putent sibi licitum esse provocare sententiam judicialem iniquam, eâque uti; qui licitum habeant odio gravi prosequi inimicum; vel operarios, emptores aut venditores aut divites proprietarios fraudibus damnificare, etc.

3.° Si pœnitentis ignorantia versetur circa ea, in quibus possibilis est bona fides, ac ipse pœnitens reapse in bona fide esse videatur, tunc distinguendum: *a*) Si confessarius speret monitionem profuturam esse pœnitenti, quatenus prævidet eum suæ monitioni obtemperaturum esse, tunc moneat. — *b*) Si prævideat, aut cum fundamento timeat, pœnitentem monitioni obtemperaturum non esse, regulariter taceat. — *c*) Si dubitet, præsertim dubio utrinque moraliter æquali, magis ad tacendum, quam ad monendum inclinet. — Ratio prioris responsionis est, quod hac ratione confessarius, minister Dei et doctor nomine Dei, observantiam legis promovet, et simul majus bonum spirituale pœnitentis procurat. Ratio alterius est, quia hæc monitio nihil ad impletionem objectivam legis juvaret, et simul causa esse potest, qua pœnitens monitus peccet in

posterum formaliter, dum non monitus peccaturus esset materialiter. Hinc « sententia communis et vera docet... quod confessarius potest et tenetur monitionem omittere, relinquendo pœnitentem in sua bona fide; sive agatur de ignorantia juris humani, sive divini » 27. Ratio tertiæ responsionis est, quia potius vitanda sunt mala formalia, quam materialia.

Casus tertiæ responsionis possent esse: Conjugatus (seu vir, seu femina) censet in quibusdam casibus malum non esse congressum onanisticum; adultus putat se causa aliqua a legibus abstinentiæ vel jejunii excusari; conjuges putativi sese ut vere conjuges habent; fur ignorat obligationem restituendi in solidum; etc. Ignorantia versari quoque potest circa circumstantias: ita ignorare quis potest malitiam specialem adulterii, vel incestus præ fornicatione; puer ignorare potest malitiam specialem quorumdam actuum cum puero consanguineo; etc. In hisce et similibus casibus, confessarius, si sperat monitionem profuturam esse pœnitenti, moneat; secus, taceat: in dubio plus minusve æquali, potius taceat quam loquatur.

Item omittenda est monitio, si ei obtemperaturus prævidetur esse pœnitens, at ex ejus obtemperatione prævidetur grave damnum tertiæ personæ aut publicum; ex. gr. damnum filiis obventurum, vel scandalum in parœcia, si matrimonium invalidum solvatur.

4.° Advertunt semper corrigendum esse errorem pœnitentis, qui censeat illicitum esse quod licet, vel grave esse peccatum quod est leve. Ita pœnitens assuetus sacra in vanum usurpare monendus est id malum quidem esse, at non grave; item et conjugatus, qui mala esse censeat et graviter quæ inter conjuges aut licita sunt aut venialia. Nec obstat quod exinde forte multiplicabuntur venialia.

Qu. 2. Utrum confessarius, si prævideat pœnitentem non obtemperaturum eo quod est in mala voluntate obfirmatus, tacere debeat, an vero monere et renuentem dimittere ut indispositum?

Resp. Hic pœnitens supponitur hic et nunc de peccatis suis dolere et habere voluntatem genericam non peccandi de cetero. Quare a confessario judicatur dispositus; at prævidetur indispositus fieri, si moneretur. Porro « confessarius non debet attendere ad indispositionem interpretativam quam pœnitens haberet, sed ad dispositionem actualem quam nunc habet ». Ergo ipsum absolvat, ut dispositum; monitionem vero omittat, ex qua indispositus fieret.

Qu. 3. Utrum semper monendus sit pœnitens, qui versatur in occasione formaliter peccandi?

Resp. Res pendet ex majori vel minori proximitate occasionis, et ex damno spirituali plus vel minus gravi, cui pœnitens in ea occasione obnoxius esse potest. Si damnum spirituale immineat gravissimum, puta amissio fidei, vel corruptio definitiva morum, et occasio valde proxima sit, confessarius tacere non potest, etiamsi ex monitione vix aliquem

27) S. Licorius *Num. 610;* ubi diluit objectiones et exceptiones in contrarium allatas ab auctore sibi coæveo (Giordanini).

fructum speret; eo magis quod haud facile pœnitens versabitur in bona fide. Si occasio minus proxima sit, ac non adeo ingens damnum spirituale ex ea immineat, forte opportunius erit remotionem occasionis consulere, non imponere, simul remedia suggerendo, quibus periculum ex ea occasione remotius fiat: nam ex absoluta monitione et consequenti impositione amovendi occasionem periculum longe gravius imminere potest, quod pœnitens occasionem non amoveat, at a sacramentis abstinendum esse statuat, quod in gravius damnum cederet animæ suæ 28.

Qu. 4. Quid agendum confessario, si ignorantia pœnitentis redundet in damnum privatum aliorum vel publicum?

Resp. Confessarius *per se* tenetur erga pœnitentem; non erga alios. Itaque, si agatur de vitando damno aliorum privato, puta creditoris, moneat, quoties sperat monitionem profuturam; alias, non moneat.

Verum, si ignorantia sit in damnum commune, tunc quantumvis levissima spes fructus habeatur, confessarius pœnitentem de sua obligatione monere debet, et quidem intimata secus absolutionis denegatione: hoc vero, tum ex præcepto juris naturæ, quo ipse tenetur pro viribus damnum commune avertere posthabendo privatum, tum quia ferme impossibile est pœnitentem in perfecta bona fide versari. Huc refer casus de personis, quæ plus minus advertenter causam præbeant scandalo inter fideles. Est parochus, qui nimis familiariter agit cum feminis, vel cum aliqua femina famæ satis ambiguæ, aut in concionando opiniones erroneas fidelibus ingerit: est Episcopus, qui tolerat abusus intolerabiles: est vir, qui sacramenta frequentat, at simul ex turpi avaritia colonos et operarios inique opprimit; etc. In hisce casibus confessarius dissimulare, saltem diu, non debet, ne sibi illud exprobrare cogatur: *Væ mihi, quia tacui*. Quod si faciem potentis timet, ab ejus confessionibus audiendis abstineat. — Huc referunt quoque casum, tum de denuntianda persona in damnum publicum, sive temporale, sive spirituale moliente, tum præsertim de denuntiando confessario sollicitante 29.

Ceterum, si quando nulla omnino spes habeatur, et monitio quoad ipsum bonum publicum prævideatur esse prorsus inutilis, quoad pœnitentem vero nociva, forte dubitare quis poterit, num certa adhuc subsistat obligatio monendi.

ART. III. — De officiis exercitium ministerii subsequentibus

350. Hæc officia duo sunt. Primum adnexum est exercitio hujus ministerii *per se*; h. e., ex ipsa natura ministerii, ac proinde semper; et est *sigillum sacramentale*: alterum adnexum eidem esse potest *per accidens*, ac proinde aliquando; seu in hypotesi, quod confessarius in exercitio ministerii errores admiserit (et quis non admittit?); tunc haberi potest obligatio *corrigendi errores*.

28) Cf. Gennari *Cons. mor. XIX;* Ber. *De occas. Num. 28-41.* — Casum de schismatico bonæ fidei pertractat Genn. *Cons. mor. CIX.*

29) Cf. Gennari *Cons. mor. XCIV* — Cf. et *Quest. mor. Num. 127.*

§ I. — De sigillo sacramentali.

351. *Sigillum sacramentale* communiter definitur « prohibitio utendi notitia habita ex confessione, quoties hic usus cederet in gravamen pœnitentis, vel odiosum redderet sacramentum ». Agendum *a*) de ipsa sigilli obligatione; *b*) de ejus materia; *c*) de ejus læsione.

Punctum I. — *De ipsa obligatione sigilli.*

352. **Principia. I.** — *a*) Pœnitens, sua peccata sacramentaliter confessus, tum ex rei natura, tum ex Christi voluntate, jus habet sanctionibus ecclesiasticis confirmatum [30], ne, qui ex ejus confessione peccata ejusdem noverunt, possint eam notitiam aliis communicare, vel eâdem in ipsius gravamen utcumque uti. *b*) Idem jus competit ipsi sacramento, quoties revelatio aut usus ipsum redderet odiosum.

II. Juri pœnitentis et sacramenti respondet obligatio ex justitia et ex religione : *a*) in confessario, qui peccata ex confessione agnovit; *b*) in iis, qui in notitiam pecatorum venerunt, sive ex ipsa confessione, sive ex mediis ad eamdem ordinatis.

III. Hæc obligatio tanti est momenti ac tam firma, ut *a*) interpretationem exigat amplissimam, sive quoad vinculum obligationis, sive quoad materiam; ac insuper *b*) nullus sit casus conflictus jurium aut præceptorum, in quo ipsa non prævaleat ac vigeat.

353. **Expositio.** *Princ. I, II.* — Hoc jus pœnitenti competit, non modo ex lege naturali propter detrimentum, quod ipse secus pateretur in sua fama; sed et ex positiva Christi voluntate, quamvis implicite manifestata. Christus enim, hoc sacramentum instituens ut judicium fori interni, ipsius suscipiendi obligationem imposuit omnibus peccatoribus: hanc autem obligationem eis imponens, voluit eos securos esse sua peccata numquam extra forum illud revelanda esse, eo quod absque ea securitate homines numquam adducerentur ad confitenda peccata sua etiam gravissima et occulta. Inde est jus secreti pœnitentibus concessum a Christo, et ab Ecclesia per dispositiones positivas et pœnales sancitum; cui juri innixus pœnitens, sua peccata penes confessarium accusans, quasi-contratum cum eodem init, quo transmittit in illum obligationem non utendi acceptâ suorum peccatorum notitiâ, nisi juxta Christi voluntatem in institutione sacramenti Pœnitentiæ manifestam. Ratio seu finis hujus juris a Christo concessi et ab Ecclesia sanciti est bonum spirituale cujus-

30) Concilium Later. IV. apud Denziger *Num. 438;* Codex *Can. 889, 890, 1757, 2639.* — Cf. S. Lig. *Num. 656;* Ball. *999-1007;* Noldin *416, Nota 1.*

cumque pœnitentis, at simul reverentia huic sacramento concilianda, quod secus odiosum fieret fidelibus.

Quapropter confessarius, peccata sacramentaliter excipiens, notitiis inde acceptis uti potest tantummodo ad sacramentum pœnitenti concedendum vel denegandum: at tum ipse, tum ceteri, qui peccatorum notitiam ex confessione aut ex mediis ejusdem habuerunt, titulo, tum justitiæ, tum religionis, et utroque gravissimo, prohibentur eâ notitiâ quocumque modo uti in gravamen pœnitentis, vel in detrimentum reverentiæ debitæ sacramento. Quæ proinde sigilli violatio duplicem habet malitiam specie diversam: *injustitiæ*, et *sacrilegii*.

354. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Hoc jus non habet homo, qui quacumque ratione sua peccata cuipiam manifestaverit, at non sacramentaliter. Ita, qui sua peccata, scienter accusaverit laico vel sacerdoti non approbato; qui sacerdoti approbato, at ad petendum consilium, aut ad satisfaciendum materialiter mandato superioris vel uxoris aut sponsæ, etc.; qui ad extorquendam eleemosynam; etc.

2.ª Hoc jus habet, qui peccata accusaverit sacerdoti, quem approbatum esse existimabat; qui peccata sacerdoti accusavit, at ab eo dimissus fuit inabsolutus, ratione reservationis aut indispositionis, etc.; vel, quia ipsemet renuit accipere statim absolutionem.

3.ª Huic juri pœnitens renuntiare potest, sive expresse, sive tacite; at numquam confessarius præsumere potest ipsum consentire ut notitiâ suæ confessionis utatur erga alios [31]; rarissime, ut utatur erga ipsum. Neque jus hoc cessat morte pœnitentis.

4.ª Etsi forte pœnitens juri suo renuntiet, manet obligatio sigilli, si notitiæ relevatio aut usus odiosum reddere possit ipsum sacramentum.

5.ª Jus ad sigillum *per se* non habet tertia persona, quæ pœnitenti complex fuit aut occasio peccati. Quare, consentiente pœnitente, non erit illicitum, vi sigilli, horum peccata revelare, eas personas monere vel arguere; tamen hæc praxis non caret periculis.

6.ª Jus ad sigillum non habet confessarius erga pœnitentem: hic tamen, revelans dicta vel facta confessarii, peccare posset contra caritatem et contra justitiam. Ceterum confessarii, præsertim cum feminis, semper supponant sua dicta et facta propalatum iri in publicum.

355. *Circa Princ. II.* — 1.ª Confessarius ad sigillum tenetur, etiamsi peccata audiverit invitus: dummodo ante auditum quodcumque peccatum non declaraverit se nolle audire, idque adverterit pœnitens: in hoc enim casu pœnitens non potuit habere intentionem confitendi sacramentaliter, ac transmittendi in confessarium obligationem excipiendi confessionem cum obligatione sigilli.

2.ª Ad sigillum tenetur sacerdos, qui se finxerit confessarium; item laicus qui se sacerdotem et confessarium esse simulaverit.

3.ª Ad sigillum tenentur: *a*) Superior, a quo peccator petat facul-

31) Licentia ab eo dari debet *expresse* et *libere*. Cf. BALL. *Num. 493-985.*

tatem habendi a simplici confessario absolutionem peccati reservati; *b*) qui peccatum confitentis audit, sive de industria, sive casu; *c*) qui a quopiam peccatum alterius confessum audit; *d*) doctor a confessario consultus; *e*) omnes quibus confessarius imprudenter peccatum auditum revelaverit 32.

4.ª Tenentur et illi, qui peccata alicujus noverint ex mediis ad ea confitenda, sive obligatorie, sive libere, adhibitis; ita interpres, scriptor peccatorum, etc.

5.° Tenetur ad sigillum, qui schedulam peccatorum alterius legerit in manu confessarii, aut etiam peracta jam confessione amissam. Verum, qui legat aut etiam evulget peccata, quæ quis scripto consignaverat ad suam memoriam juvandam, peccare quidem poterit aliunde, at non contra sigillum.

6.ª Demum peccant contra sigillum etiam illi, qui pœnitenti sua peccata confitenti aures voluntarie præbeant, vel legant peccatorum ipsius schedulam, sive in manu confessarii, sive peracta jam confessione amissam; licet nemini audita vel lecta revelent.

256. *Ex Princ. III.* — 1.ª In materia sigilli non datur locus usui opinionis probabilis contra sigillum; sed sequenda est via tutior. Ita agendum in probabilitate *juris;* quando theologi disputant, num quæpiam circumstantia sit materia sigilli: item in probabilitate *facti;* si dubites, num id audiveris in confessione, vel num pœnitens id dixerit in ordine ad confessionem, etc.

2.ª Potius quam secreta confessionis revelet, confessarius abstinere debet a suis peccatis integre confitendis; item et mori debet, et permittere quod innocens morte plectatur: interrogatus, affirmare potest et jurare « se nescire quod scit tantum ut Deus » 33.

3.ª Si pœnitens revelet confessario conjurationem mox in publicum exitium erupturam, confessarius ei quidem imponet ut ea revelando exitium avertat, ac renuenti denegabit absolutionem; at, quousque ille neget licentiam revelandi, publicum exitium permittere debet.

4.ª Uxor, quæ ex audita viri sui confessione cognovit suum matrimonium invalidum esse, potest ac debet eidem viro cohabitare ac debitum reddere.

Punctum II. — *De materia sigilli.*

357. **Principia. 1.** Sunt materia sigilli *directe* et *per se* omnia peccata confessa; sive mortalia, sive venialia; sive formalia, sive materialia. Licet enim Christus non præceperit confitenda esse venialia et materialia, tamen jus dedit confitendi illa ad remissionem, hæc ad tranquillitatem.

32) De his plura S. Ligorius *Num. 645, seqq.* Noldin *410;* Tanqu. *598.*
33) S. Thomas *In IV. Dist. XXI. Qu. 3. art. 1 ad 3;* S. Ligorius *646.*

11. Sunt materia sigilli *indirecte* et *per consequens* omnes illæ circumstantiæ, sive morales, sive non morales, et facta sive pœnitentis, sive alius, quæ pœnitens aperuerit in ordine ad sua peccata accusanda; quorum manifestatio notitiam aliquam implicaret de peccatis confessis, vel utcumque cederet in gravamen pœnitentis, aut odiosum redderet sacramentum.

358. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Contra præceptum sigilli peccaret sacerdos, qui diceret Titium confessum esse levem detractionem, mendacium officiosum, etc.; vel peccata tantum levia, at grandiuscula, vel in numero notabili, aut cum circumstantia relapsus.

2.ª Item peccaret sacerdos dicens Cajus accusasse ut peccata, quæ peccata non sunt; ex. gr., omissum (a Tertiario) jejunium in pervigilio festi S. Francisci, sumptum die esuriali jusculum ratione infirmitatis; vel confessum esse ut mortalia quæ sunt venialia, ut vanam sacrorum usurpationem, mendacium officiosum, etc.

3.ª Peccatum pœnitentis jam in se notorium cadit sub sigillo pro confessario, quousque hic illius peccati notitiam habet tantummodo ex accepta confessione.

4.ª Non cadit *per se* sub præceptum sigilli ipsum factum confessionis; hinc *per se* sigillum non violat qui, dicens Titium apud se confessum fuisse, addat eumdem nonnisi levissima accusasse.

5.ª Eadem ratione non cadit sub sigillum factum datæ absolutionis: at id affirmare non caret periculo violandi indirecte sigillum, si quando absolutio data non fuerit. Hinc melius est de hac re numquam respondere; sive parentibus petentibus de data filiis absolutione, sive familiaribus infirmi petentibus num sit cubiculum præparandum pro viatico: nec in schedula peractæ confessionis mentio fiat de absolutione.

6.ª Nec *per se* sunt materia sigilli defectus ipsi etiam morales, quos confessarius in pœnitente percipiat occasione confessionis; puta, si iste in confitendo detrahat de aliis, in actus impatientiæ erumpat, nomen Dei in vanum usurpet: at hæc quandoque indirecte innuere possunt peccata pœnitentis haud levissima fuisse.

359. *Ex Princ. II.* — 1.ª Sunt materia sigilli circumstantiæ a pœnitente manifestatæ ad indicandam speciem sui peccati, quasque non revelari interest pœnitentis: puta, si confessus fornicationem addat se esse ligatum voto virginitatis aut castitatis: quod si addat se esse conjugatum, quod excepto confessario norunt omnes, confessarius peccaret innuens se id nosse ex confessione.

2.ª Sunt materia sigilli defectus, nedum morales, sed et physici, quos pœnitens revelaverit ad sua peccata accusanda, etiam quos revelare non tenebatur. Ita, si sacerdos, confitendo se sacros Ordines cum irregularitate suscepisse, addat rationem quod esset spurius; si quis, con-

fitendo se blasphemasse, addat se esse valde iracundum; si quis, accusando actus impudicos, addat se esse herniosum, nevrastenicum.

3.ª Sunt materia sigilli defectus etiam alieni, quos pœnitens ad sua peccata accusanda revelaverit, quosque extra confessionem manifestari grave haberet: ita, si mater se accuset de imprecationibus in filiam procacem; si maritus se accuset de blasphemiis propter uxoris arrogantiam prolatis.

4.ª Virtutes, charismata et opera bona pœnitentis *per se* non subsunt sigillo: ceterum, si hæc tantum ex confessione nota sint, saltem imprudenter confessarius de iis loqueretur; imo et frangere posset sigillum *indirecte*, si hæc a pœnitente dicantur ob eorum connexionem cum peccatis confessis. Facilius subsunt sigillo scrupuli a pœnitente manifestati; eo quod facilius connexionem habent cum peccatis confessis, etsi forte mere materialibus.

Punctum III. — *De læsione sigilli.*

360. Sigillum confessarius lædere potest tripliciter: *a*) Lædit *directe*, si revelet ea, quæ sunt materia sigilli, simul manifestando personam pœnitentis, sive expresse, sive æquivalenter [34]. — *b*) Lædit *indirecte*, si talibus indiciis positivis vel negativis indicet materiam sigilli et personam pœnitentis, ut audientes vel videntes probabili conjectura arguere possint peccatum determinati pœnitentis. — *c*) Lædit *practice*, si absque ullo periculo revelationis utitur notitiâ confessionis, eo usu, qui sit in gravamen pœnitentis, sive jure, sive injuria, vel odiosum reddat sacramentum.

361. **Principia. I.** Læsio *directa* sigilli est peccatum mortale *ex toto genere suo*, adeo ut materiæ parvitatem non admittat.

II. Læsio *indirecta* est peccatum mortale *ex genere suo*: gravitas ejusdem in concreto pendet ex majori vel minori periculo objectivo, quod ex dictis vel factis aut omissis a confessario peccata pœnitentis cognoscantur.

III. Læsio *practica* sigilli est peccatum mortale *ex genere suo*: gravitas ejusdem in concreto pendet ex majori vel minori gravamine, quod hic usus infert pœnitenti, etsi hic ipsius usus inscius sit; item ex odio, quod creare potest sacramento.

34) Protestans Leo (*Hist. of Confess.* I. 412-427) asserit pluries læsum fuisse sigillum; at læsionis directæ unum dumtaxat exemplum narratur in *Vita* S. Thomæ a Villanova (*Acta SS. Sept.* V. 894, seqq.) certius vero, imo et certissimum est martyrium S. Joannis Nepomuceni pro sigillo. — Utinam frequentes non sint læsiones indirectæ ! De hisce *Instructio* S. Off. 9 jun. 1915, apud *Monit. eccl.* XXIX. 199.

IV. Licet peccare possit aliunde, non peccat contra sigillum sacerdos, qui peccata audita revelet absque ullo periculo quod reveletur persona pœnitentis : item, qui utitur notitia confessionis absque ullo periculo quod hic usus cedat in gravamem pœnitentis aut in odium sacramenti.

362. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Graviter lædit sigillum confessarius, si audita in confessione revelet, licet nec addat hæc se audivisse ex confessione, nec id advertant aut suspicentur audientes.

2.ª Graviter lædit sigillum, qui personam pœnitentis per adjuncta adeo designet, ut ea certo dignosci possit ; licet audientes eam non cognoscant, nec forte umquam sint cogniturі.

3.ª *Per se* sigillum violat, qui de pœnitente dicat eum summo cum dolore sua peccata confessum fuisse : hæc enim verba innunt peccata, saltem in ipsius apprehensione, non adeo levia fuisse.

4.ª Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare præsumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicæ reservata.

363. *Ex Princ. II.* — 1.ª Lædit sigillum indirecte, ac proinde plus minusve graviter, sacerdos, qui, auditis paucorum confessionibus, dicat ab uno ex illis se audivisse adulterium, vel furtum, vel in genere grave peccatum.

2.ª Ne indirecte quidem sigillum lædit, qui cum confessiones publice per annos plures audisset Neapoli, dicat se ibidem quandoque audivisse crimen enorme, vel determinate necem a patre illatam filiæ.

3.ª Qui, cum duas sorores pœnitentes ordinarias habeat, occurrente de utraque sermone, unam ceu illibatam columbam et angelum in terris collaudet, indirecte sigillum violat erga alteram.

4.ª Sigillum lædit, qui elata voce pœnitentem de numero interroget, aut redarguat eâ formâ, qua aut pateat aut suspicari liceat peccata audita plura esse, aut gravia, aut non levissima.

5.ª Confessarius, qui caveat ab aliquo pœnitente audiendo, eo quod ex aliis confessionibus novit eum esse habituatum, vel timet ne sit indispositus, peccat contra sigillum ; et quidem indirecte, si id faciat advertente sacrista, alias practice. Secus dicendum, si caveat eo quod prænoverit se neniis sempiternis detinendum esse [35].

6.ª Qui ex auditis confessionibus dicat peccatum quoddam enorme patratum fuisse in determinato monasterio, graviter læderet sigillum ; minus graviter, qui diceret patratum fuisse a religioso talis ordinis vel congregationis ; forte ne leviter quidem, qui dicat patratum fuisse a quodam religioso, dummodo periculum non subsit quod quis personam vel monasterium prudenter conjicere possit.

35) Id theoretice verum esse videtur ; practice videtur esse agendum aliter.

7.ª Idem dicendum de confessario, qui de oppido exiguo affirmet ibi vitium luxuriæ aut avaritiæ grassari, vel confessiones passim fieri sacrilegas: ac saltem imprudenter ex auditis confessionibus in vitium aliquod occasione missionum declamaret concionator.

364. *Ex Princ. III.* — 1.ª Episcopus (vel examinator synodalis) graviter contra sigillum peccaret removendo a beneficio parochiali vel ab officio quocumque sacerdotem, quem indignum esse novit ex ejus confessione sacramentali: sæpe, et si noverit ex confessione alius.

2.ª Superior, qui subditorum confessiones exceperit, nullo modo potest quoad gubernationem externam uti notitiis acceptis occasione confessionum: hoc vero, etiamsi nullo modo appareat eum uti notitiis confessionum [36].

3.ª Sacerdos, qui pœnitenti absolutionem denegaverit, non potest eidem petenti denegare sacram communionem, etsi nemo præsens adsit; potest ac debet eam denegare peccatori publico (et quidem etsi absolverit) antequam scandalum reparaverit.

4.ª Contra sigillum peccat *per se* confessarius, qui extra confessionem severiori vultu vel forma austeriori tractet pœnitentem suum; etiam si id faciat ad præcavendam totalem ipsius depravationem.

5.ª Non potest confessarius fores suæ domus claudere, ne domo exire possit famulus, quem ex ejus confessione novit exire ad peccandum: neque eidem in confessione, tamquam herus, præcipere potest, ut e suo servitio discedat [37].

365. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Non peccat contra sigillum sacerdos, qui enarret casus quosdam, qui sibi occurrerunt in confessionibus audiendis; dummodo nec personas ullatenus revelet, nec indicia prodat, ex quibus probabili conjectura possent audientes personas designare. Verum facile peccare poterit contra prudentiam: imo, si id faciat leviter coram laicis, peccare potest indirecte contra religionem; quatenus minuat in audientibus reverentiam erga sacramentum.

2.ª Nec contra sigillum, nec ullatenus, peccat confessarius, qui pro casu intricato sapientiorem consulat; dummodo eâ prudentiâ procedat, qua a quacumque revelatione vel suspicione de persona caveat [38].

3.ª Neque peccat confessarius, qui propter notitias confessionis benignius agat erga pœnitentem, vel pro ipso specialiter oret.

4.ª Neque peccat ille, qui notitiis habitis in confessione utatur ad procedendum deinceps cum majori prudentia in monendo vel interrogando, vel ad corrigendos proprios defectus in suo officio obeundo.

366. **Quæstiones.** — *Circa Princ. III. IV.* — *Qu. 1.* Utrum lædat sigillum confessarius, si pœnitenti absque absolutione dimisso deneget schedulam peractæ apud ipsum confessionis?

Resp. Affirmative, si pœnitens eam petat extra confessionem; ex-

36) Hæc ratio *Canonis 891.*
37) Cf. D'Annibale *Num. 363, 54.* — At cf. quoque Noldin *416, 2 d.*
38) De Cautelis adhibendis in petendo consilio cf. Noldin *417 Nota.*

cepto casu, quo aperte pateat pœnitentem non voluisse sacramentaliter confiteri, sed confessionem simulare. Imo generatim sigillum plus minus lædit propter incommoda, quæ pœnitenti obvenire possent. Practice, excepto casu confessionis simulatæ, confessarius semper tradat schedulam, utens formula generica : « Titius apud me confessus est. Die... »

Qu. 2. Quid agendum sacerdoti, si, cum SS. Sacramento ad infirmum adveniens ejusque excipiens confessionem, eum indispositum inveniat ?

Resp. Si frustra disponere studuerit ac proinde ei absolutionem denegaverit, ipsum hortetur ut familiaribus aut sibi post confessionem, edicat se modo nolle Eucharistiam suscipere. Quod si ille renuat, ac velit Eucharistiam suscipere, ei ministranda est ne sigillum violetur.

Quando sacerdos, absque SS. Sacramento veniens, infirmum solus audiverit, si familiares ab eo petant utrum paranda sint necessaria pro viatico, confessarius eos remittere debet ad infirmum, ut ipse dicat utrum velit an non, sacrum viaticum suscipere : imo ita agendum generatim, etiam quando infirmo dedit absolutionem. — Simili ratione plus minus agendum cum sacristis in ecclesia.

Qu. 3. Utrum confessarius, qui ex confessione novit sibi parari insidias ad mortem, vi sigilli prohibeatur sibi ab iisdem cavere ?

Resp. Certe id ei licet, si ab eis cavere sibi potest, quin ullum gravamen vel gravaminis periculum afferat pœnitenti. Si cavere sibi non possit sine periculo quod alii (complices aut conscii criminis committendi) conjiciant pœnitentem eas insidias confessario aperuisse, plures theologi cum S. Alphonso negant id ei licere, ob indirectam revelationem peccati accusati. Ceterum monent duo : *a*) Forte chimericus est casus, quo sacerdos sibi cavere non possit absque ullo periculo revelationis etiam indirectæ peccati accusati a pœnitente. *b*) Pœnitens ipse tenetur confessario permittere, ut sibi caveat, etiam cum aliquali remoto periculo suspicionum de peccato confesso ; quod si permittere recusat, confessario pro certo esse poterit hunc, non confiteri sibi, sed illudere voluisse ». At, si constet pœnitentem vere voluisse confiteri, nunc autem, sive ex erronea conscientia juste, sive etiam injuste, denegare confessario eam licentiam, non videtur recedendum a sententia S. Alphonsi ; nam indispositio pœnitentis non tribuit jus sacerdoti revelandi confessionem.

Eadem solutio applicanda, si confessarius ex confessione cognoscat gravidam esse ex delicto ancillam suam, vel puellam quam secum ipse statuerat in sui famulatum assumere. Potest quidem ipsis sub pœna denegandæ absolutionis intimare, ut sibi permittant sub aliquo prætextu propriæ famæ consulere : at contra denegatam ab illis licentiam non potest notitiis habitis uti in gravamen pœnitentium.

§ II. — De corrigendis erroribus.

367. Errores confessarii versari possunt *a*) circa validitatem sacramenti ; *b*) circa integritatem confessionis aut ipsius sacramenti ; *c*) circa obligationes pœnitentis. — Hæc statuimus :

Principia. I. Si confessarius in ministerio obeundo cum gravi culpa erravit, ejusque error causa fuit, qua pœnitens peccatorum mortalium remissionem non habuerit, tenetur ex justitia damnum pœnitentis reparare cum incommodo damno pœnitentis proportionato. Si erravit absque gravi culpa formali, adhuc tenetur cum gravi incommodo impedire damnum pœnitentis, qui versatur in periculo mortis : extra hunc casum, tenebitur quidem ex justitia, at juxta regulas de damnificatore materialiter injusto.

II. Si confessarius, errore sive inculpabili sive culpabili, causa fuit, qua aut confessio aut ipsum sacramentum integritate caruerit, generatim ad consectaria erroris reparanda non tenetur, nisi id facile possit absque incommodo sui et pœnitentis.

III. Si confessarius per actum positivum et graviter culpabilem erravit circa obligationes pœnitentis, tenetur ex justitia errorem corrigere cum incommodo proportionato, tum gravitati culpæ ipsius, tum damno pœnitentis aut aliorum. Si per actum positivum erravit inculpabiliter, tenetur juxta regulas de damnificatore materialiter injusto. Si erravit per omissionem, etiam graviter culpabilem, non tenetur errorem corrigere, nisi ex caritate ; dummodo ea omissio injusta non fuerit.

368. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si confessarius auditis mortalibus a pœnitente exsistente in periculo mortis, eumdem ex oblivione non absolverit, tenetur ex justitia ad eum redire, eumque absolvere etiam cum gravissimo incommodo : id enim exigit quasi-contractus cum pœnitente initus a confessario.

2.ª Ab hac obligatione non eximitur confessarius ex eo quod illi pœnitenti paulo post sacrum viaticum delatum fuerit ; cum peccatoris justificatio per sacramentum Eucharistiæ non sit absolute certa. E contra excusari potest, si ei administrata fuerit Extrema Unctio.

3.ª Si idem confessarius pœnitentem illum absolverit, at cum gravissimo fundamento timeat absolutionem ob defectum doloris invalidam fuisse, tenebitur quidem ad eumdem redire et disponere et iterum absolvere ex caritate, at non ex justitia.

4.ª Confessarius, qui scienter absolverit invalide pœnitentem confessum mortalia extra periculum mortis, puta ipsum absolvens absque jurisdictione nec eam supplente Ecclesia, ex justitia tenetur curare, ut pœnitens ille suorum peccatorum remissionem consequatur, aut directam, aut saltem indirectam 39 : et quidem tenetur cum incommodo gravi ; est enim vere damnificator formaliter injustus.

39) Si ad hoc necesse sit monere pœnitentem, id generatim non videtur esse contra sigillum. Cf. S. Lig. *Num. 622*, Ball. *841, 845.*

5.ª Item ad damnum pœnitentis impediendum tenetur, si hoc provenit ex errore confessarii leviter aut nullatenus culpabili; tamen tenetur tantum cum incommodo non gravi.

6.ª Hæc obligatio cessat, quando confessarius sciverit pœnitentem jam iterum ad sacramentum Pœnitentiæ accessisse; minuetur, quando sciverit eumdem suscepisse sacramentum Eucharistiæ 40; quod si pœnitens nonnisi levia confessus fuerat, obligatio jam ab initio levissima fuit.

7.ª Si confessarius facile impedire potuisset, quominus pœnitens a se inculpabiliter absque absolutione dimissus in statu peccati permaneret, id vero minime præstitit, ad hoc deinceps præstandum tenetur etiam cum incommodo suo gravi.

369. *Ex Princ. II.* — 1.ª Ad nihil *sub gravi*, vel cum gravi incommodo *sub levi*, tenetur confessarius, qui aut omittendo aut faciendo causa fuit, qua pœnitens peccatum aliquod aut circumstantiam accusandam inculpabiliter omiserit. Nam irreverentia in sacramentum irreparabilis est; pœnitens vero nullum damnum subiit; cum ipsius peccata fuerint omnia remissa, si non directe, saltem indirecte.

2.ª Idem confessarius, si ad eum pœnitens redeat, eumdem monere debet, ut peccatum (vel circumstantiam) omissum in præsenti confessione accuset. Ratio est, quia peccatum illud vel ea circumstantia est materia necessaria confessionis præsentis; confessarii autem, utpote ministri, munus est, ut rite sacramentum fieri procuret; excipe casum, quo id molestum prævideatur pœnitenti.

3.ª Idem confessarius ad nihil erga eumdem pœnitentem tenebitur, si hic ad ipsum non redeat: deberet enim cum pœnitente sermonem instituere de materia confessionis præcedentis; quod communiter huic grave esse potest et solet.

4.ª Eadem dicenda sunt, si confessarius omiserit pœnitentiam imponere, vel imposuerit infra proportionem essentialem. Si pœnitentiam imposuerit excessivam, facilius tenebitur errorem corrigere, etiam erga pœnitentem non redeuntem; eo quod facilius præsumere possit eumdem consentire, ut sermo cum eo fiat de confessione præcedenti.

5.ª Ad errorem emendandum, etiam cum aliquo incommodo sui, tenetur confessarius, si ipsius error causa positiva fuit, qua confessio integra non fuerit: puta, si dixerit hanc circumstantiam non esse accusandam 41. Quod si ipsius error causa fuit mere negativa, non tenetur eum emendare, nisi ex caritate.

370. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si confessarius culpabiliter pœnitentem deceperit in re gravissimi momenti, ex quo fiat, ut hic contrahat matrimonium invalidum, aut maneat in occasione proxima peccati, aut ad officium gravissimi momenti promoveat ineptum, etc., tenetur suum errorem retractare, et quidem cum incommodo suo gravissimo.

40) Imo « Suarez et alii viri sapientes et prudentes theologi » excusant semper extra periculum mortis », apud D'Ann. *Num. 355, 23.*

41) S. Ligorius *Num. 620.* — Cf. Ball. *Num. 849. seqq.*

2.ª Item errorem emendare tenetur, at cum incommodo minori, si culpabiliter pœnitentem ab obligatione gravi indebite exsolverit; ex. gr., a lege jejunii vel abstinentiæ, a restitutione facienda, ab occasione removenda.

3.ª Item, et cum incommodo suo majori, tenetur errorem culpabilem retractare, quo pœnitenti obligationem non exsistentem, jejunandi, restituendi, etc., imposuerat.

4.ª Si in confessione confessarius negative se habuerat, non obligando vel non deobligando, et ex ejus omissione pœnitens in aliquo suo errore permanserit, non tenetur post confessionem docere pœnitentem, nisi ex caritate; et hoc, etiamsi ea omissio fuerit illi culpabilis, et quidem graviter. Ratio est, quia nonnisi ex caritate tenebatur pœnitentem positive ab errore retrahere.

5.ª Confessarius, qui pœnitentem erronee obligaverit ad faciendam restitutionem, tenetur pœnitentis errorem corrigere, antequam ille restituat. Si hic jam restituerit suumque repetere non amplius possit, confessarius tenetur ejus damnum resarcire, si in obligatione imponenda graviter peccaverat: secus, non tenetur; dummodo non potuerit interim facile damnum pœnitentis impedire, ac id præstare culpabiliter omiserit.

6.ª Confessarius, qui indebite et cum culpa gravi pœnitentem solvit a facienda restitutione, tenetur errorem corrigere monendo pœnitentem, qui monitus restituisset: quod si, aut pœnitentem monere amplius non possit; aut hic non possit amplius restituere, tenetur ipse indemnem reddere creditorem. Si id fecerat absque gravi culpa, ad monendum pœnitentem tenetur cum levi incommodo; ad reddendum indemnem creditorem non tenetur: at culpa adesse potuit, et gravis, in causa, h. e., ignorantia culpabili.

7.ª Si damni, sive pœnitentis, sive creditoris, confessarius causa fuerit negativa, eo quod pœnitentem non monuit, ad hunc post confessionem monendum tenebitur ex caritate erga ipsum, vel erga creditorem 42; nec tamen tenetur damnum alterutrius resarcire.

8.ª Si confessarius cum culpa gravi, etiam in causa, pœnitentem ad restitutionem obligavit in casu obligationis dubiæ, eidem restituere debet; eo quod pœnitentem privavit facultate utendi jure suo 43.

CAPUT III.

DE ABUSIBUS IN MINISTERIO PŒNITENTIALI OCCURRENTIBUS

371. Quod in ministerio per homines exercendo obrepere possint abusus, id humanum est: præ ceteris autem ministeriis sacerdotalibus nul-

42) Monitiones in sequenti confessione non obstant sigillo: extra confessionem fieri non possunt sine licentia pœnitentis; neque hæc petenda est, si ipsa petitio gravis eidem futura prævideatur.

43) Ita GURY *Casus* I. *Num. 70;* GENN. *Quest. mor. 49, 388.* — Non plene consentit LEHMK. *Num. 417, 5.*

lum est magis abusibus obnoxium, quam ministerium pœnitentiale, quod exercetur per secretam et confidentialem relationem inter confessarium et pœnitentem. Duo sunt hujus ministerii abusus, quos Ecclesia specialibus sanctionibus avertere studet: absolutio complicis in peccato turpi, et sollicitatio pœnitentis ad turpia [1].

ART. I. — De absolutione complicis in peccato turpi

372. Jam per se valde inconveniens est, quod sacerdos aliquem pœnitentem absolvat ab eo peccato, præsertim turpi, in quo perpetrando ipse ejusdem socius fuerat. Quare hujusmodi absolutio alicubi statutis particularibus jamdiu interdicta fuerat; imo a quibusdam habita fuit ceu intrinsece illicita [2]. Verum eam lege generali severissime primum prohibuit et pœnis coërcuit Benedictus XIV per Constitutiones *Sacramentum Pœnitentiæ*, et *Apostolici muneris* [3], ejusque statuta confirmata habentur Jure novissimo.

Materia prohibitionum et sanctionum Ecclesiæ est quodcumque peccatum turpe mortale, in quo patrando ipse confessarius et pœnitens complices fuerint. — Est: *a*) omne peccatum turpe; h. e., quod fuerit contra sextum præceptum, luxuriæ consummatæ aut non consummatæ vel impudicitiæ, commissum opere aut actibus vel tactibus turpibus, aut colloquiis obscenis; hoc autem peccatum fuerit mortale et externum, et mortale in ratione actus externi. — *b*) In hoc peccato patrando confessarius et pœnitens complices fuerint; h. e., in peccato identice eodem correi, et quidem ambo formaliter: indifferens est quod confessarius peccatum patraverit post vel ante susceptum sacerdotium, quod ejus complex femina fuerit vel masculus.

Ex citatis Constitutionibus, confessarius, complicem absolvens illicite et invalide ipsum absolvit, et *ipso facto* irretitur excommunicatione. De pœna in tractatu *De censuris*; heic de ipsa absolutione ejusque reatu.

373. **Principia. I.** Absolutio, quam confessarius complici suo in peccato turpi impertiat super peccatum complicitatis, præterquam in periculo mortis, invalida est [4]. Ratio est, quia Ecclesia illi confessario circa peccatum illud adimit jurisdictionem.

II. Sacerdos, tribuens complici absolutionem super peccatum complicitatis, gravissime peccat; tum contra religionem ob frustratum sacramentum, tum contra justitiam propter damnum illatum pœnitenti, tum contra positivam prohibitionem Ecclesiæ; ex quo titulo

1) Bucceroni Comm. IV. *De Const. Benedicti XIV.* « *Sacram Pœnitentiæ* ».
2) Cf. S. Thomam *Supplem. Qu. 20.*
3) Prior authentice publicata in Codice *Documenta. Num. V.*
4) Codex *Can. 884.* — Cf. et *Can. 2367.*

postremo incurrit excommunicationem Apostolicæ Sedi *specialissimo modo* reservatam.

III. Sacerdos licite absolvit complicem in periculo mortis exsistentem, in casu, quod alius sacerdos, licet non approbatus, non posset sine gravi infamia aut scandalo excipere morientis confessionem. Tenetur vero *sub gravi*, nedum non impedire, sed et positive omnia media tentare, quibus sacerdos alius, etsi non approbatus, morientis confessionem sine infamia aut scandalo excipere possit.

374. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Absolutio data super peccatum complicitatis nulla est defectu jurisdictionis: nec Ecclesia jurisdictionem supplet eo quod pœnitens erronee putet se valide absolvi; ejus enim error privatus est, ac insuper intrinsecus est indoli hujus legis, quæ generatim fidelibus nota esse non potest: si Ecclesia suppleret, de ipsa lege actum esset.

2.ª Jurisdictio super hujusmodi peccatum confessario complici adempta est in perpetuum: si pœnitens ab alio confessario super illud peccatum absolutus fuisset, idem peccatum relate ad confessiones penes confessarium complicem peragendas cessat esse materia valida subsequentium absolutionum 5.

3.ª Postquam complex a peccato complicitatis per alium confessarium absolutus fuit, potest per ipsum complicem absolvi, nedum a peccatis commissis deinceps, sed et ab iis, quæ antecedenter commiserat et clavibus ex justa causa aut ex oblivione non subjecerat. Ceterum omnino ei suadendum est, ut ab eo confessario caveat in perpetuum: multo magis id inculcandum confessario; imo quandoque id erit ei imponendum, sicut in hisce casibus communiter imponit S. Pœnitentiaria.

4.ª Item valida est super cetera peccata absolutio, quam confessarius complex impertiat complici suo peccatum complicitatis ex oblivione vel utcumque in bona fide tacenti: imo hæc absolutio indirecte remittit etiam ipsum peccatum complicitatis.

5.ª Confessarius valide absolvit puellam simplicem ab ipso turpiter attrectatam, postquam eidem persuaserat in hoc nullum, aut certe non grave, haberi peccatum. Non dicimus « licite ».

6.ª Confessarius invalide absolveret pœnitentem vere complicem, at adhuc impuberem: hujus enim peccatum non est proprie reservatum, sed a confessario complice inabsolvibile.

7.ª Absolutio complicis in periculo mortis semper valida est, etsi quandoque sit graviter illicita.

375. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non peccat confessarius, qui ex inadvertentia absolvat complicem peccatum complicitatis confessum.

5) Non censemus ipsum manere materiam sufficientem, ut esset veniale; ceu retur D'Ann. *In Const.* « *Ap. Sedis* » *Num. 87, 27.* — Cf. Ball. *748.*

2.ª Graviter peccat confessarius, si absolvat pœnitentem peccatum complicitatis non confessum, simul pro re moraliter certa habens eumdem ab eo peccato nondum fuisse per alium confessarium absolutum. Ratio est, quia ut sacramenti minister, tenetur *sub gravi* procurare integritatem confessionis, sive formalem, sive etiam materialem. Tamen non peccat contra præsentem prohibitionem.

3.ª Multo gravius peccat, si eum ad tacendum directe vel indirecte inducat; *directe*, ex. gr., si eum moneat peccatum illud taceri posse, utpote jam sibi notum; *indirecte*, ex. gr., si eidem suadere conetur actionem illam non esse peccatum, aut saltem non esse mortale: imo hæc agens sacerdos excommunicationem non effugit 6.

4.ª Demum graviter peccat, si absolutionem dissimulet; gravius, si eam fingat, et in altero casu certe incurrit excommunicationem.

376. *Ex Princ. III.* — 1.ª Sacerdos vel parochus, qui, sciens complicem suum graviter infirmari, ad ipsum sponte accedit, sperans se ab eo de confessione audienda rogandum esse, aut etiam ex sola ratione quod est ejus confessarius ordinarius, reus est gravissimi peccati; quamvis deinde propter urgentem necessitatem illius confessionem audire cogatur.

2.ª Idem sacerdos vel parochus, si prævideat se facile vocandum esse, debet hoc periculum præcavere, recedendo sub aliquo prætextu a parœcia, affirmando se ab adeundo eo infirmo impediri, aut aliis restrictionibus vix non pure mentalibus, vel prætextibus, quos in re sibi grata vel utili facile inveniret.

3.ª Idem sacerdos, si ab infirmo complice vel ab ejus parentibus advocetur, debet eumdem monere ut alium sacerdotem arcessat, ipsi indicando, si opus est, etiam motivum.

4.ª Prohibitio Ecclesiæ nullatenus onerosa esse debet pœnitenti moribundo, sed tantum confessario. Hinc confessarius potest ac debet illius confessionem audire, nedum si nullus alius sacerdos haberi potest, sed etiam si hic adveniat confessione jam incepta, vel si infirmus recuset alii confiteri.

5.ª Eadem ratione valide moribundus absolvitur, si sacerdos complex pericula infamiæ vel scandali sibi confingat, aut ea removere non studeat; quamvis hic gravissime peccet.

6.ª Ubi vel unicus in loco est ipse sacerdos complex, vel unus tantum præter ipsum, difficile sane est pericula scandali vel infamiæ præcavere; at gravissime sacerdos complex peccat, si non omnia prorsus media præcavendi pertentet.

377. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I, II.* — *Qu. 1.* Utrum valida sit absolutio, quam confessarius suo complici super peccatum complicitatis impertit inadvertenter?

6) S. Pœnit. 19 febr. 1896, apud *Monit. eccl. IX. II. 11.* — Codex *Can. 2367* § 2.

Resp. Negandum esse videtur. Ratio est, quia ademptio jurisdictionis non apparet esse pœna, sed potius effectus legis irritantis ob reverentiam erga ipsum sacramentum; quamvis pœna sit excommunicatio contra sacerdotem absolventem 7. Tamen non desunt, qui absolutionem semper validam habent, quando confessarius citra sacrilegium et consequentem excommunicationem absolvit 8. Certe, si pœnitens erat in bona fide et dispositus, valide absolutus fuit a reliquis peccatis 9; ac proinde ad summum confiteri tenebitur penes alium sacerdotem peccatum complicitatis; utpote quod, juxta opinionem primam, remissum fuit tantum indirecte.

Qu. 2. Utrum confessarius valide et licite absolvat pœnitentem, dubitans num ille sit suus complex ?

Resp. Dato quod interrogationes genericæ ad solvendum dubium efficaces non fuerint, ex sententia satis communi, confessarius non tenetur a pœnitente specialiter petere num secum peccaverit; ac ipsum absolvens non peccat. Relate ad validitatem absolutionis, peccata reliqua absoluta fuerunt directe; peccatum complicitatis juxta plures indirecte, juxta alios directe.

Qu. 3. Utrum confessarius valide et licite absolvat pœnitentem complicem; qui, nisi ab eo absolveretur, per longissimum tempus et forte per totam vitam cogeretur a sacramentis abstinere ?

Resp. Sententia affirmativa, quam primus proposuit ac propugnavit Ballerini, certe probabilis est. Ratio potissima est, quia complex ille tenetur duplici præcepto incompossibili: uno divino confitendi peccata sua et communicandi aliquando; altero ecclesiastico non habendi a sacerdote complice absolutionem. Porro in isto conflictu prævalere videtur præceptum divinum, cessare ecclesiasticum 10. Hinc practice licebit eâ sententiâ uti; quæ si forte falsa sit, Ecclesia censenda est jurisdictionem supplere.

Qu. 4. Utrum idem liceat, quando complex absque periculo scandali vel infamiæ omittere non potest communionem aut celebrationem, nec alius adest sacerdos ?

Resp. Negative. Unicus casus, quo in Codice ex motivo scandali vel infamiæ dicitur valida absolutio, est periculum mortis. Hinc in casu proposito, quidam dicunt communionem accipi posse præmisso actu contritionis; alii accepta a confessario complice absolutione super alia peccata etiam mere venialia, per quam peccatum complicitatis remittatur indirecte. At, quidam cum S. Alphonso hanc absolutionem habent ut invalidam; alii ut validam 11.

7) D'Annibale *Num. 324*; Bucc. *Comm. cit. 73*; Ferr. *688 Qu. 6.*
8) Scavini *III. Num. 485*; Pennachi *In Const.* « *Apost. Sedis* » I. 312; quibus consentit D'Ann. *In Const.* « *Apost. Sedis* » *Num. 87, 28.*
9) Cf. Ballerini ad Gury *399, 2*; Lehmk, *936 Nota.*
10) Ballerini *Num. 655* et ad Gury *399, 3.* Gen. *352*; Ferr. *loc. cit.*
11) S. Ligorius *Num. 555*: aliter Ball. *648*; Gen. *354*; Noldin *371.*

Propter necessitatem implendi præceptum paschale (non *annuum*), nec censemus validam fieri absolutionem peccati complicitatis, nec licitam esse absolutionem a ceteris peccatis, per quam illud indirecte remittatur. Conflictus hic est inter duas leges ecclesiasticas; sed Benedictina gravior est, quam Lateranensis.

378. *Circa Princ. III. — Qu. un.* Quid agendum confessario, si post inceptam legitime confessionem complicis periculum cesset?

Resp. Si infirmus jam peccatum complicitatis confessus est, confessarius potest et reliqua audire, et ab omnibus absolvere; secus enim teneretur pœnitens iterum confiteri peccatum jam legitime confessum. E contra videtur esse abrumpenda confessio, si infirmus peccatum complicitatis nondum est confessus; est enim eadem ejus conditio ac cujuscumque pœnitentis extra periculum mortis: at ex altera parte, pœnitens incepta confessione jus habet ad absolutionem; hanc autem habere non potest, nisi peccata omnia confiteatur, et proinde etiam peccatum complicitatis. Ergo jurisdictio confessarii in hoc altero casu certe probabilis est; ac proinde supplebitur ab Ecclesia, si forte desit.

Quod si confessarius infirmum stante periculo jam absolverat in casu primo, certe peccatum complicitatis remissum fuerat directe, nec amplius est necessario accusandum: si absolverat in casu secundo, remissum fuit indirecte, ac proinde ipsum accusandum erit penes alium confessarium, ut remittatur directe.

ART. III. — De sollicitatione ad turpia

379. *Sollicitatio,* juxta documenta authentica, definiri potest « provocatio ad turpia, facta a sacerdote tamquam confessario » [12]. Dicitur: *a) provocatio,* quæ includat et indicet animum inducendi ad aliquid: at nihil statuitur de modis; qui possunt esse verba, signa, nutus, tactus, scriptura nunc aut postea legenda, pictura obscœna, chartula postalis lubrica, etc. — *b)* Dicitur provocatio *ad turpia;* h. e., ad venerea, ad libidinosa, ad impudica, quæ constent actibus aut etiam tantum sermonibus vel tractatibus, dummodo hæc gravia sint, aut in se, aut ex affectu libidinoso exterius manifestato. — *c)* Hæc provocatio fiat a *sacerdote,* sive sæculari, sive regulari, sive approbato, sive non: huc non pertinet quæ fiat a clerico vel laico simulante se esse confessarium. — *d)* Eadem fiat a sacerdote *tamquam confessario;* h. e., cum relatione ad confessionem; quod potest multipliciter contingere; nempe, in ipso actu confessionis, vel immediate ante aut immediate post confessionem, occasione confessionis, prætextu confessionis; aut etiam sine confessione in confessionali aut in loco destinato ad confessiones aut in loco ad id electo,

12) S. Ligorius *Num. 675-705;* Ball. *1085e1155;* Ber. Tract. *De sollicitatione.*

simulatione audiendi ibidem confessionem 13. — Quod provocatio effectum habuerit, vel non, nihil interest.

Ex ipso jure naturali, quicumque sciat patratum a confessario crimen hujusmodi, ipum penes Superiores ecclesiasticos denuntiare tenetur virtute caritatis, ad ruinam animarum avertendam. Hæc obligatio firmata fuit decretis RR. Pontificum ac iterum Jure novissimo 14. — Nobis agendum de statutis jure positivo:

380. **Principia. I.** Quicumque ad turpia sollicitatus fuerit a sacerdote tamquam confessario, tenetur *sub gravi* ipsum infra mensem Episcopo vel Inquisitoribus denuntiare, et quidem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nemini reservatae.

II. Qui calumniose denuntiet confessarium tamquam reum sollicitationis, reus fit gravissimi peccati, quod reservatum est Sanctæ Sedi ratione sui, et insuper incurrit excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam *speciali modo* 15.

381. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Nemo tenetur, imo nec licite potest, denuntiare sacerdotem, nisi certus omnino sit de facto sollicitationis et de verificatis in eo conditionibus a Jure determinatis: quæ dubia sit, dubio *facti* aut *juris*, omitti potest et debet 16.

2.ª Denuntiandus non est confessarius, qui sollicitavit ad actus venialiter tantum inhonestos; nec qui mulierem de pulcritudine laudavit ex fine honesto, aut ex levitate vel imprudentia 17.

3.ª Quando quis certus sit de facto sollicitationis, tenetur confessarium denuntiare intra mensem a facto, et a cognita obligatione denuntiandi intra mensem. Hæc obligatio, plerumque fidelibus ignota, eisdem intimanda est ab eo confessario, cui deinceps factum aperiat pœnitens sollicitatus: neque generatim monitio omittenda, eo quod timeatur non esse profutura; agitur enim de damno publico avertendo.

4.ª Si ad confessarium accedat pœnitens, qui obligationi jam cognitæ et urgenti denuntiandi non satisfecit, hic regulariter absolvi non debet antequam denuntiet, aut saltem serio promittat se denuntiaturum esse quamprimum: ei autem, qui denuntiare detrectet, deneganda est absolutio.

13) Expositio et exempla penes Bucc. *Num. 12-20;* Ojetti ad v. *Sollicitatio;* Ball. *Num. 1092-1111;* Alb. *Theol. past. P. III. 69;* Cerato *De sollicitatione* (Patavii 1921).

14) Benedictus *XIV.* Const. *Sacram. Pœnit.;* Pius IX. Const. *Apost. Sedis;* Codex *Can. 904, 2368.* Cf. Instr. S. Off. 20 feb. 1869, apud *Monit. eccl.* I. 394.

15) Codex *Can. 894, 2363.*

16) S. Ligorius *Num. 702;* D'Ann. *368, 19;* Zanin. *2341, 10.* Nec denuntiandus videtur qui cognita ex confessione feminæ fragilitate, eam postea domi sollicitavit.

17) S. Ligorius *Num. 683, 703;* Gury *Casus 657;* Tanqu. *679, 6.*

5.ª Pœnitens sollicitatus tenetur sollicitantem denuntiare, etiamsi ipse consenserit; at non tenetur fateri se consensisse.

6.ª Obligatio non cessat eo quol factum est antiquum, aut confessarius jam fuit alias denuntiatus et punitus. Cessat, si hic jam obiit; tunc enim finis legis cessat adæquate [18]: forte finis adæquate cessat etiam, quando moraliter certo constet confessarium sese definitive et a longo tempore emendasse [19].

7.ª Hac obligatione tenentur etiam impuberes sollicitati; licet crimen confessarii et legem Ecclesiæ cognoscant diu post factum.

8.ª Ex Jure novissimo, præter personam sollicitatam, nemo alius tenetur sacerdotem sollicitantem denuntiare: ceteri teneri possunt ad monendum Ordinarium vel parochum, imo et personam sollicitatam, ex titulo caritatis erga bonum commune.

382. *Ex Princ. II.* — 1.ª Pœnitens, qui suspicetur aut etiam putet se fuisse a confessario sollicitatum, regulariter, antequam denuntiet, rem exponere debet confessario prudenti, nomen reticens confessarii, a quo se sollicitatum fuisse suspicatur aut dubitat.

2.ª Etiam qui certo novit se fuisse sollicitatum, *sub gravi* prohibetur nomen sollicitantis aperire, sive parentibus aut amicis, sive etiam novo confessario: confessarius autem graviter contra jus naturæ peccater nomen sollicitantis inquirens.

3.ª Ut quis graviter peccet, nedum contra legem naturalem, sed etiam contra positivam, ejusque sanctionem incurrat, necesse est, quod confessarium innocentem accuset denuntiatione juridica.

4.ª Peccatum hoc, prout est reservatum ratione sui, videtur reservatum esse Apostolicæ Sedi *simpliciter;* prout adnexam habet censuram, reservatum est *speciali modo*: at ab utraque sanctione excusare debet ignorantia inculpabilis; cum utraque ex Const. Benedicti XIV rationem habeat pœnæ « ut tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coërceatur ».

383. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum sit denuntiandus confessarius, qui pœnitenti sollicitanti consensit?

Resp. Videndum num ipse sollicitaverit, an non. — *a*) Si interne consensit et se consentire ostendit tantum se habendo passive, nihil fecit; ergo non sollicitavit. — *b*) Si se consentire ostendit positive, aliquid faciendo vel dicendo, tunc sollicitatio fuit mutua, ac proinde ipse quoque confessarius sollicitavit, ideoque est denuntiandus; excepto probabiliter casu, quo se consentire ostenderit impulsus metu gravi ei incusso a pœnitente. Hæc sententia conformior esse videtur Constitutionibus Pontificiis ac recentiori Instructioni S. Sedis, et doctrinæ inter theologos communiori [20].

18) *S.* Ligorius *Num. 685, sequ., 692;* Bucc. *Comm. cit. 43.*

19) Apud S. Ligorium *Num. 686.* — Cf. D'Ann. *368, 28;* Gen. *397, 3.*

20) D'Annibale *Num. 366. 8,* et *In Const. 180, 9;* Palm. ad Ball. *1118 Nota;* Ferr. *693;* Gen. *395.* — At forte opinio contraria S. Ligorii *Num. 681* non omnem probabilitatem amisit.

Qu. 2. Utrum pœnitens sollicitatus teneatur confessarium denuntiare cum incommodo gravi ?

Resp. Si agatur de incommodo legi intrinseco, *affirmative* : si de incommodo extrinseco seu accidentali, et simul vere gravi aut absolute aut relative ad pœnitentem, *negative;* excepto casu, quo grave scandalum publicum vel damnum commune immineat 21. Incommoda intrinseca sunt verecundia, timor incurrendi indignationem confessarii, timor ne confessarius puniatur, etc. Incommoda extrinseca plura possunt esse et gravia : ex. gr., pro puella, quod propter infirmam valetudinem non possit adire Episcopum, aut numquam domo egredi soleat, nisi matre vel amita comitante ; pro quocumque poenitente, quod cum fundamento mala gravia timeat a confessario, puta, dimissionem a famulatu, remotionem a domo et ab agris conductis, etc.

Poteritne umquam pro femina esse incommodum ad excusandum sufficiens verecundia ? — Dicunt S. Sedem, interrogatam de « muliere nobili et verecunda, quæ non potest induci ad deponendum », respondisse : « Episcopi dent facultatem confessariis absolvendi pœnitentem, quæ justis de causis denuntiare recusat ; quæ tamen debet absolvi sub conditione quod, cessantibus causis, teneatur hoc facere, ac etiam non adire amplius confessarium, a quo fuit sollicitata » 22. Porro id applicari posse videtur et puellæ non nobili, et cuicumque feminæ valde verecundæ. Quapropter insistendum ut verecundia quælibet superetur : at *theoretice* verecundia ordinaria habenda est ceu incommodum intrinsecum ; verecundia extraordinaria ceu extrinsecum : *practice* limes inter unam et aliam definiatur ab Episcopo, vel, si hic adiri non potest, prudenti criterio confessarii.

Ceterum hæc incommoda non tollunt, sed tantum suspendunt, denuntiandi obligationem. Quare pœnitentes hujusmodi tenentur pro viribus eadem amovere, aut per se, aut per epistolam vel per medium confessarii. Confessarii autem ad eos absolvendos inclinent, postquam iisdem seriam promissionem exegerint, quod, cessantibus incommodis, obligationi denuntiandi satisfacient : quid in posterum fiet, Deus novit.

Qu. 3. Utrum confessarius semper monere debeat pœnitentem de obligatione denuntiandi ?

Resp. Regulariter *affirmative,* nisi videat talia haberi adjuncta, ut pœnitens in perpetuum ab onere denuntiandi excusetur ; ut contingere potest cum moribundo. Hæc enim obligatio confessario imponitur *sub gravi* a Constitutionibus Pontificiis, etiamsi pœnitens sit in bona fide, imo etiamsi non sit fide dignus. — At non tenetur confessarius, si fuit ipse sollicitans.

Qu. 4. Utrum monitio facienda sit pœnitenti, qui prævidetur obtemperaturus non esse ?

Resp. Ex S. Alphonso et aliis, *affirmative*. « Ratio est, quia ipsi

21) NOLDIN *Num. 379 ;* SEBAST. *506;* GEN. *397, 4.*
22) Apud Card. ALBITIUM *De inconstantia in fide. Cap. 35.*

confessario expresse præcipitur a Pontifice obligatio monendi; et, licet, generaliter loquendo, cum confessarius prævidet monitionem non profuturam, eam omittere debeat, hoc tamen non currit, quando agitur de vitando damno communi ». De qua doctrina, quidam subintelligi in ea volunt spem vel tenuissimam successus [23]. Ex allata autem ratione, quidam deducunt non esse monendum pœnitentem hujusmodi, si mors ei instet; tunc enim et inutilis monitio ad bonum commune, et nimis periculosa pœnitenti. Alii deducunt omittendam esse, quoties damnum commune non imminet; ex. gr., si confessarius ille, jam senex et surdaster, nullas amplius audiat confessiones [24]. Extra hos casus, quidam adhuc dubitant num Ecclesia urgere velit præceptum suum, quando ipsum urgere evidenter nihil confert ad bonum commune, et præjudicat bono privato. Et dicimus: *præceptum suum;* nam obligatio hæc ordinatur quidem ad bonum commune, sed imposita fuit per legem positivam anno 1622 [25]. Quare confessarius, antequam pœnitenti bonæ fidei hanc obligationem, ordinarie valde onerosam, sub pœna denegandæ absolutionis imponat, serio rem cum omnibus adjunctis meditetur, lumen a Deo imploret; ac, si fieri potest, rem differat, ut interim possit ab Episcopo instructionem habere, vel petere a S. Pœnitentiaria dispensationem. — Certe imponendum est pœnitenti, ut ab eo confessario, *quasi a facie colubri,* in perpetuum refugiat.

Qu. 5. Quid agendum confessario, cui pœnitens, præsertim femina, dicat sibi a confessario obscœna dicta vel proposita fuisse?

Resp. a) Haud facile credat. Non solum feminæ quandoque moventur invidia, odio, zelotypia aliove fine perverso, sed persæpe, etiam quæ bonæ sunt et piæ, sano destituuntur criterio. — *b)* Statim ei severe prohibeat ne sibi nomen confessarii aperiat. — *c)* Prudenter ac pedetentim de dictis et factis confessarii interroget: magis interim secum perpendens intentionem et criterium pœnitentis, quam ipsa dicta vel facta confessarii. — *d)* Dato, quod nullum dubium supersit de sinceritate pœnitentis ac de veritate assertionum ejusdem, inclinet in adscribendis illis dictis potius inscitiæ aut imprudentiæ confessarii, quam ejusdem malitiæ. — *e)* Si judicat indubiam esse sollicitationem ex parte confessarii, et obligationem denuntiandi ex parte pœnitentis, huic denuntiationem imponat, ac pœnitenti recluctanti ipse reclutans suam operam exhibeat. — *f)* Si alterutra dubia sit dubio positivo et objectivo, *per se* ipse debet pœnitentem absolvere, nulla ei imposita obligatione. — *g)* In casu frequentiori, quod ipse dubitet dubio negativo, potest interim pœnitentem a suis peccatis absolvere, eidem imponens ut ad eum post breve tempus revertatur, ut interim ipse melius considerare valeat num vera et certa sit sollicitatio, vera et certa denuntiandi

23) S. Ligorius *Num. 694.* — Cf. et Bucc. *33;* Gen. *398 V.*
24) Bucceroni *loc. cit.;* Noldin *378;* Gen. *l. c. et 397.*
25) Ballerini apud Gury *Num. 423 Qu. 1;* Frassin. *Nota 170.*

obligatio: quod si pœnitens reverti non possit, eidem imponat ut rem alii confessario quamprimum proponat, ab eo suscepturus quid sibi agendum.

Qu. 6. Quomodo facienda sit denuntiatio?

Resp. a) Ut denuntiatio sit proprie *judicialis*, necesse est quod persona ad id obligata adeat personaliter sanctum Officium, vel Ordinarium confessarii sollicitantis, aut loci in quo facta fuit sollicitatio: adire potest et Ordinarium proprium, cujus tunc erit acta transmittere ad Episcopum legitimum. — *b)* Si Episcopum adire non potest personaliter, supplere id potest per internuntium vel per epistolam: at hæc non est denuntiatio judicialis; sed inchoatio ejusdem; hinc omittendum nomen confessarii denuntiandi. Episcopus in eo casu ad excipiendam denuntiationem delegabit alium, eique instructionem opportunam communicabit 26. Sacerdos delegatus juramentum præstare debet de munere sibi commisso fideliter adimplendo, et de servando secrêto: quoad hoc alterum, poterit etiam a denuntiante nomen denuntiandi excipere inclusum involucro cera et sigillis obfirmato.

384. **Pœnæ contra sollicitantes.** Nulla habetur pœna *sententiæ latæ;* neque peccatum per se est reservatum. Jure novissimo statuuntur pœnæ *sententiæ ferendæ*. Sacerdos hujus criminis reus suspendatur a celebratione Missæ et ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subjiciatur 27.

CAPUT IV.

DE MODO AGENDI CUM VARIIS CLASSIBUS PŒNITENTIUM

385. Principia superius posita de exercitio ministerii pœnitentialis generalia sunt, et per se quibuscumque pœnitentibus applicanda. Verum sunt quædam pœnitentium classes, pro quibus principiorum applicatio proprias exigit normas. Hi autem sunt: *a)* Occasionarii; *b)* abituati et recidivi; *c)* pueri; *d)* personæ devotæ; *e)* moribundi.

ART. I. — DE MODO AGENDI CUM OCCASIONARIIS

386. *Occasionarii* sensu proprio dicuntur a theologis illi, qui voluntarie versantur in occasione proxima peccandi, eam a se non abdicando si est *præsens* aut *in esse*, eam nullatenus vitando si est *absens* seu *non in esse*. Sensu minus proprio dicuntur *occasionarii* et illi, qui

26) Modus recipiendi denuntiationem a S. Officio præscriptus, apud *Monit. eccles.* I. pag. 369: *Instructione* 20 jul. 1890, 6 aug. 1897, apud *Monit.* VIII I. 77, X. I. 124. — Cf. etiam BUCC. post. *Num. 47*, TUMM. *583*; FERR. *701*.

27) CODEX *Can. 2368 § 1.*

versantur in occasione, proxima quidem, at simul absolute aut saltem moraliter necessaria, quam proinde aut omnino dimittere non possunt, aut nonnisi cum incommodo gravi 1. Juxta alibi dicta, illi tenentur omnino occasionem dimittere physice et materialiter; isti debent, aut eam dimittere physice, aut saltem remotam reddere moraliter, utendo iis mediis, quibus remotum ex ea reddant periculum peccandi. Ea, quæ pro omnibus est obligatio faciendi vel non faciendi aliquid, pro occasionariis est obligatio removendi occasionem, aut physice, aut moraliter. — Hinc prona via ad sequentia:

387. **Principia. I.** Qui voluntarie versatur in occasione pro ipso proxima peccandi mortaliter, incapax est absolutionis, nisi et de admissa voluntarie occasione doleat, et simul efficaciter proponat eamdem deserere. Ratio est, quia voluntaria in ea occasione permansio jam ex se est peccatum mortale.

II. Qui ex necessitate versatur in occasione pro ipso proxima peccandi mortaliter, incapax est absolutionis, nisi firmiter et efficaciter proponat, aut eam occasionem deserere cum quocumque incommodo, aut media adhibere, quibus ab ea occasione removeatur proximitas periculi peccandi. Alterutram enim obligationem secum fert obligatio vitandi periculum peccandi.

III. Capax est absolutionis pœnitens, qui recuset deserere occasionem remotam peccandi mortaliter. Ratio est, quia id non est medium necessarium ad consequendum finem non peccandi; imo nec semper possibile est.

338. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Vir dives, cælebs et solitarius, domi sub nomine ancillæ feminam habens, cum qua nimis frequenter concubuit, absolvi non potest, nisi firmiter et efficaciter statuat eamdem illico dimittere, etsi sibi non parum utilis sit; nec satis est, quod statuat non amplius cum ea peccare.

2.ª Adolescens, masculus vel femina, sponte frequentans theatra vel spectacula, quæ ex experientia novit sibi in fide et moribus noxia esse, absolvi non debet, nisi statuat et promittat se ne semel quidem ea theatra vel spectacula aditurum: nec sufficit, quod simul velit preces recitare, sacris missionibus interesse, sacramenta frequentare: unica via tuta est fuga occasionum; ergo hæc ineunda.

3.ª Idem dic de iis, qui ex mera curiositate velint legere periodica irreligiosa et immoralia; qui (et præsertim *quæ*) ex levitate sese asso-

1) Tractant S. Ligorius *Lib. VI. Num. 325-457*, et omnes theologi. Ex professo Berardi *De occasionariis*. De præcipuis occasionibus Noldin *Num. 418-421*; Verm. *I. 452-456*.

ciare velint loquentibus impia ac turpia: hisce enim intimandum: « aut ab his recede, aut te non absolvo ».

4.ª Hæc *a fortiori* applicanda iis, qui occasiones valde periculosas aliis præbent, aut non prohibent; ac in primis parentibus, qui, filios ad omnia assuefaciendos esse dictitantes, nulla cogente necessitate, illis quascumque præbent corruptionis illecebras, scholas atheas, folia, theatra, cynematographa, præcocem educationem sexualem, etc.: his quoque, si quid confessario subindicent, intimandum « aut..., aut ».

5.ª A juvene vel puella se accusante de peccatis turpibus cum puella vel cum juvene commissis, ubi non exsistit spes ulla matrimonii, omnino exigendum est ut omnis familiaritas statim abrumpatur: secus enim absurdum esset cessare peccata.

389. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui necessitate victûs sibi comparandi sociis irreligiosis ac dogmatizantibus in publico officio convivere cogitur, ex quo jam se in fide vacillare persentit, absolvi non debet, nisi serio promittat se, aut ab eo officio sub quocumque stipendii detrimento recessurum, aut mediis usurum, quibus firmus in fide persistere valeat; ut essent assiduitas ad sacras functiones, oratio, frequens usus sacramentorum: utrumque enim omittens, certe naufragium faciet; alterutrum præstans, Deo juvante, perseverabit.

2.ª Puella, quæ intuitu matrimonii frequentes recipit amasii visitationes et ab eo sollicitata non raro peccat, tenetur aut amasium dimittere, aut eum rarius ac tantum sub oculis matris admittere: si alterutrum serio promittit, absolvatur; si neutrum, dimittatur.

3.ª Item puellæ, quæ famulari cogitur, at in famulatu gravia subit pericula, ceu conditio concedendæ absolutionis imponendum est, ut aut a famulatu recedat, aut mediis opportunis peccandi periculum amoveat: alterutrum promittenti danda est absolutio; renuenti utrumque est denegandа.

4.ª Generatim, quo proximior, seu periculosior, est occasio, eo gravius debet esse incommodum, sub quo liceat in occasione persistere, ejusdem periculum removendo per usum mediorum: res practice dijudicanda est prudenti consilio confessarii.

390. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum pœnitens, qui promittit se derelicturum esse occasionem proximam voluntariam, absolvi possit antequam de facto eam deseruerit?

Resp. 1.° Pro officio judicis et ministri, distinguendum: *a*) Si confessarius, omnibus perpensis, judicio prudenti probabili judicat pœnitentem id proponere firmiter et efficaciter, *affirmative*. — *b*) Si judicat ipsum id oretenus promittere sine vero proposito firmo et efficaci, *negative*. — *c*) Si, perpensis omnibus, dubius hæreat, tunc, si pœnitens est in necessitate, etiam late sumpta, habendi absolutionem, eum absolvat conditionate; extra casum cujuscumque necessitatis, non absolvat. — Hæc ex theoriis generalibus superius traditis.

2.° Verum confessarius est etiam medicus pœnitentis, atque sub

hoc respectu curare debet ejusdem perseverantiam futuram in bono ac emissi propositi efficaciam *in actu secundo*. Quare etiam præ pœnitente, qui judicatur hic et nunc velle occasionem deserere, duplex ex parte confessarii fieri potest hypothesis relate ad efficaciam propositi *in actu secundo*: *a*) Si confessarius pro re moraliter certa habeat pœnitentem derelicturum esse occasionem, etiam pro officio medici opportune eumdem absolvet 2. — *b*) Si timeat ne ejus propositum instabile sit, præsertim eo quod et alias et iterato instabile fuit, et agatur de occasione *in esse*, quæ brevi dimitti possit, bonus ac prudens confessarius jubeat eumdem mox dimittere occasionem, rediturum postea ad recipiendam absolutionem: dimissa enim occasione, obligatio finitur. Isti occasionario intimare postest: « domum rediens ancillam dimitte, effigiem amicæ combure; mox te redeuntem absolvam ». E contra id opportunum non est, ubi agitur de occasione *non in esse;* obligatio enim eam vitandi perpetuo manet, nec per unam vel alteram vitationem finitur. Excipiunt casum, quo hæc vitatio requirat conatum positivum: ita feminæ, quæ a viro visitata et sollicitata sæpe consensit, imponatur ut eum positive repellat: « postquam illius (forte etiam presbyteri) vultum sandalo contuderis, te absolvam ».

Quid, si etiam in casu occasionis *in esse* dilatio timeatur esse nociva ? — In eo casu pœnitens mox absolvatur; eo quod supponitur hic et nunc esse dispositus. Porro inter alios casus, ille quoque heic admittitur, quo timeatur nè pœnitens sine absolutione dimissus sacramentis valedicat.

Qu. 2. Utrum, ubi agitur de occasione *in esse* proxima et voluntaria, confessarius, nedum possit, sed et omnino debeat absolutionem differre, quousque pœnitens occasionem removerit ?

Resp. Affirmative, quando ex adjunctis præteritis, præsentibus et futuris pœnitentis judicet hoc esse unicum medium, quo ille ad occasionem removendam induci valeat. Hypothesis generatim inverosimilis: at experientia docet eam non raro verificari in casu viri habentis penes se feminam non suam, quæ suis illecebris facile valebit quæcumque viri proposita obtundere; nam *omnis malitia, nequitia mulieris*, et *a muliere iniquitas viri*.

Evidenter ab hoc medio abstinendum erit, si forte noxium esse timeatur: quod si ad finem consequendum plura sint media, illud eligendum, quod efficax et minus pœnitenti durum esse speratur.

391. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quid confessarius agat cum pœnitente, qui versatur in occasione proxima necessaria, at vitare hucusque non potuit peccata, licet ad removendam moraliter occasionem omnia media sibi proposita adhibuerit ?

Resp. 1.° Si occasio est necessaria absolute, adeo ut eam deserere

2) Quod occasionarius iste prius occasionem dimittat dein absolvatur, id antiquiores proponebant, ut consilium; at non videtur erigendum esse in præceptum. Cf. BALL. *Num. 176, seqq.*; GEN. *373.*

sit prorsus impossibile, pœnitens, qui in ea necessario consistens, frequenter peccat, tractandus est ceu habituatus et recidivus ex fragilitate intrinseca; de quo dicemus inferius. Casus essent filiæfamilias, quam sæpe pertentat patruus vel sororius; parochi, qui non potest statim neptem domo expellere sine scandalo ingenti; puellæ, quæ sine periculo rixarum repellere non potest frequentes parochi visitationes, etc. In hisce et similibus casibus occasionem removere est prorsus impossibile; licet imposibile non sit physice.

2.° Si occasio est necessaria moraliter, adeo ut removeri non possit sine gravi detrimento famæ aut bonorum aut pacis domesticæ, quærendum in primis, num præter media proposita et a pœnitente, ut ipse dicit, adhibita, alia possint esse efficacioria, quibus periculum peccandi removeatur. Porro, juxta ordinem divinæ providentiæ, hujusmodi media exsistere debent: nam, ex una parte certe quisque tenetur non peccare; ex altera « non tenetur pœnitens occasionem proximam dimittere, si aliter grave damnum passurus sit; quia occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem peccandi » 3. Ergo imponantur hæc media efficaciora; quæ si pœnitens adhibeat, poterit, Deo juvante, periculum peccandi removere.

Qu. 2. Quid agendum cum pœnitente, qui, experientiâ teste, nullatenus cavere potest a peccatis, nisi occasionem prorsus deserat; hanc autem deserere nequit sine ipsius vitæ jactura?

Resp. De eo S. Alphonsus opinatur « hunc non posse absolvi, nisi occasionem deserat cum jactura etiam vitæ, si opus est; quando nulla emendatio, nec probabilis spes emendationis appareat » 4.

Dura sane opinio; de qua hæc breviter advertimus: *a*) Sanctus Doctor heic loquitur hypothetice; nempe in hypothesi quod ea occasio adeo proxima sit, ut homini in ea posito impossibile sit non peccare; in qua hypothesi evidenter ille teneretur etiam cum jactura vitæ occasionem removere vel evitare: cum teneatur potius mori quam peccare. — *b*) Non dicit, et nullibi dicit, eam hypothesim posse verificari; imo formâ universalissimâ eam excluserat, dicens: « occasio peccandi non affert necessitatem peccandi ». — *c*) Quidquid Sanctus Doctor de hac re tenuerit, cum quæstio sit proprie prudentialis illicitum non erit ab opinione recedere, quando ab ea recedunt plures et doctissimi viri: Pœnitens ille « probabilius non est absolute cogendus ut occasionem deserat; sed sufficit ut nunc serio velit adhibere media ad occasionem remotam faciendam. Proinde cum hac voluntate, nisi aliunde quid obstat, absolvi potest » 5.

Cur itaque nonnulli ex his theologis dicunt hujusmodi pœnitenti

3) S. Ligorius *Num. 455.*

4) S. Ligorius *Num. 457.* — Ei, præter Marc. *1826* et alios Redemptoristas, assentiuntur D'Ann. *Num. 340, 33;* Tanqu. *630.*

5) Genicot *Num. 374.* — Ex veteribus, cum De Lugo *Disp. XIV. 157, sequ.*, idem sentiebant *plures*, imo *plurimi*, apud eumdem D'Ann. *loc. cit.*

practice esse denegandam, aut saltem suspendandam, absolutionem? — Quidam dicunt esse denegandam ex dubio, utique fundatissimo, quod pœnitens ille caruerit, et nunc quoque careat, proposito vere efficaci: quare hi dicunt cum S. Alphonso dandam ei esse absolutionem, si præbeat signa extraordinaria doloris, vel, si ille sit in necessitate habendi statim absolutionem. Alii dicunt ei esse differendam absolutionem; ut hac ratione excitetur ad deserendam sub quocumque incommodo occasionem, vel ad adhibenda media efficaciora ad non peccandum. Illi præ oculis habent officium judicis et ministri; hi officium medici: censemus hisce potius esse adhærendum, quam illis. Practice utrique docent hujusmodi occasionariis intimandas esse divinas Christi sententias: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te;* etc. 6.

ART. II. — De habituatis et recidivis

392. *Habituatus* proprie a theologis dicitur ille, qui ex frequentia peccatorum speciei alicujus contraxit *habitum* seu proclivitatem, ex qua in peccata ejusdem speciei frequenter labitur 7. Tunc autem dicitur esse habitus inductus, cum homo vi illius, at non sine volendi libertate, in ea peccata labitur frequenter; ex. gr., quinquies vel sexies in mense, vel in materia fornicationum, sodomiarum, etc., semel in mense per annum: in peccatis vero internis delectationum vel desideriorum, aut etiam in peccatis blasphemiæ et similibus, major requiritur frequentia.

Usu satis communi dicitur *habituatus* et ille, qui frequenter consuevit peccare, etiam eâ frequentiâ, quæ proprie habitum seu proclivitatem non inducit; hic magis proprie dici posset *consuetudinarius*, vel, ut alii malunt, *incontinens*: ejusmodi est, qui frequenter Missam omittit, carnes diebus vetitis comedit, etc. Dum habitus proprie dictus minuit gravitatem peccati ex eo provenientis, nihil eam minuit simplex consuetudo, ni forte et eam augeat.

Nec proprie habituatus dicitur, qui habet et conservat et alit *affectum habitualem* ad peccatum: ejusmodi sunt, qui inordinate deperit amicam, qui odio inimicum prosequitur, qui Ecclesiæ auctoritatem contemnit, qui rem furtivam restituere recusat, etc.

Hic agimus de habituato in sensu proprio; juxta quem sensum de habituatis agunt communiter theologi.

Recidivus, sensu etymologico, dicitur ille, qui, postquam peccatum suum detestatus est et ab eo fuit absolutus, iterum ipsum committit, etiam semel. At sensu theologico, *recidivus* dicitur ille, qui *habituatus* erat, et post confessiones *habituatus* manet; et quidem, juxta S. Alphonsum, satis est eum manere habituatum post unam confessionem; juxta doctores antiquiores et plures recentes, necesse est eumdem

6) Matt. *V. 30, seqq.* — Præclara habet A. Lapide in *h. loc.*
7) Tractat S. Ligorius *Num. 459-464;* Ball. *213-545;* Ber. *De recidivis;* Verm. *543.*

manere habituatum post confessiones plures 8. — *Habitus* dicitur esse ante confessionem; *recidivitas* post unam vel post plures confessiones.

393. Cum habitus pravus facile trahat ad iteranda peccata, ideo habituati, sive ante, sive post unam vel plures confessiones, tenentur detestari tum singula peccata, tum ipsum habitum, causam in causa voluntariam futurorum peccatorum; item tenentur proponere, non modo cessationem a quocumque peccato actuali, sed et emendationem ipsius habitus inducti, sine qua ferme impossibile erit vitare peccata futura. Hinc relate ad habituatos et recidivos nulla habetur pro confessario difficultas specialis theoretica: si judicat vere illos habitum detestari ac ejusdem emendationem proponere, absolvet; si oppositum, non absolvet; si dubitat, absolvet in casu necessitatis sub conditione, extra casum necessitatis non absolvet. Hæc pro officio judicis. Pro officio medici, utrisque suggeret remedia opportuna, necessaria imponet; si quando prudenter judicat expedire, ut ad media adhibenda excitentur per dilationem absolutionis, absolutionem differet.

Verum difficultates practicæ habentur relate ad recidivos, præsentim qui tales sint post plures confessiones, et plures confessarii monitiones, et absque ulla emendatione. Nam, pro officio judicis, dubiæ videntur eorum dispositiones, tum in confessionibus præcedentibus, tum in præsenti: pro officio medici, ferme desperata videtur eorumdem emendatio, nisi confessarius ad extrema remedia recurrat. Hinc, pro utroque officio, non videtur danda eisdem esse absolutio, saltem statim, et toties quoties confitentur. — Ponimus ex S. Alphonso principia duo: unum pro officio judicis et ministri; alterum pro officio medici; quod proinde supponit pœnitentem judicari dispositum.

394. **Principia. I.** Pro officio judicis et ministri, « quoties pœnitens (recidivus) affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit ».

II. Pro officio medici, « certa regula in hoc statui non potest;.... regulariter discedendum non est a sententia communi; nempe, non esse differendam absolutionem pœnitentibus, qui relapsi sunt ex intrinseca fragilitate » 9.

395. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Principium, apud S. Alphonsum, valet, nedum pro pœnitente relapso post primam confessionem, sed et pro relapso post confessiones septem aut septuagintaseptem.

2.ª Judicium de veritate signorum in singulis casibus fieri debet a confessario ex elementis, quæ huic judicio dantur hic et nunc a quolibet

8) Cf. Ballerini *Num. 222, sequ.*; Lehmk *490*; Gen. *369*.
9) S. Ligorius *Num. 459, 463*; ubi agit ex professo de recidivis.

pœnitente: ut vero confessarius licite absolvat, satis est quod ea signa judicet esse vera judicio prudenti probabili.

3.ª Ad hoc ut confessarius judicet pœnitentem esse dispositum, et eum absolvat, necesse non est quod attendat ad futurum; nam « dispositio sufficiens est dolor et propositum præsens, non emendatio futura; atque ita pœnitens poterit absolvi, licet judicetur relapsurus ».

4.ª Ad hoc judicium efformandum improvide confessarius suspenderet absolutionem, quousque experientia temporis probet verum fuisse propositum et dolorem; cum « non raro evenire possit, quod quis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi hujus honestate contineat, et non sit dispositus » 10. Dicimus: *improvide;* quia hujusmodi suspensio cum hujusmodi pœnitentibus non raro damnosa erit.

5.ª Hæc applicanda quammaxime recidivis in ea peccata, quorum frequentia inducit habitum proprie dictum, quique causat proclivitatem et fragilitatem; ut sunt peccata blasphemiæ, delectationis morosæ, pollutionis, ebrietatis: facilius est enim hæc peccata sincere detestari, quam eorum habitum emendare; quare relapsus non probat defuisse propositum *in actu primo* efficax sese emendandi.

6.ª Potius ex frequentibus relapsibus confessarius jure dubitare poterit de dispositionibus pœnitentis consuetudinarii non proprie habituati; illius, qui alias et non semel promisit se Missam singulis diebus festis auditurum, carnes numquam feriis sextis comesturum, etc.; item illius, qui adhuc post plures promissiones versatur aut adire non cessat occasionem proximam voluntariam: de his, inquam, jure dubitabit num verum dolorem et propositum habuerint et habeant. Quid ergo cum his? — Caritate Christi incensus confessarius procuret eos ad veras dispositiones excitare, ut eis possit beneficium absolutionis impertire; hi enim absque absolutione dimissi certe numquam redibunt.

396. *Ex Princ. II.* — 1.ª Norma objectiva et suprema est majus bonum futurum, vel minus malum futurum, pœnitentis; et quidem non pœnitentium in genere, sed pœnitentis istius, cujus confessarius attendere debet indolem, inclinationes, dispositiones; imo et adjuncta accidentalia alicujus infortunii, sacræ missionis, periculi moriendi; aut etiam externa educationis, familiæ, officii, regionis.

2.ª « In peccata facile relabentibus utilissimum erit consulere, ut sæpe confiteantur (et absolvantur), et, si expediat, communicent » 11. Ratio est, quia istorum vires corroborandæ sunt gratia duorum sacramentorum: ad quem effectum nihil confert dilatio absolutionis.

3.ª Ex eadem ratione confiteri debent et communicare frequenter, et proinde absolvi, qui facile elabuntur ex habitu jam inducto, vel ex occasione, quæ sit aut absolute aut moraliter necessaria: nam hos quoque spectat communis illa theologorum sententia, a qua S. Doctor censet regulariter recedendum non esse. Utrisque recidivis prodesse quandoque

10) S. Ligorius *Num. 459.* — Cf. Bucceroni Comm. cit. *Num. 19.*
11) Rituale Rom. *Tit. III. De Pœnit. Cap. I. Num. 20.*

poterit excitatio per dilationem absolutionis; sed ea prodest *ex opere operantis;* dum sacramenta prosunt *ex opere operato.*

4.ª Absolutionis dilatio facilius proderit erga pœnitentem, qui plures promisit occasionem proximam *in esse* et voluntariam dimittere; quod si occasio hæc sit femina, hoc remedium ceu ferme necessarium traditur a theologis: idem cum debita proportione dicatur de pœnitente obligato ad restitutionem, ad denuntiatiorem, ad reconciliationem, ad scandali reparationem. Hisce ergo, postquam sæpius promiserint, sine effectu, emendationem, hoc remedium dilationis applicetur: dummodo, omnibus perpensis, utile fore speretur, et certe non nociturum prævideatur.

5.ª Generatim, quod theologus peritissimus sentiebat ducentis abhinc annis, id *a fortiori* tenendum esse hodie putamus: « Remedium differendi cum iis, qui prudenter judicantur dispositi, vix umquam erit adhibendum, ut emendentur; nempe, tunc solum, cum libenter acceptatur, ac tanta prævidetur utilitas, ut prævaleat omnibus damnis et periculis, quæ secum affert » 12. Cavendum in primis, ne pœnitens alienetur a sacramentis definitive.

397. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I., II.* — *Qu. 1.* Quomodo hæc principia concilientur cum doctrina S. Alphonsi: « recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suæ dispositionis » ?

Resp. Unica via conciliandi ea est, ut, vim voci inferentes, *signa extraordinaria* intelligamus « signa vera ». Porro hæc vis voci infertur non illegitime. Sane: *a*) Ipse S. Alphonsus inter signa, quæ appellat *extraordinaria,* refert quædam ordinaria; ex. gr., quod pœnitens sponte ad confessionem accedat, (hodie ad ipsam communionem paschalem acceditur *sponte*), quod promittat media adhibere aut præstita melius exsequi, et similia. — *b*) Ex toto contextu, ut signum non extraordinarium, ac proinde non sufficiens, unum exhibetur, quod, juxta *Prop. 60* ab Innocentio XI damnatam, pœnitens *ore proferat* se dolere et proponere emendationem: porro id in ea propositione significat proferre *oretenus;* quod profecto non est signum verum, nec ordinarium. — *c*) Hanc vim nobis licitam facit ipse S. Doctor, dum de recidivo docet: « semper ac aliquod adest signum, quo prudenter judicari possit pœnitens (recidivus) mutasse voluntatem, bene absolvi potest » 13. — *d*) Eam licitam faciunt ejusdem discipuli ac filii; juxta quos, unicum signum ordinarium insufficiens est nuda assertio, prout in damnata Propositione rejicitur. Quare doctrina S. Alphonsi rigidior est verbis, quam re; ac ab eodem sancto Doctore ita temperatur, ut in praxi vix ei locus esse possit, aut ne vix quidem. Hinc « putamus redeundum esse ad doc-

12) Francolinus *Clericus Rom. Lib. I. Disput. V. Num. 42.*
13) S. Ligorius *Homo apost. Tract. ult. Num. 13.*

trinam multo simpliciorem priscorum theologorum, quibus minutiores illæ et quasi mathematicæ regulæ de recidivis ignotæ erant » 14.

Qu. 2. Quid de axiomate pluribus theologis probato: « emendatio peccatoris securior omnibus regulis est norma, vel impertiendi, vel denegandi absolutionem » ?

Resp. 1.° Hæc norma, cuius pluribus auctor Concina, relate ad officium judicis *per se* nihil valet. Ratio est, quia « dispositio sufficiens est dolor et propositum præsens, non emendatio futura; atque ideo pœnitens poterit absolvi, licet judicetur relapsurus ». Dicimus eam nihil valere *per se*: nam confessarius, eo ipso quod judicat pœnitentem nunc habere propositum firmum et efficax, simul aliqualem spem habet ipsius propositum saltem partialiter futurum esse efficax *in actu secundo*: sed hoc est *per consequens*. Quare emendatio peccatoris non potest esse norma impertiendi vel denegandi absolutionem: ad summum poterit esse norma impertiendi mox absolutionem, vel eam ad breve tempus differendi; de qua re statim.

2.° Relate ad officium medici, emendatio poterit esse norma confessario, at sensu diverso ab eo, quo hoc axioma accipiebatur ab ejus auctore. Scilicet, quando confessarius ex dolore et proposito præsenti judicat pœnitentem posse mox absolvi valide et licite, ad decernendum utrum expediat eum absolvere mox, an ei absolutionem ad breve tempus differre, attendat ad spem emendationis ejusdem. Si ad hanc emendationem prodesse sperat absolutionem immediatam, eam statim impertiat: si sperat ad eam prodesse dilationem, differat; dummodo certus sit hanc pœnitenti, etsi culpâ ipsius, non fore nocituram. At simul advertat facilius exitialem fore errorem, quo absolutionem differat mox impertiendam, quam quo mox impertiat differendam.

ART. III. — De modo agendi cum pueris

398. Pro pueris obligatio suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ ex jure divino tunc incipit, cum ad usum rationis pervenerunt et insuper peccatum aliquod mortale commiserunt. Iidem vero tunc sunt ejusdem sacramenti capaces, cum, usum rationis adepti, vel unum commiserunt peccatum etiam mere veniale: quare ex tunc opportunum est, ut sua peccata cum debitis dispositionibus confiteantur, et sacramentalem absolutionem accipiant. (Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, cum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda » 15.

399. Relate ad pueros maxime verum est plerumque validitatem

14) Genicot *Num. 370;* D'Ann. *341, 34;* B3 . *296, seqq. 313, 317;* Marc. *1829, sequ.;* Noldin *396, sequ.;* etc.

15) S. Congr. *De Sacramentis* decreto *Quam singulari Num. 1.*

absolutionis, postquam a gratia Dei, magis a confessario pendere, quam ab ipso pœnitente. — Summatim hæc attendenda 16.

1.° Confessarius eos benigne et peramanter excipiat; ut jam a primo occursu invitentur ad sua peccata sincere et candide confessario, tamquam patri, aperienda.

2.° Curet ut primum ipsi pueri sua peccata manifestent, opportune, ubi opus sit, eos juvando. Ceterum interroget quoque de peccatis frequentius ea ætate occurrentibus; ut sunt inobedientiæ, furtula, litigia cum fratribus et sororibus, mendacia, negligentiæ in orando, distractiones in ecclesia, etc. et, quamvis in venialibus necesse non sit numerum exprimere, de hoc quoque forma generali interroget, ut instruat. Circa ea, quæ dedecent, « maxima debetur puero reverentia »; ac maxime relate ad pueros melius est deficere in plurimis, quam superabundare in uno; tamen interrogatio de his passim fieri debet; sunt enim qui, nisi interrogentur, de his nihil dicunt. — Item videat, num sciant quæ certo aut probabiliter sunt scienda et explicite credenda *necessitate medii*: ignorantes instruat.

3.° Caveat ne pueri conscientiam sibi efforment reatus mortalis in iis, quæ *per se* levia sunt: conscientiam jam efformatam erroneam corrigat. Simul insistat venialia quoque esse vitanda; utpote quæ et Deo displicent et animæ noxia sunt. At quod generatim edocendi sint circa *mysteria vitæ*, theoria est summopere nociva et immoralis, imo et error theologicus 17.

4.° Peccatis auditis, curet pœnitentem ad dolorem excitare, non per formulas, sed per opportunas interrogationes et monitiones; excitet eos primum ad dolorem imperfectum, memorato inferno pro mortalibus, purgatorio pro venialibus; dein ad perfectum, ostendendo Dei bonitatem et Jesum crucifixum. Eodem modo iisdemque motivis excitabit ad propositum firmum et efficax: at satis habeat propositum haberi hic et nunc.

5.° Si confessarius, pro certo habens puerum nullum commisisse peccatum mortale, dubitet num commiserit venialia; vel, certus ipsum commisisse venialia, dubitet num de his vere doleat, vel num sufficienter sciat quæ ad validitatem sacramenti scienda sunt, det ipsi pia monita et benedictionem; at non absolutionem: absolveret enim *sub conditione* absque causa proportionate gravi. Juxta sententiam communem causa haberetur sufficiens ad ipsum absolvendum ter vel quater in anno. — Eadem praxis quandoque applicanda cum personis, quæ se devotas habent.

6.° Satisfactionem pueris imponet leviorem, aut etiam pro morta-

16) Plura REUTER *Neoconf. Num. 86-88;* FRASSIN. *Dissert. XV.* § *4,* et *Manuale del Parroco nov. 411-428;* GENN. *Cons. mor.* LI.; GRAZIOLI *La confessione dei giovanetti* (Torino 1925).

17) Cf. *Civiltà catt.* 1916 IV. *459, sequ.*

libus non adeo gravem; insistens ut mox eam peragant. Simul pia monita addet, et pro diversitate peccatorum opportuna remedia.

400. Pueri, qui capaces sunt sacramenti Pœnitentiæ, imo et qui, habentes usum rationis, illius capaces non sunt defectu materiæ, capaces sunt sacramenti Eucharistiæ. Quare ad studium confessarii pertinebit pueros hujus sacramenti capaces ad ipsum suscipiendum adhortari ac disponere; et quidem, non solum quando pueri sacramentum suscipere tenentur ex præcepto, sed vix ac sunt ejusdem capaces; quando nempe, ex Doctore Angelico « incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus sacramenti »: ex tunc curabit ut « hujus admirabilis sacramenti cognitionem aliquam accipiant et gustum habeant » 18; sic autem instructos ac dispositos ad Christum adducet, qui est *panis vitæ*. Pueros enim ad primam communionem admittere, postquam ad parentes, ad parochos et confessarios pertinet; ad quos etiam pertinet curare, ut deinceps sæpius communicent aut etiam quotidie.

ART. IV. — De modo agendi cum personis devotis

401. Sensu theologico personæ *devotæ* sunt quæ animo prompto ac lubenti feruntur ad ea, quæ sunt in obsequium Dei; ac proinde eodem animo student ea facere, quæ Deus vult et quia ipse vult voluntate, sive imperii, sive beneplaciti. Hoc sensu possunt esse personæ devotæ in quocumque statu; etiam inter eos, qui attendere debent negotiis sæcularibus, curæ filiorum, artibus liberalibus, etc.

Sensu communiter recepto personæ *devotæ* sunt illæ, quæ, a negotiis sæcularibus exemptæ, vacare possunt et volunt iis quæ sunt spiritûs, ut sunt sacræ functiones, sacramenta, opera caritatis spiritualis in proximum, instructio puerorum in rebus fidei, etc.: inde et *spirituales* et *piæ* nuncupantur.

Hujusmodi personæ, præterquam gratiam Dei, postulant directionem et exhortationem confessarii, quem *patrem* appellant, at proprie habent doctorem et medicum. Quare heic nihil speciale pro officio judicis: quædam propria habentur pro officiis doctoris et medici 19.

402. Hæc vita devota constat elementis duobus: vitatione peccatorum, et progressu in virtutes; qui progressus exigit cognitionem ex parte intellectus, motum ex parte voluntatis.

Hinc tres gradus in vita spirituali: *a*) Hæ personæ ante omnia cavere debent a peccatis, etiam venialibus, quantum humana sinit fragilitas, studere emendationi pravorum habituum, vigilare super suas actiones, locutiones, cogitationes, etc. Priusquam attendant ad proficiendum,

18) S. Thomas *P. 3, In IV. Dist. IX Qu. 1. art. 5.*

19) Pro institutione tyronum didactica perutile opus P. Molin *Compendio del Direttorio ascetico....* (Verona 1904); item Naval *Theologiæ asceticæ et mysticæ cursus,* quem latine dedit Jos Fernander (Aug. Taur. 1925).

exsequantur quæ sunt præcepta: non detrahant, non mentiantur, non invideant, non imprecentur, non glorientur, etc. Qui sunt in hoc stadio, dicuntur *incipientes*, seu exsistentes *in via purgativa*. — *b*) Altera eorum cura sit, ut cognoscant quæ ab eis Deus vult. Ante omnia seipsos cognoscere studeant (cognitio perdifficilis, ex qua sequetur humilitas ex parte, tum intellectus, tum voluntatis): deinde a Deo quærant « Quid me vis facere ?.... Doce me facere voluntatem tuam ». Qui sunt in hoc stadio, et prout in eo sunt, dicuntur *proficientes*, seu versantes in *via illuminativa*. — *c*) Denique studeant ascensiones in corde suo disponere, ut, de die in diem proficientes, et juxta Christi vestigia gradientes, ipsum æmulentur, ipsum induant, de ejus vita vivant. In hac perfecta Christi imitatione ac intima unione cum Christo et per Christum cum Deo, in caritate, qua Deum super omnia diligant eique toto corde adhæreant, consistit perfectio christiana. Qui in hoc stadio sunt, dicuntur esse *in via unitiva;* dicuntur *perfecti;* licet hæc imitatio Christi et unio cum Christo gradus habeat indefinitos, et ideo nemo dici possit absolute perfectus.

Ceterum patet, quod distinctio data non est adæquata, seld desumitur ex charactere prævalente. Qui sunt in primo stadio, participare possunt et de aliis; qui vero sunt in tertio, forte plus primum sapiunt quam ipsi putent: nam « septies cadit justus ». Hinc speciali cura dirigendi ac erigendi qui, quocumque in gradu reperiantur, tentationibus, infirmitatibus et quandoque lapsibus, non semper levibus, animo dejiciuntur. In mentem eorum revocemus misericordiam Dei ceteris ejus perfectionibus antecellere, infirmitates vero ac lapsus humilitati fovendæ prodesse coram Deo, qui « superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ».

403. Juxta triplicem gradum, tria sunt elementa constitutiva vitæ spiritualis: — *a*) Primum est *alienatio a mundo*, h. e., a bonis et divitiis et deliciis, quæ sunt vanitas vanitatum et omnia vanitas. Proderunt illa: « Væ vobis divitibus.... Beati pauperes.... Vade, da pauperibus.... Qui non odit patrem suum, etc. ». — *b*) Alterum est *abnegatio sui ipsius*. Forte non est difficile relinquere sua, at valde laboriosum est relinquere seipsum. Huc spectat repressio passionum, mortificatio propriæ voluntatis ac perfecta indifferentia ad ea quæ Deus de nobis disponat, forte etiam per causas naturales aut per hominum inscitiam vel malitiam. « Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris ». — *c*) Tertium est *erectio mentis et cordis in Deum;* juxta illud: « Quæ sursum sunt quærite; quæ sursum sunt sapite ». Hac ratione vita nostra abscondita erit cum Christo in Deo, Deo vivemus, in Deo moriemur.

404. Demum innuenda media particularia: *a*) Oratio, quæ suis dotibus munita sit, humilitate, fiducia, perseverentia. — *b*) *Meditatio* veritatum supernarum; tum ad eruditionem mentis (doctrinæ evangelicæ, exempla Christi et Sanctorum); tum at retrahendam voluntatem ab humanis (tria priora novissima, parabolæ et sententiæ Christi); tum ad erigendum cor ad superna (beneficia divina, passio et mors Christi, SS. Eucharistia, Paradisus etc.). Complementum, et quandoque supplemen-

tum, meditationis erit *lectio spiritualis.* — *c) Examen conscientiæ,* seu sincera suarum actionum (et omissionum) externarum et internarum discussio quotidiana. Ejus materia non sunt peccata mortalia, sed venialia, et defectus: ejus finis non est confessio, sed sui ipsius cognitio et emendatio; hinc dolendum quidem de admissis, sed magis proponendum de non admittendis. — *d)* Efficacissimum est *examen particulare;* dummodo vere particulare sit et sincerum et a quovis amoris proprii influxu immune: pro admissis vel omissis, præter determinatum propositum, proportionata sibi imponatur pœnitentia: perutilis erit comparatio per dies, per hebdomadas, per menses, etc. — *e) Exercitium præsentiæ divinæ,* juxta illud « Ambula coram me, et esto perfectus ». — *f) Frequentia sacramenti Pœnitentiæ,* non tam ad absolutionem, quam ad directionem. Hinc e parte confessarii scientia ascetica et prudentia. Cavendum ab excessu, tum quoad frequentiam, tum quoad prolixitatem, maxime cum feminis. — *g) Frequentia Communionis Eucharisticæ*: ordinarie sit quotidiana; at attendantur normæ alibi traditæ. — *h) Mortificationes corporales;* magis quæ sint privativæ cibi aut potus aut somni, quam quæ illativæ alicujus pœnalitatis corporeæ. — *i) Mortificationes spirituales.* Ex his, quæ sunt acceptatæ (quod ego parvipendar, quod opinio mea nihili habeatur, etc.) numquam obsunt, semper prosunt: quæ sint quæsitæ (quod ego errores meos evulgem, quod me accusem, etc.) prodesse possunt et obesse. Confessarius istas proponat cum discretione; illas pro viribus urgeat, juxta illud: « Ama nesciri et pro nihilo reputari ».

ART. V. — De modo agendi cum moribundis

405. Objective, ad hoc ut moribundus absolvatur, requiruntur omnes et solæ conditiones illæ, quæ pro pœnitentibus communibus. Verum difficultates practicas quandoque creat ipsa moribundi conditio; tum, quia aliquando constare confessario non potest de sufficienti confessione et dolore; tum, quia dubitari quandoque potest, num quis, usu sensuum omnino destitutus, adhuc vivat, vel num religionem aliquam habeat, et qualem; tum, quia quandoque veritas ipsa dissimulanda est moribundo, ne ei noceat; etc. — Profecto erga moribundum omnis parocho et cuilibet sacerdoti caritas exhaurienda est, ut anima salvetur, pro qua Christus suum sanguinem fudit.

406. **Principia. I.** Moribundus, qui confessionem suorum peccatorum faciat formaliter integram, absolvendus est, et quidem sub forma absoluta. Ratio est, quia ipsa confessio jam est sufficiens manifestatio doloris; et ad validitatem absolutionis necessaria et sufficiens est integritas formalis.

II. Moribundus, qui usu sensuum destitutus, nullum dat signum doloris aut voluntatis confitendi, si in eo præsumi aliquo mo-

do possit contritio saltem imperfecta et voluntas confitendi, absolvi potest ac debet sub forma conditionata [20]. Ratio est, quia absolutionis denegatio exponit moribundum periculo damnationis æternæ; absolutio data sub forma absoluta exponit sacramentum periculo invaliditatis.

III. Moribundo sensibus destituto, quousque certe non constat eum vere mortuum esse, absolutio dari potest sub conditione « si vivis »; imo saltem semel dari debet, si prius et a brevi tempore data non fuerat [21].

407. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Absolvi debent, et quidem absolute, moribundi, qui confessario peccata sua accusant aliquo modo, gestu, nutu, capitis inclinatione; item, qui post factum signum crucis nihil dicere possunt aut innuere; qui Crucifixum oblatum osculantur.

2.ª Nec est eisdem abnuenda absolutio sub forma absoluta, si forte, eo quod non agnoscunt periculum, aut aliunde, vix ægre ad confessionem faciendam inducantur: prius tamen piis confessarii monitis disponendi sunt ac juvandi.

408. *Ex Princ. II.* — 1.ª Moribundi, qui, sensibus destituti, nullum edere possunt signum doloris aut voluntatis confitendi, prius tamen satis christiane vixerunt, absolvendi sunt sub conditione.

2.ª Item absolvendi sunt moribundi sensibus destituti, qui a juventute principia christiana imbuti, dein occasionibus externis studiorum, officii, militiæ, a recto tramite aberrarunt, ac exercitia christiana intermiserunt vel omiserunt omnino, quin ab Ecclesia recesserint. Adhuc enim sperare licet quod, morbo mortali correpti ac divina gratia adjuti, ad pristina sensa redierint et mori velint christiane.

3.ª Neque prædictis deneganda est absolutio, si sensibus destituti fuerunt in ipso actu peccandi; ex gr., in duello, in suicidio, in adulterio: adhuc enim sperare licet quod post impeditum usum sensuum facultatibus internis potuerint suum statum agnoscere, ac sua peccata detestari et optare confessionem.

409. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si sacerdos, ad moribundum veniens, audiat eum jam a semihora vel ab hora obiisse, ei dare potest absolutionem conditionatam; imo, nisi eum paulo antea absolverit, eum absolvere debet: adhuc enim probabiliter vivit [22].

3.ª Si agatur de adulto, qui obiisse dicitur ex causa repentina,

20) Relate ad difficultatem theoreticam, vide *Num. 222*, et auctores ibi citatos.

21) S. Ligorius *Num. 482*; Lehmk *273*; Noldin *294*.

22) Hæc et sequentia desumimus ex recentibus doctrinis medicorum. — Cf. Ferreres *La morte reale e la morte apparente*; Capellmann *Medic. pastor.* § *De signis mortis*: præterea ipsum Ferr. *Num. 846, seqq.*; cui hæsitanter adhærent Alb. *Op. cit. Num. 18 VI.*; Noldin *294, Nota*; Tanqu. *656*.

sive extrinseca, sive etiam intrinseca, eum absolvere potest conditionate, aut etiam debet, quosque signa putrefactionis non apparuerint: nullum enim, præter hæc, habetur signum mortis indubium.

2.ª Si agatur de infirmo, qui jam morbo lethali laborabat, at mortuus esse dicitur ex alio morbo superveniente, ex. gr., paralysi, hemoragia, syncope, etc., absolutionem ei dare potest, aut etiam debet, intra spatium duarum horarum circiter.

410. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum sacerdos absolvere debeat moribundum, quem usu sensuum destitutum reperit, si adstantes testentur eumdem petiisse confessarium?

Resp. Affirmative; juxta plures, sub forma absoluta; juxta quosdam, sub forma conditionata. Ratio dubitandi quorumdam ea erat, quod heic desit confessio facta confessario præsenti: at opinio nunc communis est absolutionem ex isto capite invalidam non esse; quare certe dari potest absolute, licet ejusdem sit efficaciæ quæ detur conditionate. — Idem dicendum de casu, quo infirmus ancillam miserit ad confessarium; ea autem nunc præsens in cubiculo non adsit.

Qu. 2. Quid agendum confessario cum moribundo compote sui, qui non videtur recognoscere obligationem, qua tenetur?

Resp. Generatim servanda, quæ servanda esse diximus de monitione danda vel non danda pœnitenti cuicumque. At hoc advertendum, quod monitio, quæ prævideatur obfutura, multo periculosior est in casu præsenti, quam in casu pœnitentis benevalentis; et ex altera parte, si obligationis exsecutio forte exigatur a bono publico vel a bono privato, monitionis omissio huic bono præjudicat irreparabiliter. Quare confessarius anxius versabitur inter duas obligationes oppositas: alteram tacendi, alteram monendi.

Practice, si monitio prorsus inutilis, et proinde pœnitenti nociva, fore prævidetur, eam confessarius omittat, etiamsi agatur de bono publico, cui nihil proderit. Ita dicunt hujusmodi moribundum non esse monendum de obligatione denuntiandi confessarium sollicitantem: item, nec de obligatione reparandi scandalum, quod reapse dedit diffundendo errores, retinendo feminam non suam, acquirendo bona ecclesiastica, etc.; quod tamen se non dedisse putat 23. Simul vero confessarius omni studio curabit animum illius moribundi disponere ad eas monitiones acceptandas et implendas; utatur potius consiliis, quam præceptis: at mente teneat sibi primum officium incumbere, ut ejus animam salvet.

Qu. 3. Quid confessarius agat cum moribundo compote sui, qui sit concubinarius?

Resp. Id quod ageret cum pœnitente quocumque: « aut eam dimitte vel duc in uxorem, aut te non absolvo ». Si utrumque sit impossibile, exigat promissionem quod alterutrum præstabit vix ac possibile erit, ac interim omnem carnalem affectum deponat, concubinam in cu-

23) Cf. FRASSINETTI *Manuale del Parr. nov. Num. 370, seqq.;* De jubente se cremari cf. GENN. *Quest. mor. 577.*

biculum non admittat, nec ejus opera utatur extra casum strictæ necessitatis; insuper promissionem exigat quod scandalum, si habetur, omnimo reparabit, saltem promissione coram testibus assumpta. Hæc præstantem absolvat: renuentem non absolvat; absurdum est enim haberi bonam fidem. — Inde deducas quid agendum cum ipsa concubina, si forte in domo concubinarii infirmetur.

411. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum absolvi possint illi, qui et benevalentes et infirmi, quousque valuerunt, officia sacerdotis respuerunt?

Resp. 1.° Si agatur de illis, qui aliqua christianorum officia in vita exercuerunt, *affirmative*. Hujusmodi sunt, qui, si non singulis diebus festis, saltem aliquando Missæ adsistebant, suis filiolis sacramenta Baptismi et Confirmationis procurarunt, ex insistentia uxoris feria sexta majoris hebdomadæ et in vigilia Nativitatis Dominicæ a carnibus abstinere consueverunt, etc. De his abhuc in eo discrimine sperare licet quod velint mori christiane.

2.° Si agatur de illis, qui in vita sua, jam ab Ecclesia apostatantes, facti sunt liberi cogitatores, massones, anticlericales, suamque apostasiam et odium in Ecclesiam publice jactarunt, nunc vero graviter infirmantes adhuc sacerdotem recusarunt; quod nunc sacerdos ab uxore vocatus quempiam ex istis absolvat, eo quod ille a respuenda absolutione physice impeditur, id auctoribus pluribus absonum esse videtur; tum, quia præsumi in eo infirmo non potest voluntas moriendi christiane sine miraculo gratiæ Dei, quod non debet ullatenus præsumi; tum, quia hæc absolutio in illis adjunctis exponeretur irrisionibus adstantium, forte æque antireligiosorum ac sit ipse moribundus; tum, quia hæc ratio agendi scandalo esset fidelibus [24]. — Tamen alii sunt et graves theologi, qui in eo quoque casu tentandam esse malunt illius animæ salutem per absolutionem conditionatam, quamquam ejus consequendæ tenuissima spes habeatur, hanc vero haberi putant, nedum confisi infinitæ misericordiæ Dei, sed etiam freti perversioni conceptuum hodie nimis universim inductæ [25].

Perpensa gravitate rationum pro utraque parte, et auctoritate contendentium, censemus casum hunc esse, quo laudandus quidem sit confessarius, qui practice sequatur sententiam posteriorem; quin sit vituperandus, qui sequatur priorem; neque hunc casum esse, in quo et qui theoretice adhæret sententiæ priori, teneatur practice sequi posteriorem.

Qu. 2. Quid agendum sacerdoti, qui in nosocomio vel in domo privata coram se habeat hæreticum moribundum?

24) Ita AERTNYS *Theol. mor.* II. *Lib. VI. Num. 196;* TANQU. *654 e;* NOLDIN *293,* licet thesim statuat: « dispositio semper supponenda est, nisi certo constet eam deesse »: inclinat etiam D'ANN. *317* in fine.

25) Cf. GENICOT *Num. 298 Reg. II.;* FERR. *608, 6;* MÜLLER *Theol. mor. Lib. III. 166;* GENN. *Cons. Mor. LVII.*

Resp. 1.° Certe curabit ipsum excitare ad actus amoris Dei et detestationis ac doloris suorum peccatorum; insuper, saltem si fructum sperat, curabit eum ad fidem catholicam attrahere et sacramentis Ecclesiæ munire.

2.° Si ille videatur fuisse hæreticus materialis, seu in bona fide, ac mors urgeat, confessarius, quin expresse de fide catholica necessario suscipienda moneat, poterit ipsum excitare ut sua peccata contritione, si fieri potest, perfecta detestetur, ac paratus sit ea omnia facere quæ Deus ad salutem æternam consequendam fieri voluit; sic vero dispositum absolvat sub conditione. Ita communiter recentes; licet S. Alphonsus censuerit hæreticum numquam esse absolvendum, nisi expresse petat confessionem, eo quod signa doloris non potuerunt in eo esse ordinata ad sacramentum, quod non credit: quæ ratio certe infirma est.

3.° Si hæreticus ille jam sit usu sensuum destitutus, certe absolvendus est sub conditione, si fuit hæreticus mere materialis. Imo sententia quorumdam est eum absolvi posse, etiamsi fuerit hæreticus formalis, aut formaliter schismaticus vel apostata; tum, si quædam prius edidit signa pœnitentiæ; tum, si nulla: ratio eorum est, quia iste quoque pollere adhuc potest facultatibus intellectualibus, illisque suos errores ac sua peccata detestari. Dubitamus num hæc opinio vere et solide probabilis dici queat; adeo ut confessarius practice eam sequi teneatur.

412. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Utrum dicendus sit graviter peccare parochus vel confessarius, qui sacramentalem absolutionem non dat illi, quem medicus mortuum esse declaravit?

Resp. Verissime docent theologi sacramenta Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis, si nondum data sint infirmo, ei danda esse ex præcepto caritatis aut etiam justitiæ, quotiescumque probabile est esse valida. Tamen in re præsenti dubitamus, num novæ theoriæ adeo gravibus argumentis fulciantur, ut vere et solide probabiles dici debeant, ea probabilitate, quæ jubeat eas practice sequi, tamquam medium unicum tutum ad salutem æternam moribundi. Quod confirmatur ex eo, quod theologi recentes hanc abligationem nimis urgere non soleant; imo, fatente acerrimo earum theoriarum propugnatore, plures etiam negent 26: accedit, quod in re tanti momenti Ecclesia hucusque nihil edixit. Hinc laudandus quidem confessarius, qui accedens ad moribundum, quem medicus aut alia persona æque perita mortuum esse declaravit, det ei absolutionem etiam post duas vel tres horas: at non censemus peccati mortalis reum esse sacerdotem, qui absolutionem non det, nisi post unum vel alterum quadrantem, aut post unam circiter horam, si agatur de morte repentina.

26) Ferreres *Num. 849-856;* Noldin *294.* — Cf. Berardi *De doctrina nova circa mortem realem,* etc.: contra quem iterum Ferreres, Géniesse et alii. — De *euthanasia* diximus *Lib. I. Num. 309.*

Qu. 2. Utrum moribundo, qui jam tria sacramenta accepit, frequenter iteranda sit sacramentalis absolutio?

Resp. Quæstio magis spectat ad opportunitatem, quam ad proprie dictam obligationem. Itaque: *a*) Si infirmus sensibus viget, certe bonum est, quod ille renovet actus doloris, et eum confessarius absolvat: habetur enim iterata peccatorum remissio a Deo et novum augmentum gratiæ sanctificantis: opportune id fiet semel vel bis per diem, præsertim ante noctem. — *b*) Si infirmus jam usu sensuum destitutus est, adhuc opportunum est, quod sacerdos absolutionem iteret, postquam ad ejus aures actum contritionis suggessit. In casibus ordinariis id expedire dicitur ter vel quater in die: frequentius vero, si confessarius novit moribundum sæpe tentationibus exagitari.

TRACTATUS QUINTUS

DE EXTREMA UNCTIONE

413. *Extrema Unctio* definitur « sacramentum, quo per unctionem olei et orationem sacerdotis, adulto infirmo vita periclitanti confertur salus animæ, et quandoque etiam corporis ». Quibus verbis indicantur quæ sint hujus sacramenti propria; nempe: *a*) materia, *b*) forma, *c*) minister, *d*) subjectum, *e*) effectus.

Quod Extrema Unctio sit verum sacramentum, veritas est de fide. Ea a theologis demonstratur in primis ex verbis, quibus hoc sacramentum commendatur et promulgatur a S. Jacobo: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ; et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei* [1]. Accedit confirmatio ex antiquissimis liturgiis, ex Patribus, ex consensu Ecclesiarum etiam ab unitate Romana separatarum; demum veritas sacramenti definita fuit contra protestantes a Concilio Tridentino [2]. — Nobis agendum de re morali.

CAPUT I.

DE MATERIA EXTREMÆ UNCTIONIS

414. **Principia. I.** Materia remota valida Extremæ Unctionis est oleum olivarum, benedictum ab Episcopo aut a presbytero, qui benedicendi facultatem a Sede Apostolica obtinuerit. Materia licita est oleum benedictum recentiori feria quinta in Cœna Domini.

II. Materia proxima valida est materiæ remotæ applicatio ad corpus subjecti per unctionem. Materia licita est unctio quinque sensuum facta pollice dextero in modum crucis: in casu autem necessitatis sufficit una unctio in uno sensu, seu rectius in fronte [1].

415. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Sacerdos, adsistens infirmo moribundo et carens oleo infirmorum, frustra oleum benediceret, ut cum eo sacramentum hoc ministret infirmo: nam « oleum a

1) Jac. *V. 14, 15*: insinuatum apud Mr. *VI. 13.* — S. Thomas *Supplem. Qu. 29-33;* S. Ligorius *Lib. VI. Num. 706-733;* Palmieri, apud Ball. *V. Tract. X. Sect. V.*

2) Concilium Trid. *Sess. XIV. De Extrema Unct. Cap. I.*, et *Can. 1.*

1) Codex *Can. 947 § 1.* — S. Off. 26 apr., 1906, apud *Monit. eccles.* VIII. 145.

presbytero benedictum est materia prorsus inepta huic sacramento, et ne in extrema quidem necessitate potest adhiberi » 2.

2.ª Oleo, quod est sacramentale permanens et simul sacramenti materia, summa debetur reverentia; hinc debet esse recenter benedictum et singulis annis renovatum.

3.ª Oleum decursu temporis aut aliis causis substantialiter corruptum non est materia valida Extremæ Unctionis: e contra, oleum non renovatum est quidem materia illicita, at non exinde invalida: hinc valide et licite adhibetur, si recens non habeatur.

4.ª « Oleum infirmorum parochus loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stanneo diligenter custodiat; nec domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia » 3. Nec minus curandum, ut summa cum reverentia ad infirmos deferatur.

416. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si sacerdos oleum super sensus infirmi distillet, sacramentum non habetur: ungere enim significat « oleo linire ».

2.ª Ad validitatem sacramenti sufficiens est quod quinque sensus ungantur in capite; hæc enim unctio sufficienter significat effectum primarium sacramenti, seu sanationem spiritualem. Quod fiant unctiones manuum, pedum, et quædam duplices, hoc est ex præcepto Ecclesiæ, et quidem *per se* gravi.

3.ª Item ad validitatem sacramenti indifferens est, quod unctiones fiant per manum aut digitum, vel per pennicillum aut quid simile. At lege Ecclesiæ præscriptum est, quod fiant pollice: aut saltem « extra casum gravis necessitatis unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant » 4: necessitas haberetur in casu morbi contagiosi.

417. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum ad validitatem Extremæ Unctionis requiratur quod oleum benedictum fuerit benedictione propria olei infirmorum?

Resp. Duplex apud S. Alphonsum affertur sententia, utraque vere probabilis. Ex qua utriusque sententiæ probabilitate duplex habetur consectarium practicum certum:

1.um Sacerdos regulariter tenetur *sub gravi* adhibere oleum benedictum benedictione propria olei infirmorum: secus enim exponeret sacramentum periculo invaliditatis.

2.um In casu necessitatis, nempe, si sacerdos in cubiculo infirmi advertat se pro oleo infirmorum aliud oleum benedictum secum attulisse, et mors urgeat, sacramentum conferat utens oleo, quod habet: at conferat sub conditione: si infirmus vitam protrahat, curet ipsum oleo infirmorum iterum ungere, sub conditione quod prima unctio invalida fuerit.

2) Congr. S. Off. 5 maji 1878. — Cf. Genn. *Quest. mor. Num. 368.*

3) Codex *Can. 735, 946.* — Rationabilis causa posset esse distantia domus canonicæ ab ecclesia.

4) Codex *Can. 947 § 4;* Rituale *Tit. V. Cap. I. Num. 16.*

Codex ait quod oleum debet esse *ad hoc* benedictum: at dubitamus num per hoc intenderit quæstiones theologicas dirimere.

Qu. 2. Utrum oleum renovandum sit quotannis *sub gravi*?

Resp. Hoc ut probabilius habent S. Alphonsus et alii; eo quod id exigi videatur a reverentia eidem oleo et sacramento debita [5]: insuper regulariter benedictum esse debet ab Episcopo diœcesano.

Quod si oleum infra annum deficere videatur, eidem admiscere licet oleum non benedictum; et sic etiam pluries; dummodo pars olei admixti semper minor sit ea olei quantitate, cui admiscetur.

Qu. 3. Utrum una olei guttula ad validitatem sacramenti sufficiat?

Resp. Sententia affirmans hodie certa dicenda est, cum constet validum esse sacramentum per unicam unctionem, ad quam vel una guttula sufficit. Tutius est oleo extremitatem pollicis ad singulas unctiones intingere.

418. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum ad validitatem sacramenti requirantur unctiones quinque, aut etiam plures?

Resp. Hodie sententia negans habenda est ut certa ex responso S. Officii, quo declaratum fuit in casu necessitatis sufficere formam, quæ singulorum sensuum mentionem non facit, et unicam supponit unctionem. — Hinc multo minus ad validitatem requiritur unctio pedum, unctio duplex in sensibus geminis, ac ordo inter varias unctiones a Rituali præscriptus.

Qu. 2. Utrum sit vere præceptiva Rubrica de ungendis sensibus quinque, et quidem unctione duplici qui gemini sint?

Resp. Ad 1.um *Affirmative*, et quidem *sub gravi*: ita communiter sentiunt theologi. At non eodem gradu obligatoria est unctio pedum, eo quod jam quinque sensus uncti fuerunt.

Ad 2.um *Affirmative*, et juxta plures, *sub gravi*. Simul tamen concedunt omitti posse secundam alicujus sensus unctionem, etsi difficultas non adeo gravis habeatur; quod juxta normas consuetas indicaret obligationem esse levem [6]. — Si infirmus membro truncatus sit, ungatur pars illi loco proxima, servata eadem verborum forma.

CAPUT II.

DE FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS

419. **Principium.** — Forma hujus sacramenti valida consistit in verbis: « Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti: Amen ». Verum ex rubrica Ritualis præceptiva, extra casum necessitatis, adhibenda est forma: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam

5) S. Ligorius *Num. 708;* Noldin *448;* Gen. *416.*
6) Cf. Lehmkuhl *Num. 574;* Marc *1877: simul* D'Ann. *420;* Ber. *4998.*

indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (inuncto oculo, et sic de aliis) deliquisti : Amen » [1].

420. **Resolutiones.** — 1.ª Expressio cujuslibet sensus in eo ungendo, requiritur quidem ad liceitatem extra casum necessitatis, at non ad validitatem.

2.ª Si necessitas habeatur urgens, at non urgentissima, sacerdos valide et licite sacramentum confert, si, ungens quinque sensus in capite, dicat : « Per istam unctionem.... indulgeat tibi Dominus quidquid per sensus deliquisti ».

3.ª Si propter urgentem necessitatem unica facta fuerit unctio in fronte per unicam formam, ac dein infirmus supervivat, supplendæ sunt unctiones, et quidem sub forma absoluta : sacramentum enim valide collatum fuit, et per has unctiones perficitur [2]. Dein et recitandæ sunt preces forte omissæ ; e quibus quæ sequuntur unctiones præ gravitate et efficacia præferendæ sunt iis, quæ antecedunt.

4.ª Inter unctionem et verba formæ haberi debet unio moralis.

5.ª Sacerdos sacramentum ministrans, extra casum necessitatis servare debet omnes ritus et recitare omnes preces, quæ habentur in *Rituali* : nam tum ritus, tum preces præscribuntur rubricis, quæ censentur præceptivæ.

CAPUT III.

DE MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS

421. **Principium.** — Omnis et solus sacerdos est minister collationis validæ hujus sacramenti. Minister collationis licitæ est parochus, et sacerdos de licentia parochi.

422. **Resolutiones.** — 1.ª Invalide hoc sacramentum ministrarent laici, etsi seniores : *presbyteri* enim in Epistola S. Jacobi sunt tantum sacerdotes. Eadem de causa invalide ipsum ministraret clericus vel diaconus.

2.ª Sacerdos, qui absque parochi licentia saltem præsumpta hoc sacramentum ministraret, valide ministrat, at *per se* peccat graviter.

3.ª In Ecclesia latina unus tantum sacerdos omnes unctiones peragat : quod plures simul, unus unum sensum, alius alium, prohibitum est *sub gravi ;* excepto casu, quo timeatur infirmus decessurus antequam omnes unctiones ab uno ministro perficiantur.

423. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum parochus teneatur *sub gravi* ministrare suis filianis moribundis Extremam Unctionem ?

1) Rituale Rom. *Tit. V. Cap. I. 20. Cap. II. 8.*
2) Codex *Can 947 § 1 ;* S. Congr. S. Off. 7 mart. 1917, apud *Monit. eccl.* XXIX. 164-167 ; Verm. *651.*

Resp. Affirmative, propter quasi-contractum ab ipso initum cum parochianis. Hinc tenetur *sub gravi* hoc sacramentum conferre, tum petentibus, tum illis, qui petere præsumuntur, atque ideo non petunt, quia suum statum ignorant. Parochus hisce debet sacramentum ministrare, etiamsi ipsi acceperint sacramentalem absolutionem et communionem per viaticum, et proinde censeantur esse in gratia; adhuc enim jure sacramentum hoc exigunt, vel jure exigere præsumuntur propter bona spiritualia et forte etiam corporalia ex eodem provenientia. Imo parochus tenetur facere quantum est in se, ut hoc sacramentum accipere velint et illi, qui ex infirmitate fidei et mala voluntate ab eo abhorrent. — Nomine *parochi* venit, nedum quasi-parochus, sed et sacerdos ille, cui ex parochi commissione et cum respondente emolumento demandata est cura infirmorum.

Qu. 2. Utrum parochus (vel qui pro ipso) teneatur hoc sacramentum conferre etiam cum periculo vitæ propriæ?

Resp. Negative, si illi infirmo sufficienter confesso data fuit sacramentalis absolutio: secus, *affirmative*. Ratio est, quia in primo casu non est illi infirmo necessaria Extrema Unctio ad justificationem et ad vitam æternam; dum ex communiter contingentibus ei necessaria esse pot est in altero casu.

Eadem obligatio incumbit ceteris sacerdotibus, caritate: quare ex gravissimo incommodo facilius excusatur sacerdos simplex, quam parochus. Insuper, dum parochus tenetur periculo suam vitam exponere etiam in necessitate gravi filiani sui, alius sacerdos tenetur tantum in necessitate extrema. Pro utroque subintellige, quod spes habeatur procurandi infirmo salutem æternam: hanc spem quidam exigunt esse moraliter certam; quod forte numquam verificabitur.

« Gravissime peccant sacerdotes, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam vita et sensibus carere incipiat » [1].

Qu. 3. Quomodo Extrema Unctio ministrari debeat pluribus infirmis in eodem cubiculo degentibus?

Resp. « Quando pluribus simul infirmis hoc sacramentum ministratur, sacerdos singulis ægrotis crucem pie deosculandam porrigat, omnes preces, quæ unctiones præcedunt, plurali numero semper recitet, unctiones cum respectivis formis super singulos ægrotos efficiat, omnes vero preces, quæ unctiones subsequuntur, plurali numero semel dicat » [2].

CAPUT IV.

DE SUBJECTO EXTREMÆ UNCTIONIS

424. **Principia. 1.** Subjectum capax Extremæ Un-

1) CATECH. Conc. Trid. *De Extrema Unct. Num. 9* — Cf. FERR. *Num. 483 Qu. 8.*

2) RITUALE *Tit. V. Cap. I. Num. 22.*

ctionis est homo baptizatus, qui ad usum rationis pervenerit, et sit infirmus vitâ ex infirmitate periclitans.

11. « Hoc sacramentum non est conferendum illis, qui impœnitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione » [1].

425. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Invalide hoc sacramentum daretur infantibus non habentibus usum rationis, vel quasi-infantibus, ut essent amentes a nativitate; item infirmis, qui non sint vita periclitantes; demum sanis vita periclitantibus, ut essent capite damnati, prælium inituri et qui subituri sunt operationem chirurgicam, nisi jam gravi morbo laborent.

2.ª E contra valide datur infirmis periculo moriendi proxime obnoxiis; sive ex partu difficili, cum mulier torqueri incipit cruciatibus, sive ex vulnere accepto aut ex veneno.

3.ª Valide datur, et dari debet, pueris habentibus usum rationis, licet probabiliter judicentur nullum peccatum, ne veniale quidem commisisse.

426. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum adsit obligatio gravis recipiendi Extremam Unctionem.

Resp. a) Ex sententia hodie fere communi, *negative*. Christus enim sua divina miseratione hoc subsidium infirmis vita periclitantibus instituit; at nullum eo utendi præceptum dedit. Hinc infirmus *per se* hoc sacramentum accipere non tenetur; ac imprudenter simul et injuste ageret confessarius, qui renuenti suscipere injiceret conscientiam peccati mortalis. — *b*) Infirmus tamen hoc sacramentum respuens peccare posset *per accidens;* tum, si respueret ex contemptu; tum, si cum gravi scandalo aliorum, ut si ipsum respueret sacerdos vel religiosus. Item peccaret infirmus in hypothesi haud facili, quod nullum medium haberet recuperandi statum gratiæ præter Extremam Unctionem. Plures dicunt infirmum ad hoc sacramentum suscipiendum teneri ex caritate erga se ipsum: at mox addunt hanc obligationem non esse gravem.

Licet moribundus non teneatur hoc sacramentum suscipere, tamen jus habet suscipiendi: hinc in parocho obligatio gravis ex justitia ministrandi. — Insuper ex pietate tenentur infirmum de gravi periculo monere qui ejus curam habent, parentes, conjux, superiores; item erga quosdam infirmos ex justitia, erga omnes ex caritate, tenentur medici et infirmarii; amici, domestici, etc. tenentur tantum ex caritate.

Qu. 2. In quo stadio infirmitatis conferendum sit hoc sacramentum?

Resp. 1.° Ut conferatur valide et licite, sufficit quod infirmus laboret morbo vere gravi, adeo ut judicio viri prudentis secum ferat periculum mortis. Si morbus non sit gravis, sententia communis tenet sacramentum esse invalidum; quare in dubio de gravitate morbi sacramentum

1) Codex *Can. 942;* Rituale *Cap. I. Num. 10.*

videtur esse differendum. Practice, sacerdos in hoc casu differat, si ipse permanere potest ac vult penes infirmum: si discedere debeat, præsertim ante noctem, et domus infirmi longe a domo canonica distet, sacramentum antea ministret, sa'tem sub forma conditionata, ne forte infirmus absque sacramento decedat.

2.° Item confertur valide et licite iis, qui senio confecti videntur deficere in dies: quin imo declaratum fuit missionarios licite hoc sacramentum conferre iis, qui infra annum morituri prævidentur ex debilitate senili, ex ethica febri, vel ex alio morbo, etsi per plures menses duraturo, si, ea occasione missionarii transeuntis prætermissa, hujusmodi infirmi privandi essent extremis sacramentorum subsidiis. Quæ declaratio potest esse norma pro casu nuper indicato.

3.° Generatim, quando conferri potest infirmo sacra communio pro viatico, eidem conferri quoque potest Extrema Unctio. At advertendum, quod dum viaticum conferri potest pluries, Extrema Unctio nonnisi semel; ac insuper hæc operatur suos effectus, et inter hos remissionem peccatorum et abstersionem reliquiarum peccati, quando suscipitur; quos effectus bonum est operari paulo ante mortem. Quare, ubi non timetur catastrophes repentina aut privatio usus sensuum, opportunum esse censemus ut hoc sacramentum nonnihil differatur.

Qu. 3. Utrum, et quandonam, hoc sacramentum iterabile sit?

Resp. Nedum illicite, sed et invalide, iteraretur in eodem morbo et eodem periculo: e contra valide et licite iteratur, tum in morbo alio ab eo in quo fuit prima vice collatum, tum in alio ejusdem morbi periculo. Hinc ad sacramentum iterandum satis est quod medicus dixerit infirmum modo esse extra periculum, ac dein iterum affirmaverit eum in periculo versari.

Quid in dubio num infirmus cessaverit aliquo tempore esse in periculo? « Ne nimis scrupulose se gerant parochi; sed, si dubitent an revera status morbi sit immutatus, vel an nunc idem vel diversum adsit vitæ periculum, ad sacramenti iterationem procedant, per quam subsidium obvenit infirmo » 1.

Qu. 4. Quænam in subjecto per se capaci requirantur conditiones ad hoc sacramentum valide suscipiendum?

Resp. Requiritur et sufficit intentio actualis vel habitualis, aut saltem implicita seu interpretativa recipiendi sacramentum. Hinc dari potest ac debet saltem sub conditione, illis infirmis usu sensuum destitutis, qui verosimiliter sacramentum petiissent.

Qu. 5. Quandonam Extrema Unctio ministranda sit sub conditione?

Resp. Quoties dubitatur de exsistentia conditionis ad ejus validitatem requisitæ: num infirmus (puer, aut adultus ab infantia deficiens) usum rationis sufficientem adeptus sit; num morbus sit vere gravis cum

1) Benedictus XIV *De synodo diœc. Lib. VIII. Cap. VIII. Num.* 6.

periculo mortis; num infirmus vivat; num intentionem habeat saltem implicitam recipiendi Sacramentum 2.

427. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quænam in subjecto requirantur dispositiones ad hoc sacramentum licite recipiendum?

Resp. Requiritur status gratiæ, ab exsistente in peccato mortali recuperandus per confessionem sacramentalem aut per contritionem perfectam: ratio, est, quia hoc sacramentum primario est vivorum. Si nec confessio habeatur nec contritio, sacramentum valide adhuc suscipitur ab homine ad justificationem disposito per attritionem: nam Extrema Unctio secundario est sacramentum mortuorum. Quare confessarius adsistens moribundo, qui nullum signum doloris edere valet, curabit eumdem ad dolorem saltem imperfectum excitare, dein (saltem conditionate) absolvet; atque sacramento Extremæ Unctionis muniet. Hoc in casu tutior erit validitas Extremæ Unctionis, quam absolutionis; nam pro illa necessarius et sufficiens est dolor internus; hæc probabiliter exigit etiam externam doloris manifestationem, quæ in casu non habetur.

Qu. 2. Quibus denegandum sit hoc sacramentum?

Resp. Hominibus non baptizatis denegandum est absolute. Ordinarie denegandum est: *a*) hæreticis formalibus, *b*) excommunicatis, *c*) illis qui ipsum recusant, *d*) « illis qui impœnitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant » 3. — At denegandum non est hæreticis mere materialibus, neque hæreticis formalibus qui aliqua ratione ad illud volendum saltem implicite et interpretative adducantur, neque illis qui cessante usu rationis a sacramento recusando cessarunt, neque illis qui usu rationis privantur in ipso actu peccandi vel perdurante in peccato mortali contumacia 4.

Hisce omnibus dabitur ne Extrema Unctio absolute, vel conditionate? — Relate ad intentionem infirmi recipiendi Sacramentum, detur sub conditione, licet mente tantum concepta. At relate ad ipsius dispositiones, detur absolute. Tunc enim, dato quod infirmus, nunc (forte non in mala fide) indispositus, dein disponatur, sacramentum reviviscet; dum, si detur sub conditione « si es dispositus », deficiente dispositione, invalidum est, nec adveniente dispositione reviviscet. Nec obstat quod hac ratione agendi sacramentum exponitur periculo invaliditatis: nam *sacramenta propter homines.*

Illi moribundo, quem sacerdos aut ex confessione aut aliunde secreto novit esse indispositum, debet hoc sacramentum conferre, saltem sub forma conditionata; quando, aut ipse infirmus, aut ejus familiares petunt hoc sacramentum eidem ministrari: secus enim scandalum et infamia sequerentur.

2) Casus collationis sub conditione, quem respicit CODEX *Can. 942*, supponit dubiam esse intentionem, non dispositionem. Cf. NOLDIN *Num. 445;* VERM. *184, 2;* ARREGUI *666.*

3) CODEX *Can. 942.* — At contumacia illius, qui sit usu sensuum destitutus, certa esse non potest. VERM. *Num. 662.*

4) Cf. LEHMKUHL *Num. 567;* NOLDIN *l. c.*

Qu. 3. Quid, si sacerdos vocetur ad infirmum usu sensuum carentem, qui sacramentis et ecclesiæ ab immemorabili valedixerat ?

Resp. Si sacerdos vel a longe præsumere potest velle mori christiane, curet eumdem ad dolorem de suis peccatis excitare, ad aures ejus ingeminans : « Jesu mi, miserere mei ; Jesu mi, misericordia » ; dein absolvat sub conditione « si es dispositus », ac Extremam det Unctionem sub conditione « si, (saltem interpretative) eam vis accipere ».

Qu. 4. Quid circa cæremonias et preces ?

Resp. In primis attendantur quæ habet Rituale. Ex his, extra casus necessitatis, *a*) ministrare sine ulla veste sacra, a quibusdam habetur ut grave ; ministrare cum stola absque superpelliceo, ut leve. — *b*) Leve habetur ministrare sine lumine aut sine ministro. — *c*) Grave habetur omittere omnes preces, tum quæ unctiones præcedunt, tum quæ eas sequuntur.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS

428. Effectus Extremæ Unctionis ponuntur hi quinque :

1.° Hoc sacramentum per se et ex suo fine primario confert augmentum gratiæ sanctificantis. Nam statum gratiæ supponit : « sicut corporalis medicatio supponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem » [1]. Hinc, si dari potest sacramentum Pœnitentiæ, prius danda absolutio, dein Extrema Unctio.

2.° Confert gratiam sacramentalem, h. e., auxilia, quæ infirmo in eo discrimine prosint ad ipsum roborandum et confirmandum adversus debilitates naturales et tentationes diabolicas.

3.° Conferre quoque potest, et quidem *per se*, quamvis secundario, gratiam primam. Id verificatur, quando infirmus confiteri non potest, et simul est attritus : hanc enim efficaciam aperte indicant verba S. Jacobi : *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Hinc peccata venialia remittit *per se* et *primario;* peccata mortalia *per se*, et *secundario;* cum hic non sit finis institutionis ejusdem.

4.° Abstergit reliquias peccatorum ; h. e., remittit saltem partem pœnarum, quæ pro peccatis remissis deberentur : insuper restituit animæ vires, excitat voluntatem in bonum, sedat anxietates ac timores ; hac ratione reparando damna animæ illata per peccatum.

5.° Interdum restituit corporis sanitatem, si hæc saluti animæ expediat ; et hoc juxta verba S. Jacobi : *Alleviabit eum Dominus.* Quia vero hunc effectum producit, non per modum miraculi, sed via quodammodo

1) C. Thomas *Supplem. Qu. 30 art. 1*, et *in IV. Dist. 23 Qu. 1.*
2) Cf. S. Ligorium *Num. 731;* D'Ann. *418* Marc. *1873 Qu. 1.*
3) Cf. Catech. Conc. Trid. *De Extrema Unct. Num. 9;* Bened. XIV. *De synodo diœc. Lib. VIII. Cap. VII. Num. 1; 3;* Tanqu. *751-754;* Noldin *445.*

ordinaria, ideo non est diffeendum ad illud punctum, quo nonnisi per modum miraculi ipsam producere posset 3.

429. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum effectus isti producantur per unctionem primam, an per omnes complexive ?

Resp. Ex effectibus, quidam habent gradus minores vel majores entitatis et quantitatis: quidam vero sunt in indivisibili; et in his præsertim infusio gratiæ sanctificantis primæ. — *a)* Relate ad effectus priores, connaturale videtur ut quoad substantiam conferantur in unctione prima, et simul nova eorum augmenta conferantur in sequentibus: ita relate ad gratiam sacramentalem, ad abstersionem reliquiarum peccati, ad ipsam valetudinem corporalem. — *b)* Relate ad posteriores, una tantum forma, et proinde una tantum unctio, ad valorem sacramenti necessaria est et sufficiens: primâ itaque collatâ, sacramentum valet suosque effectus indivisibiles producit 4.

Qu. 2. An sacramentum hoc possit esse validum et informe ?

Resp. « Affirmant communiter Doctores. Hinc inferunt, quod, si infirmus bona fide vel sensibus destitutus sacramentum suscepit in mortali, sufficit quod postea attritionem habeat ad gratiam recipiendam. Id autem currit, si obex tollatur perseverante eodem morbo et periculo, saltem quoad effectum specialium auxiliorum, ut dicunt Suarez et alii » 5.

Ad reviviscentiam *per se* sufficit attritio; at, si grave peccatum fiat post susceptionem sacramenti, requiritur contritio, vel attritio cum sacramentali absolutione.

APPENDIX

De cura infirmorum post collata sacramenta

430. « Non adest caritatis opus magis Deo acceptum, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitæ periculo positos ad sancte moriendum adjuvare: nam tempore mortis, a qua uniuscujusque æterna vita pendet, inferni vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores. Eo ipso, quod hæc moribundorum cura est opus tam eximiæ caritatis in Deum et in proximum, parochus et quilibet sacerdos attendat, non quæ ab eo stricte exigat munus sibi creditum, sed quæ zelus pro gloria Dei et salute animarum.

431. Summatim hæc officia tria sunt: 1.° Collatis etiam sacramentis, visitet moribundum; 2.° curet ab eo avertere periculum cujuscum-

4) Cf. S. Ligorium *Lib. VI. Num. 607;* Ball. V. *De Extrema Unct. 22.*
5) S. Ligorius *Lib. VI. Num. 707* Qu. 2. — Cf. Noldin *8, 3.*

1) S. Ligorius *Praxis confess. Cap .VIII. Num. 228.*

que spiritualis detrimenti; 3.° studeat eum ad opera bona et ad nova sibi merita acquirenda adjuvare 2.

1.° Parochus vel confessarius, vel uterque, infirmum visitet frequenter, at non nimis, nec nimis diu, præsertim feminas. Procuret suas visitationes acceptas illi reddere, tum omnem sollicitudinem ostendens de ejus salute corporali, tum colloquiis etiam de rebus indifferentibus 3, tum, quando opus sit, eleemosynis. Ceterum hæc omnia habeat ceu media ad finem ministerii sui, qui est æterna illius animæ salus. Ad hunc finem præstet in primis ea omnia, quæ habet *Rituale Romanum* de cura infirmorum usque ad expirationem. *Ordo commendationis animæ* recitetur ex editione *Ritualis* novissima; in qua devotissimæ insertæ sunt B. Mariæ Virginis ac S. Joseph morientium patroni invocationes.

2.° Studiose invigilet, num, et quibus tentationibus infirmus prematur. — *a*) Si tentatur contra fidem, raro opportunum erit quod sacerdos ratiociniis demonstret necessitatem credendi, aut singulas veritates credendas exponat: melius est quod simpliciter ad actus fidei eliciendos hortetur: « Credo quidquid Deus revelavit, quidquid docet Ecclesia, quidquid credit meus confessarius.... Credo, Domine; sed tu adjuva incredulitatem meam ». — *b*) Si facile in actus impatientiæ erumpit, ostendat illi effigiem Jesu Crucifixi, qui innocens pro nobis passus est et mortuus in cruce: ostendat illi fructus dolorum in altera vita, si heic patienter in pœnam peccatorum et pro amore Christi tolerentur. — *c*) Si ægro animo fert mortem sibi appropinquantem, quin omnem recuperandæ valetudinis spem ei eripiat, obstendat statutum esse omnibus hominibus semel mori, mortem in actuali ipsius conditione status gratiæ initium esse vitæ spiritualis et æternæ, diuturniorem vitæ prolationem forte amariorem esse posse et vitæ æternæ periculosam; sæpe ei in memoriam revocet quod quotidie oramus: « Fiat voluntas tua ». — *d*) Videat, num tentationes quædam causam habeant objectum aliquod præsens; cujusmodi esset effigies obscœna vel secum ferens periculosam rei recordationem, persona peccatorum complex, socius suadens perversa, etc.: hæc omnia pro viribus amovenda esse studeat. — *e*) Relate ad peccata præterita, curet frequenter infirmum ad novum actum doloris excitare, et sic eumdem iterum atque iterum absolvat. Suggerat ei preces jaculatorias, quibus adnexæ sunt indulgentiæ. Det ei Benedictionem apostolicam *in articulo mortis*, postquam actus necessarios devote simul cum ipso recitaverit: ejus concedendæ facultas modo data est parocho aliive sacerdoti, qui infirmo adsistat 4.

2) Cf. S. Ligorium *Op. et Cap. cit.*; Scav. *IV.*; Frassin. *Manuale del Parr. nov. Num. 375-381*: Stub *Il sacerdote presso gli infermi*; Arato *L'Amico degli infermi*; Ghione *Assistenza morale e religiosa degli ammalati.*

3) Quandoque, at raro, opportune suggeret condendum testamentum et modum condendi; de qua re cf. Alberti *Theol. past. P. I. Num. 113, seqq.*

4) Codex *Can. 468* § *2.* — Servanda forma a probatis liturgicis libris tradita; ac attendendæ recentes *Additiones* n editione typica a. 1925.

Hisce et aliis industriis, nedum moribundum ab æterna ruina certius præservabit, sed et ei breviabit pœnas Purgatorii.

3.° Sacerdos et sibi et infirmo familiares habeat eas Pauli sententias: *Nunc tempus acceptabile*:.... *nunc dies salutis*.... *Quod momentaneum et leve est*,... *æternum gloriæ podus operatur in nobis*.... etc. Procuret itaque ut moribundus, opera bona in eo discrimine multiplicans, thesaurum meritorum sibi recondat in cœlo: exhibeat ei sæpe osculandam effigiem Crucifixi: adhortetur ad actus amoris erga Deum et fiduciæ in ipsius misericordia et conformitatis ad ejusdem beneplacitum: ejus desideria et suspiria ad cœlestem patriam erigat: devotionem foveat erga Jesum et B. Virginem Mariam et bonæ mortis patronum S. Joseph. Nedum in expiratione, sed et antea, sæpe ad ejus aures ingeminet ea quæ habet *Rituale*: Jesu, Jesu, Jesu.... In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.... Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et mortis hora suscipe.... Jesu, Maria, Joseph....

Denique non antea a cubiculo infirmi recedet, quam de ejus morte satis constet, aut certe ipsius præsentia superflua sit: familiares motivis præsertim supernaturalibus paterna caritate solabitur; eisque monita salutaria præbebit, quæ eo tempore utiliora esse possunt, nedum defuncto, sed et ipsis familiaribus viventibus.

TRACTATUS SEXTUS

DE ORDINE

432. *Ordo,* in re præsenti, a Doctore Angelico definitur « signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas confertur ». Dicitur: *a) Signaculum;* h. e., ritus exterior, quo ipsa potestas conferenda significatur et confertur: porro hic ritus, ratione institutoris, duplex esse potest; alius, nempe, a Christo, alius ab Ecclesia: tantum, qui sit a Christo, proprie est sacramentum; de qua re postea. — *b)* Signaculum *Ecclesiæ;* quod, nempe, in Ecclesia celebratur, vel quo potestas confertur exercenda in Ecclesia. — *c)* Per ipsum conferri dicitur *potestas*: quæ potest esse aut in se jam ad quosdam actus completa, aut idoneitas vel capacitas habendi ejusdem potestatis complementum. — *d)* Potestas conferenda est *spiritualis;* quæ, nempe, exercenda erit circa corpus reale et mysticum Christi, ad cultum Dei et ad salutem animarum [1].

Quia potestas spiritualis conferri alicui potest, tum ritu instituto a Christo, tum ritu instituto ab Ecclesia, ritus ille, qui est institutus a Christo, est proprie sacramentum; qui ritus instituti sunt ab Ecclesia, sunt potius sacramentalia. Ideoque Ordo, qui est sacramentum, definiri potest « signaculum a Christo institutum, quo spiritualis potestas confertur ». In iis, quæ substantialia sunt ritui instituto a Christo Ecclesia nihil potest: at in iis, quæ spectant ad ritus institutos a se, Ecclesia potest mutare, imo et eorumdem defectum supplere.

433. Circa Ordinem plura habentur theoretica, quædam certa, quædam plus minus controversa. Nobis satis sit præcipua simplici enuntiatione proponere:

1.° Veritas est de fide, ordinationem, tum presbyteralem, tum episcopalem, esse verum sacramentum a Christo Domino institutum, ac per eam imprimi characterem [2].

2.° Veritas est proxima fidei, ordinationem diaconalem esse verum sacramentum, ac per eam quoque imprimi characterem [3].

3.° Subdiaconatum in Ecclesia Latina esse verum sacramentum ac per ipsum imprimi characterem, opinio est mere probabilis.

1) S. Thomas *Suppl. Qu. 34 art. 22.* — Præter eumdem *Qu. 34-50,* tractant S. Ligorius *Lib. VI. Num. 734-829;* Palm. *apud* Ball. Vol. V. *Tract. X. Sect. VII.;* Many *De sacra ordinatione;* van Rossum *De essentia sacram. Ordinis.*

2) Ex Concilio Trid. *Sess. XXIII. Cap. I., III.,* et *Can. 3, 4.*

3) Cf. Palm. *De R. Pontif. Proleg. § XV. Num. 2, 3;* Hurter *Theol. dogm.* III. 554. — Defectu vis significativæ in verbis, invalidæ fuerunt ordinationes anglicanæ usque ad annum 1662: deinceps invalidæ fuerunt defectu ministri. — Cf. Genicot *428.*

4.° Veritas est de fide, in Ecclesia, præter sacerdotium, alios Ordines esse, per quos, veluti per gradus in sacerdotium tendatur 4. Ex his, ordines minores, et probabiliter etiam subdiaconatus, sunt institutionis ecclesiasticæ 5.

5.° Episcopatum esse Ordinem alium et aliud sacramentum a presbyteratu, opinio est inter theolgos communior. Certe ordinatio episcopalis est ritus conferens gratiam, imprimens characterem, conferens potestatem exclusivam et inamissibilem conferendi quædam sacramenta.

6.° Sententia est communis et moraliter certa, ordinationem presbyteralem validam esse, etsi invalida fuerit ordinatio subdiaconalis et diaconalis.

7.° Opinio communior, at non certa, tenet ordinationem episcopalem invalidam esse, si invalida fuerit ordinatio presbyteralis.

Hisce theoreticis præjactis, accedimus ad rem moralem, acturi: 1.° De materia et simul de forma Ordinum majorum; 2.° de ministro; 3.° de subjecto; 4.° de effectibus; 5.° de sacræ ordinationis accessoriis.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA ORDINUM MAJORUM

434. Disputatur inter theologos, utrum Christus materiam et formam hujus sacramenti determinaverit in specie, an vero generice statuerit, ut adhibeatur sacra cæremonia et ritus aptus ad significandam potestatem, quæ in ordinatione confertur, determinationem specialem relinquens Ecclesiæ 1. Hac altera admissa opinione, facilius explicantur varietates, quæ [illegible] diversitate temporum ac locorum inveniuntur, salva semper sacramenti Ordinis [illegible] de qua inter catholicos dubitari non potest.

435. **Principia. 1.** Ut ordinatio presbyteratus [illegible] valida sit ex parte materiæ et formæ, requiruntur tria: *a*) Prima impositio manuum Episcopi et sacerdotum per contactum physicum; *b*) secunda manuum Episcopi impositio, quando eas extendit simul cum sacerdotibus, dicens: « Oremus, fratres » ect.; *c*) traditio instrumentorum ex parte Episcopi cum forma: « Accipe potestatem » etc., eorumque tactus ex parte ordinandi; quæ instrumenta sunt patena cum hostia et calix cum vino.

II. Ut ordinatio diaconalis certe valida sit et parte materiæ et formæ, requiruntur duo: *a*) Impositio manus Episcopi dicentis:

4) Ex Conc. Trid. *Cap. II.*, et *Can.* 2.
5) De his et sequentibus cf. Hurter *Num. 557-575;* Palm. *Op. cit.* § *XV.* et *Opus theol. V. Sect VII. Num. 7-9;* Zanin. *2377.*
1) Cf. Franzelin *De sacramentis in genere. Thesi V.*: Tanqu. *Num. 790.*

« Accipe Spiritum sanctum ad robur » etc. ; *b*) traditio libri Evangeliorum cum forma : « Accipe potestatem legendi Evangelium » etc.

111. Ut ordinatio subdiaconalis certe valida sit ex parte materiæ et formæ, requiruntur duo : *a*) Traditio calicis et patenae, cum verbis : « Videte cujus ministerium vobis traditur », etc. : *b*) traditio libri Epistolarum.

436. **Expositio.** *Princ. I.* — Triplex ab Episcopo fit manuum impositio. Ex his, prima ad validitatem presbyteratus pertinet probabiliter : secunda certe : tertia, qua circa finem Missæ Episcopus dat potestatem remittendi peccata, nullatenus essentialis habetur ; etiam ex eo, quod ordinati jam Missæ sacrificium una cum Episcopo obtulerunt, in quo est potissimum essentia potestatis sacerdotalis. Traditio instrumentorum ad validitatem ordinationis probabiliter essentialis est : hinc, si forte omissa fuerit, iteranda est sacra ordinatio ex integro sub conditione ; at non videtur esse de essentia, quod instrumenta sint consecrata 2. Inter traditionem instrumentorum et pronuntiationem formæ necessaria est et sufficiens unio moralis.

437. **Expositio.** *Princ. II.* — E duobus elementis, quidam theologi habent ut essentiale et sufficiens primum ; et hæc est sententia communior et verior : quidam secundum, aut utrumque ; quæ opinio paucorum est, at satis probabilis. Hinc, si forte manuum im[illegible] et quidem per tactum physicum, defuit, ipsa ordi[illegible]abila est, et sub conditione iteranda 3. Hæc pronuntiationem formæ unio moralis.

438. **Expositio.** *Princ. III.* — In hypothesi probabili quod subdiaconatus sit ritus institutus a Christo et conferens gratiam, probabilior sententia habet ceu essentialem solam traditionem instrumentorum ; opinio quorumdam vix probabilis vult essentialem quoque esse traditionem libri Epistolarum. In hypothesi certe probabiliori, quod subdiaconatus sit institutionis ecclesiasticæ, Ecclesia adhuc ipsum instituisset ad normam sacramentorum cum propria materia et forma : etiam in hac hypothesi utraque traditio requiritur ; at, si alterutra, aut etiam utraque omissa fuerit, Ecclesia potest supplere, concedendo ex sua voluntate subsequente eam potestatem, quam ordinarie tribuit per ritum a se institutum. Quidquid sit de hoc, etsi forte invalida fuit ordinatio subdiaconalis, non inde invalida fit ordinatio diaconalis aut sacerdotalis. Hinc satis nobis erit tradere consectaria ex requisitis ad certam validitatem ordinationis sa-

2) Cf. S. Licorium *Num. 742, sequ.*; Noldin *472*; D'Ann. *291*; Marc *1902*.

3) S. Offic. 20 jan. a. 1875. — Cf. Genn. *Quest mor. Num. 171.*

cerdotalis; præsertim, cum, si forte invalidus fuerit diaconatus aut subdiaconatus, practice nullum inde impendeat periculum animabus.

439. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si omissa fuerit prima manuum impositio, aut facta fuerit sine physico contactu, ordinatio iteranda est sub conditione.

2.ª Eodem modo iteranda ordinatio, si in secunda manuum impositione Episcopus saltem per momentum manus non extenderit super ordinandos; licet eas porrexerit ante pectus: e contra, valida est ordinatio et non iteranda, si Episcopus in recitanda oratione « Oremus » etc., vel immediate ante, vel immediate post, manus super ordinandos extensas habuerit.

3.ª Si omnino omissæ fuissent duæ priores manuum impositiones, aut etiam secunda tantum, ordinatio iteranda est absolute: si utraque (aut secunda) suppleta fuit post communionem, et proinde post traditionem instrumentorum, ordinatio iteranda est sub conditione: si utraque (aut secunda) suppleta fuit ante instrumentorum traditionem, ordinatio nullatenus est iteranda.

4.ª Demum iteranda est sub conditione, si calix fuit absque vino, vel patena absque hostia: item, si ordinandus alterutrum ex instrumentis ne mediate quidem tetigit.

5.ª Non est iteranda ordinatio, si ordinatus tetigit calicem et patenam, et non hostiam; vel calicem et hostiam, at non patenam; vel hostiam et patenam calici superpositam, at non calicem: in hisce enim casibus tangenda tetigit secundum modum sentiendi et loquendi inter homines communem.

6.ª Si aut non rite facta fuit tertia manuum impos[illegible] rite prolata fuerunt verba: « Accipe Spiritum sanctum », etc., hæc impositio et forma respectiva supplentur ad cautelam: at ne sub conditione quidem iteranda est ordinatio.

7.ª Propter gravitatem et significationem ritus, plures volunt supplendam manuum unctionem, si forte omissa fuerit. Certe nihil supplendum aut emendandum, si unctio, non oleo catechumenorum, sed chrismate facta fuerit.

440. **Scholion.** — *De ritibus ordinationis sacerdotalis.* — Hi ritus *per se* in præcepto sunt, et quidem gravi. Ita certe præcipitur ut manuum impositio, præterquam ab Episcopo, fiat saltem a tribus sacerdotibus, quod manus ordinandorum oleo catechumenorum ungantur; quod neo-sacerdotes Canonem simul cum Episcopo recitent: quod iidem sacram communionem accipiant; quod ab eo accipiant tertiam manuum impositionem. Quod iisdem sacræ vestes imponantur, quidam habent ut ritum vere gravem, quidam ut leviorem; idem dicatur de aliis ceremoniis minoris momenti: ceterum nemo has omittet advertenter.

CAPUT II.

DE MINISTRO ORDINIS

441. **Principia. I.** Minister *a*) validæ ordinationis illius, quæ sit verum sacramentum, est omnis et solus Episcopus : *b*) idem est minister ordinarius ordinationis illius, quæ non sit sacramentum; cujus minister extraordinarius potest esse et presbyter ex delegatione R. Pontificis. Primum probatur a theologis ex diversis locis sacræ Scripturæ et ex Concilio Tridentino [1] : alterum ex eo, quod hujusmodi ordinationes sunt ex jure ecclesiastico.

II. Minister licitæ ordinationis est Episcopus proprius ordinandi, vel Episcopus cui Episcopus ordinandi proprius, vel alia persona de jure, facultatem concesserit.

442. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Episcopatum et presbyteratum nemo conferre potest, nisi qui sit Episcopus consecratus; neque Ecclesia in hac re quidquam potest mutare aut supplere.

2.ª Valide ordinat Episcopus excommunicatus, suspensus et irregularis; imo et schismaticus et hæreticus: qui electus fuerit, at nondum consecratus, dare poterit licentiam ordinandi, at non ordinare.

3.ª Qui presbyter ordinetur ab Episcopo non suo, valide ordinatur, etsi graviter peccare possit, tum ipse, tum Episcopus ordinans.

4.ª Ecclesia concedere potest, et passim [illegible] in missionibus concedit, ut conferant, nedum [illegible] censuram et ordines minores, sed et [illegible]

443. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum simplex sacerdos possit ex commissione R. Pontificis valide conferre subdiaconatum et diaconatum ?

Resp. 1.° De subdiaconatu hodie fere nemo dubitat; cum et ejus conferendi facultas passim concedatur, et opinio communior teneat ipsum non esse sacramentum.

2.° Circa diaconatum, omnes in sententiam negantem concederent, nisi Innocentius VIII a. 1489 Abbatibus Cisterciensibus privilegium concessisset conferendi suis subditis diaconatum. Quæstio adhuc est sub lite : quidam enim dubitant de valore doctrinali illius concessionis; quidam etiam negant mentionem in ea haberi diaconatus 2. — Ceterum quæstio est theoretica.

Qu. 2. Utrum, si presbyter ordines minores ac ipsum subdiaconatum conferat ultra limites facultatis sibi a R. Pontifice concessæ, nedum illicite agat, sed et invalide ?

1) Conc. Trid. *Sess. XXIII. Can. 7.* — Cf. Hurter *Op. cit. Num. 561.*
2) Cf. Palmieri *Num. 38;* Many *Op. cit. 59;* ex professo tractant *Analecta eccles.* (Romæ 1901) Vol. IX. pagg. 311, 358, 468 et seqq.

Resp. Eum illicite agere et *per se* graviter peccare, certum est. Circa validitatem disputabatur: modo ex recentibus responsis et ex Jure novissimo patet ipsas ordinationes irritas esse 3.

444. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quinam sit Episcopus proprius ordinandi sæcularis?

Resp. 1.° Proprius ejus Episcopus est Episcopus diœcesis, in qua ipse habet domicilium una cum origine. Porro: *a*) Domicilium acquiritur commoratione, quæ sit conjuncta cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum. — *b*) Origo habetur in illo loco, in quo, cum ordinatus natus est, domicilium aut in defectu domicilii quasi-domicilium habebat pater, vel, si erat filius illegitimus aut posthumus, mater.

2.° Item proprius est Episcopus ille, in cujus diœcesi ordinandus habet simplex domicilium sine origine: at in hoc casu promovendus debet animum in diœcesi perpetuo manendi jurejurando firmare. Ab hac obligatione excipiuntur: *a*) Clericus ad ordines promovendus, qui diœcesi per primam tonsuram jam incardinatus est; *b*) alumnus, qui in futurum prævia legitima excardinatione et incardinatione servitio alius diœcesis destinetur; c) religiosus professus, de quo agitur in Can. 964 n. 4.

3.° Accedit titulus incardinationis, quo clericus, a sua diœcesi legitime excardinatus, servitio alius diœcesis perpetuo et absolute adscribitur: hæc autem incardinatio fieri non debet, nisi clericus jurejurando coram Ordinario ejusve delegato declaraverit se in perpetuum novæ diœcesis servitio velle addici, normam sacrorum canonum 4.

Qu. 2. Quid requiratur ad hoc ut quis ordinetur ab Episcopo non proprio?

Resp. Requiritur licentia Episcopi proprii: hæc autem danda est in scriptis per eas quæ dicuntur *litteræ dimissoriæ*. Sede vacante, has litteras dare potest de consensu Capituli Vicarius Capitularis post annum a vacatione; intra annum vero solis *arctatis* ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicujus officii, cui propter necessitatem diœcesis sine dilatione sit providendum.

Qu. 3. A quo Episcopo ordinandi sint religiosi?

Resp. Tum regulares, tum religiosi exempti qui vota etiam simplicia emiserint, ordinari debent ab Episcopo diœcesis, in qua sita est domus religiosa, ad cujus familiam pertinet ordinandus. Iidem ordinari possunt ab alio Episcopo, si *a*) Episcopus diœcesis licentiam dederit, vel *b*) sit diversi ritus, vel *c*) sit absens, vel *d*) non sit ordinationes habiturus proximo legitimo tempore, h. e., sabbato Quatuor temporum, sab-

3) S. Off. 15 julii a. 1901; CODEX *Can. 957* § 2. — Cf. NOLDIN *Num. 461*; FERRERES *869, 872*; MANY *Op. cit. 27, 54.*

4) CODEX *Can. 956*, coll. *Can. 92* § *1*, *90* § *1*; CAN. *964, 969, coll. Can. 111-117.*

bato ante Dominicam Passionis vel sabbato sancto, vel *e*) diœcesis vacet, nec eam regat qui charactere episcopali polleat 5.

Ordinatio tum religiosorum qui non sunt exempti, tum ceterorum omnium alumnorum, h. e., qui in religione etiam exempta nullam professionem emiserint, regitur jure sæcularium.

Religiosi omnes exempti a nullo Episcopo ordinari possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris majoris (Generalis, Provincialis, Vice-provincialis). Hic autem suis religiosis professis vota perpetua dare potest dimissorias ad quoscumque ordines; professis vota temporaria ad primam tonsuram et ad ordines minores tantum 6.

CAPUT III.

DE SUBJECTO ORDINIS

445. **Principia. I.** Subjectum ordinationis validæ potest esse solus vir baptizatus; at insuper in adulto requiritur intentio saltem habitualis suscipiendi Ordinem.

II. Ut subjectum Ordinis capax licite ordinetur, requiruntur: *a*) ex jure naturæ divina vocatio, scientia, vitæ honestas, et pro Ordine sacramento status gratiæ; *b*) ex jure positivo Confirmatio, ætas canonica; insuper immunitas a quacumque censura et irregularitate 1, et pro Ordinibus sacris titulus honestæ sustentationis.

446. **Resolutio.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Femina ex natura incapax est cujuscumque Ordinis, qui sit sacramentum: eadem jure ecclesiastico incapax fit ordinis, qui sit institutionis ecclesiasticæ.

2.ª Valide ordinarentur infantes 2, perpetuo amentes, cæci et alii, qui naturaliter inepti essent ordinibus exercendis; dummodo fuerint baptizati: item valide ordinantur dormientes, si intentionem habeant habitualem Ordinis suscipiendi.

3.ª Qui in ipsa functione sacræ Ordinationis positive excludat intentionem Ordinis suscipiendi, nullatenus ordinatur: id fieri posset in eo, qui functioni sacræ participet per vim aut metum vere gravem, animo prorsus repugnans.

447. *Ex Princ. II.* — 1.ª Status gratiæ certe requiritur pro suscipiendis Ordinibus majoribus, diaconatu, presbyteratu, episcopatu; sunt enim verum sacramentum vivorum; pro suscipiendo subdiaconatu status gratiæ requiritur probabiliter.

5) Codex *Can. 965, 966 § 1.* — Cf. Gennari *Cons. canon. XCV.*
6) Codex *Can. 964 n. 2, 3, 4.*
1) Codex *Can. 968 § 1.* — Cf. Palmieri *Num. 67.*
2) Benedictus XIV. Constit. *Eo quamvis tempore 4 maij 1745.*

2.ª Nedum pro majoribus, sed et pro minoribus ordinibus status gratiæ requiritur, si ordinandus in eis suscipiendis communicare velit: tamen sacra communio non præcipitur, nisi in Ordinibus majoribus suscipiendis.

448. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum habendus sit ut valide ordinatus subdiaconus vel sacerdos, qui ex metu gravi et injusto ad sacram functionem subeundam adigitur?

Resp. Metus gravis et injustus non necessario tollit libertatem sufficientem ad validitatem Ordinis suscipiendi; necessario tamen tollit consensum voluntatis requisitum ad obligationem contrahendam Hinc iste *per se* habendus esset ut vere subdiaconus vel sacerdos: at non teneretur obligationibus statui assumpto respondentibus.

Si vero in ipsa functione positive excluserit voluntatem accipiendi Ordinem sacrum, a quo abhorrebat, non est habendus ut subdiaconus vel sacerdos: hoc autem propter defectum intentionis 3.

Qu. 2. Quid de eo, qui dubitat, num propter angores conscientiæ ordinationi suæ vere consenserit?

Resp. Si iste animo hæsitans fuit, adeo ut in ipsa sacra functione passim voluerit, passim noluerit, ut facile contingere potest scrupulosis, hic habendus est ut valide ordinatus: voluntas enim consentiens ordinationi habenda est ceu prædominans oppositæ. Quod si, sacræ functioni adsistens, voluntatem accipiendi Ordinem sacrum sibi videatur positive exclusisse, valor ordinationis dubius est; ac proinde ipsa ordinatio iteranda est sub conditione.

449. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* In quo consistat vocatio divina?

Resp. Vocatio duplex distinguitur: alia *interna* seu proprie *divina;* alia *externa* seu *canonica.* Vocatio divina, præter subjecti idoneitatem ad munia sacerdotalia et immunitatem a quovis fine humano et ab impedimento exercitia Ordinum sacrorum prohibente, dicit quamdam attractionem ad statum sacerdotalem a divino consilio provenientem, quæ subjecto manifestatur per signa interna et per directionem patris spiritualis. Vocatio canonica supponit divinam: ea procedit ab Episcopo, qui de divina judicat in foro externo ex cognitis dotibus subjecti ad statum clericalem adspirantis. Doctrina communissima theologorum tenet, præter vocationem externam ab Episcopo, requiri etiam vocationem internam a Deo: præsertim eo quod sacerdos vi sacerdotii ministerio publico fungitur, tum erga homines pro Deo, tum erga Deum pro hominibus.

Qu. 2. Quænam scientia requiratur in iis, qui sunt ordinandi sacerdotes?

Resp. De his Concilium Tridentinum præcepit, ut, « diligenti examine præcedente, idonei comprobentur ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta » 4,

3) Cf. Vermeersch *Num. 689, sequ.;* Gasparri *644.*
4) Concilium Trident. *Sess. XXIII. De reform. Cap. XIV.*

Porro nemo dicet eam scientiæ extensionem et qualitatem ad utrumque effectum sufficere hodie, quæ sufficiens haberi potuisset sæculo XVI. Quare nemo non mirabitur sapientissima consilia, quibus Pius X curavit sacra studia in clero, tum sæculari, tum regulari, promovere; ut clericorum instructio exigentiis nostrorum temporum respondere valeat. — Nunc vero hæc statuuntur Jure novissimo:

1.° *a*) Nemo sive sæcularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum. — *b*) Subdiaconatus ne conferatur, nisi exeunte tertio cursus theologici anno; diaconatus, nisi incepto quarto anno, presbyteratus, nisi post medietatem ejusdem quarti anni — c) Cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum rationem studiorum Can. 1365 determinatam.

2.° *a*) Quilibet promovendus sive sæcularis sive religiosus debet prævium ac diligens examen subire circa ipsum Ordinem suscipiendum. — *b*) Promovendi vero ad sacros Ordines in aliis quoque de sacra theologia tractationibus periculum faciant. — c) Hoc examen, sive pro clericis sæcularibus, sive pro religiosis, recipit loci Ordinarius, qui jure proprio ordinat, aut dat dimissorias litteras 5.

Qu. 3. Quid sit vitæ honestas in ordinando requisita?

Resp. Primario, imo essentialiter, est sanctitas interna seu vera, tum positiva, tum præsertim negativa, quo ipsius anima immunis sit, nedum a peccato, sed et ab habitibus pravis: accessorie et secundario est bona æstimatio, qua circa mores proprios status clericalis honestetur ordinandus. Hinc Episcopus, antequam ad statum clericalem aliquem admittat, « fieri debet certus de ejus positiva probitate, juxta sublimitatem status, ad quem ille inhiat ascendere » 6. Huc spectant ordinandorum publicationes publice faciendæ in ecclesia; a quibus eximuntur religiosi a votis perpetuis. Huc magna ex parte pertinent *litteræ testimoniales*, de quibus inferius.

Qu. 4. Utrum ordinandus debeat esse confirmatus?

Resp. Jam Concilium Tridentinum decreverat « ne prima tonsura initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint »: nunc vero Codex statuit: « Ut quis licite ordinari possit, requiruntur: 1.° Recepta sacra Confirmatio ». Admisso præcepto, Doctores generatim putant ipsum obligare *sub levi*, ex quadam inhabilitate clerici non confirmati ad munia clericalia exequenda 7.

Qu. 6. Quinam ex Jure requiratur *titulus* sacræ ordinationis?

Resp. Titulus hic est « cautio, qua congruæ et perpetuæ ordinandi sustentationi provideatur ». Jure autem titulus ab Ecclesia exigitur;

5) Codex *Can. 976, 996, 997.*
6) S. Ligorius *VI. 803;* D'Ann. *293, 19.*
7) Concilium Trid. *Sess. XXII. De reform. IV.;* Codex *Can. 974 § 1;* in quo adverte sub voce « ordinari » vi *Can. 950* venire et primam tonsuram.

« cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quæstum exercere » 8.

1.° Pro clericis sæcularibus, *a*) titulus canonicus est titulus beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis. Hic titulus debet esse et vere securus pro tota ordinati vita et vere sufficiens ad congruam ejusdem sustentationem, secundum normas ab Ordinariis pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adjunctis dandas. — *b*) Qui, citra apostolicum indultum, suum subditum in sacris sine titulo canonico scienter ordinaverint aut ordinari permiserint, debent ipsi eorumque successores eidem egenti alimenta necessaria præbere, donec congruæ ejusdem sustentationi aliter provisum fuerit. — *c*) Qui aliquem ad Ordines majores sine titulo canonico promoverint, incurrunt ipso facto in suspensionem per annum ab Ordinum collatione Sedi Apostolicæ reservatam. — *d*) Si Episcopus aliquem ordinaverit sine titulo canonico cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum omni vi caret 9.

Titulus patrimonii tunc habetur, « cum ordinandus instructus est bonis certis stabilibus ac frugiferis aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, quæ ad congruam sustentationem sufficere judicio Episcopi censeantur ». Patrimonio accenseri possunt pensiones vitalitiæ, legata Missarum perpetua, imo et cappellaniæ, quæ ordinando conferantur cum clausula « donec provideatur ».

Si ne unus quidem ex his titulis præsto sit, suppleri potest titulo servitii diœcesis, et in locis Sacræ Congregationi de Propaganda Fide subjectis titulo missionis.

2.° Pro regularibus: *a*) titulus canonicus est solemnis religiosa professio, seu titulus, ut dicitur, paupertatis. — *b*) Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus mensæ communis, congregationis aliusve similis, ad normam constitutionum. — *c*) Ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, jure sæcularium reguntur 10.

Qu. 7. Quid sint *litteræ testimoniales*?

Resp. Litteræ testimoniales dicuntur illæ, quæ, Episcopo ordinanti exhibitæ, testantur ordinandum ornari dotibus ad ordinationem recipiendam requisitis, ac speciatim nullo impedimento canonico detineri.

1.° Promovendi sæculares, aut religiosi, qui, quod pertinet ad ordinationem, sæcularium jure reguntur, afferant Episcopo ordinanti: *a*) testimoniales litteras Ordinarii loci, in quo tantum temporis morati sunt, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerint: quod tempus regulariter pro militibus est trimestre, pro aliis semestre post pubertatem; *b*) testimoniales Superioris majoris religiosi, si cui religioni adscripti sint.

2.° Superior religiosus suis litteris dimissoriis, non solum testari debet promovendum professionem religiosam emisise et esse de familia

8) Concilium Trid. *Sess. XXI. De reform. Cap. II.*
9) Codex *Can. 979, 980, 2373, n. 3.*
10) S. C. Conc. 9 sept. a. 1893, 26 jan. a. 1895; Codex *Can. 993 n. 4, 5, et Can. 994.*

domus religiosæ sibi subditæ, sed etiam de studiis peractis deque aliis jure requisitis.

Qu. 8. Quid importet protestatio ante ordinationes emissa nomine Episcopi ex *Pontificali*, quasi hic nolit ordinare quempiam irregularem vel utcumque indignum?

Resp. Ex communi Doctorum sententia, hæc protestatio importat meram intimationem prohibitionis ex jure divino et canonico; at nullo modo indicat Episcopi intentionem in ordinando alligatam esse absentiæ prædictorum impedimentorum. Imo « Episcopus, ne gravis peccati reus fiat, tenetur absolutam intentionem habere Ordines conferendi homini præsenti, cui manus imponit » [11].

CAPUT IV.

De effectibus ordinis presbyteratus

450. Rem limitamus ad materiam fini operis nostri magis consentaneam; nempe ad Ordinem presbyteratus. — Itaque:

Principia. I. Ordo presbyteratus confert ordinato: *a*) potestatem consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Christi; et hanc ceu ipsi Ordini essentialem; *b*) potestatem remittendi peccata et ministrandi sacramenta quæ Ordinem episcopalem non requirunt; et hanc ceu accedentem ex ipsa Christi voluntate.

II. Ordo presbyteratus, *a*) præter augmentum gratiæ sanctificantis confert ordinato gratiam sacramentalem, h. e., jus ad auxilia pro exercendis officiis sacerdotalibus necessaria; *b*) insuper imprimit in ejus anima characterem sacerdotalem indelebilem [1], qui sacramentum facit esse initerabile.

451. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Sacerdos Eucharistiam valide consecrat et Missam valide celebrat, etiam contra prohibitionem Ecclesiæ; item, si sit excommunicatus aut suspensus vel irregularis.

2.ª Idem sacerdos, si Missam celebret ejusque fructum specialem ad mentem offerentis applicet, stipendium acceptum suum facit.

3.ª Sacerdos est minister ordinarius dispensationis SS. Eucharistiæ: diaconus non potest esse, nisi minister extraordinarius.

4.ª Potestatem remittendi peccata sacerdos habet a Christo vi Ordinis suscepti: quia vero peccatorum remissio fit per sententiam judicialem, ad validitatem hujus sacramenti necesse est quod Ecclesia sacer-

11) Benedictus *XIV. De Synodo diœc. Lib. VIII. Cap. XI. Num. 1.*
1) Concilium Trid. *Sess. XXIII. Can. 4.*

doti conferat jurisdictionem, seu ipsi subditos judicandos et per sententiam absolutionis justificandos assignet.

452. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis Ordinem sacerdotalem accipiat in statu peccati mortalis, hic valide ordinatur, at nec gratiam sanctificantem, nec gratiam sacramentalem consequitur: quod si Ordinem accipiat in mala fide, perpetrat etiam sacrilegium, et non unum: in utroque casu sacramentum est informe.

2.ª Si ordinatus in statu peccati mortalis dein se per sacramentum Pœnitentiæ aut per contritionem perfectam justificet, ab eo instanti sacramentum Ordinis reviviscit, etiam quoad gratiam sacramentalem.

3.ª Quod exsistens in bona fide in statu peccati, si attritus Ordinem accipit, justificetur, opinio est mere et non valde probabilis 2: probabilius justificabitur, cum post ordinationem accipiet Eucharistiam.

CAPUT V.

De accessoriis sacræ ordinationis

453. Præcipua ex his, et per se *sub* gravi præscripta sunt:

1.° Ordinatio cujuscumque promovendi fiat juxta ordinem in *Pontificali* propositum: receptâ prima tonsura, clericus prius accipiat ordines minores, dein subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum, episcopatum. Ordinationes *per saltum* omnino prohibentur.

2.° Inter singulas ordinationes serventur *interstitia*. — *a*) Interstitia inter primam tonsuram et ostiariatum, vel inter singulos ordines minores, prudenti Episcoporum judicio committuntur. — *b*) Acolytus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur, quam acolytus unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati; nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi, aliud exposeat. — *c*) Numquam tamen, nisi de peculiari licentia R. Pontificis, minores ordines cum subdiaconatu vel duo sacri Ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur; imo nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul.

3.° Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum solemnia, die dominico vel natalitio Apostolorum. — *a*) Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum solemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis, et sabbato sancto. Gravi tamen de causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de præcepto. — *b*) Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest: ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen: tum illa, tum hi etiam in privatis oratoriis.

2) Cf. Lehmkuhl *De sacram in en. Num. 6.*

4.° Ordines majores conferantur intra Missam ab Episcopo ordinante celebratam; ne « mysterium unitatis » dividatur; ordinati in ea Missa tenentur sacram communionem recipere 1.

5.° Ordinati sacerdotes Missam una cum Episcopo legant, inchoantes ab oratione « Suscipe, sancte Pater »; ac, pronuntiantes cum Episcopo formas consecrationis, intendant simul cum ipso consecrare: non videtur prohibitum quod eam ad propriam intentionem applicent, aut pro ea stipendium accipiant 2.

454. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum, et quantum, subdiaconi et diaconi teneantur recitare Nocturnum (vel tonsurati et ordinati in minoribus alias preces) impositum ab Episcopo, et quinam sit Nocturnus recitandus?

Resp. Ad 1.um - Obligatio, juxta quosdam, gravis est; juxta alios, levis, quia Episcopus non intendit obligare *sub gravi;* juxta alios, ne levis quidem, quia Episcopus nullum præceptum imponit.

Ad 2.um Si Episcopus nihil determinet, sed servet tantummodo formam *Pontificalis,* « pro Nocturno talis diei intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus festi, aut Dominicæ in Psalterio; prout ordinatio in feria, aut festo aut Dominica habita sit », et quidem absque Invitatorio, hymno ac lectionibus. Quod si ordinatio facta fuit in feria, qua Officium votivum permittitur, licebit Nocturnum hujus Officii recitare 3.

Qu. 2. Utrum neo-sacerdotes teneantur celebrare tres Missas impositas ab Episcopo, et quale sit hujus impositionis objectum?

Resp. Ad 1.um Hæc quoque obligatio certe gravis non est; probabiliter nec levis. Ad 2.um Objectum hujus impositionis est ritus Missarum; ut una sit de Spiritu sancto, altera de B. Virgine Maria, tertia pro defunctis; ac proinde celebrandæ sunt illis tantum diebus, quibus hujusmodi Missæ sive votivæ, sive diei currentis, celebrari possunt. Certe nulla habetur obligatio applicandi eas Missas ad intentionem Episcopi; ideoque licebit etiam pro illis stipendium accipere.

Qu. 3. Quænam et quanta sit vis promissionis, qua neo-sacerdotes protestantur se obedituros esse Episcopo ordinanti vel proprio Ordinario?

Resp. Vi hujus promissionis ex virtute fidelitalis obligantis *sub levi,* se iterum obligant ad ea exsequenda, ad quæ erga proprium Episcopum vel Prælatum jam tenentur vi status assumpti: quare ea promissio nullam novam obligationem iisdem imponit 4.

Porro, quænam in specie ab Episcopo imponi possint sacerdotibus sibi subditis, definiendum est ex sacris canonibus et consuetudinibus receptis. Inter hæc, habetur certe prohibitio facta sacerdoti recedendi a

1) Codex *Can. 977, 978, 1005, 1006, 1008.*
2) Gasparri *De sacra ordin. Num. 360, 547;* Ferr. *919.*
3) S. C. Conc. die 27 jun. 1899, 10 jul. 1903. — Cf. *Ephem. tit. XIX. 360.*
4) Gasparri *Op. cit. Num. 1070;* Genicot *Num. 28.* — Aliter Sebast. *394.*

diœcesi, saltem si ille servitio alicujus ecclesiæ adscriptus fuerit: hinc, ut videtur, etiam adscriptio, et ipsa animarum cura suscipienda; dummodo ob sacerdotum penuriam vera habeatur ecclesiæ necessitas, et sacerdoti beneficium aut conveniens stipendium assignetur.

Verum nemo asserit Episcopo jus prohibendi, ne sacerdos, etiam ecclesiæ aut animarum curæ adscriptus religionem ingrediatur. Utique sacerdos, præsertim parochus, Episcopum monere debet: at, licet iste licentiam recuset, religionem ingrediendo, nec contra jus Episcopi, nec contra obedientiam peccat 5. Ad summum Episcopus obsistere poterit, si ex eo illius sacerdotis discessu ecclesia gravem jacturam patiatur; imo eo in casu sacerdotem jam ingressum repetere poterit. — At de his ac de reliquis quæstionibus adnexis conferantur Canonistæ. Boni sacerdotes, potiusquam subtilitatibus canonicis innixi suis placitis obsequantur, omnimodam suo Episcopo obedientiam præstare studebunt.

5) S. Thomas *2. 2. Qu. 189 a. 7;* S. Lig. *IV. 74, 75 et VI. 828.*

TRACTATUS SEPTIMUS
DE MATRIMONIO

PRÆLIMINARIA THEORETICA

455. *Matrimonium*, a *matre*, prout est officium naturæ ab ipso Deo institutum ad propagandum et perpetuandum genus humanum, definiri potest « viri et mulieris conjunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens » [1]. Hæc ratio conjunctionis ipsum Deum habet auctorem; argumentis enim scripturalibus et rationibus theologicis constat « matrimonium, non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum »; ideoque « sua vi, sua natura, sua sponte sacrum » [2]. Deus Adam et Hevam creans, voluit eos esse generis humani protoparentes. Hinc « Matrimonii finis primarius est procreatio et educatio prolis » [3].

Hæc eadem ratio conjunctionis a Christo evecta est ad dignitatem sacramenti; eique indita efficacia conferendi viro ac mulieri sic conjugatis gratias necessarias ad onera conjugalia sustinenda et prolem educandam. Sub hoc respectu Matrimonium definitur « viri et mulieris conjunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens, a Christo ad dignitatem sacramenti elevata ».

Ex doctrinis theoreticis, afferimus eas, quæ magis ad deductiones practicas conducent: ceterum conferantur theologi.

456. **Quae sunt de fide**[4]**: 1.** Matrimonium inter baptizatos est vere et proprie sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum.

II. Ecclesia habet potestatem constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia; neque in eis constituendis erravit.

III. Causæ matrimoniales spectant ad judices ecclesiasticos.

457. **Quae sunt proxima fidei: 1.** « Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos. Quare inter baptizatos nequit matri-

1) CATECHISMUS Conc. Trident. *P. II. De Matrim. Num. 3.*
2) LEO III Encycl. *Arcanum* 10 febr. a. 1880.
3) CODEX *Can. 1013 § 1.* — Hæc doctrina apud recentes theologos communis.
4) EX CONCILIO TRIDENT. Sess. *XXIV. De Matrim. Can. 1, 4, 12.*

monialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum » [5].

II. Potestas constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia Ecclesiæ competit, non ex concessione principum, sed jure proprio et exclusivo.

458. **Quae certa habentur: 1,** Ministri sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes. Parochus adsistit tamquam testis auctorizatus; et simul minister cæremoniæ per se liturgicæ non necessariæ.

II. Quæ est materia et forma contractus matrimonialis, eadem est materia et forma sacramenti Matrimonii.

III. « Essentiales Matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quæ in Matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti » [6].

459. **Consectaria.** — 1.um Matrimonium inter baptizatos, præterquam jure divino, æstimatur et regitur jure canonico, et hoc tantum.

2.um Matrimonium conforme juri canonico validum est, etsi jus civile obstet: e contra, sub nullo respectu valet baptizatorum matrimonium juri civili conforme, cui obstet jus canonicum.

3.um Si inter virum et mulierem habeatur verum Matrimonium, simul habetur verum sacramentum, etsi contrahentes noluerint sacramentum haberi: ubi vero non habetur sacramentum, ibi nec Matrimonium habetur, etsi illi voluerint matrimonium contrahere.

4.um Causæ matrimoniales, proinde et sponsalium, spectant ad forum ecclesiasticum exclusive.

5.um Ad forum ecclesiasticum spectant etiam causæ circa effectus Matrimonii ab eo inseparabiles: causæ circa effectus separabiles spectare possunt etiam ad forum civile.

460. Circa materiam et formam sacramenti Matrimonii non una est theologorum sententia. Juxta quosdam, materia remota sunt ipsa contrahentium corpora; materia proxima est mutua jurium in corpus alterius traditio et acceptatio: forma sunt verba vel quævis signa, quibus hæc mutua traditio et acceptatio significatur. Juxta alios, materia sunt ipsa contrahentium verba vel signa, prout ipsis jurium traditio exprimitur: forma sunt ipsa verba vel signa, prout ipsis exprimitur jurium traditorum acceptatio.

Tractationem hanc in tres sectiones distribuimus. — Sectio prima **De Matrimonio contrahendo** proponet ea, quæ Matrimonium an-

5) Codex *Can. 1012.* — Cf. Pius. *Prop. 58-60;* Syllabi Pii IX *Propp. 65-74.*

6) Codex *Can. 1013* § 2.

tevertere debent aut solent. Sectio secunda **De contractu matrimoniali** tradet ipsam Matrimonii celebrationem ejusque forte quandoque invalidi convalidationem. Sectio tertia **De Matrimonio contracto** exponet officia, quæ ex Matrimonio valide contracto originem trahunt 7.

SECTIO PRIMA

DE MATRIMONIO CONTRAHENDO

461. Juxta methodum communem, agendum nobis est: 1.° De sponsalibus; 2.° de impedimentis in genere; 3.° de impedimentis Matrimonium prohibentibus; 4.° de impedimentis Matrimonium irritantibus; 5.° de dispensatione ab impedimentis.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS

462. Licet nulla lex id requirat, tamen haud infrequenter ante Matrimonium fit inter nupturientes mutua (aut unilateralis) ineundi Matrimonium promissio, quæ nomine *sponsalium* venit. — De his breviter:

Sponsalia sunt « promissio deliberata et mutua, qua vir et mulier de jure habiles se obligant ad Matrimonium inter se contrahendum ». Dicuntur: *a*) *promissio*, h. e., non propositum, sed verus contractus, et quidem *b*) bilateralis, quia *mutua; c*) promissio debet esse *deliberata*, h. e., cum perfecta cognitione et volitione; *d*) contrahentes sunt *vir* et *mulier;* et quidem ad sponsalia contrahenda *habiles; e*) objectum contractus est *Matrimonium* inter ipsas personas suo tempore *contrahendum*. — Dicemus: *a*) de elementis essentialibus sponsalium; *b*) de sponsalium effectibus; *c*) de eorum dissolutione. — Quæ dicimus de promissione bilaterali, facile et unilaterali applicantur, quæ quandoque ab uno nupturiente alteri fit.

ART. I. — DE ELEMENTIS ESSENTIALIBUS SPONSALIUM

463. **Principia. I.** Ad validitatem sponsalium ex parte ipsius promissionis, requiritur, quod ea sit *a*) vera, sincera seu non ficta, *b*) cum cognitione obligationis assumendæ et cum libertate voluntatis ad eam assumendam sufficiente, *c*) data et acceptata ab utraque parte.

II. Ad validitatem sponsalium ex parte contrahentium, requi-

.7) BEVILACQUA *Tratt. sul Matrim.*; RAIA *De Matrim.;* CHELODI *Jus matrimoniale;* CERATO *Matirmonium ex Codice;* FARRUGIA *De matrimonio et causis matrim.* (Aug. Taur. 1924).

ritur, *a*) quod hi sint illæ eædem personae, inter quas contrahendum erit Matrimonium, ac *b*) de jure habiles sint, tum ad contrahendam hic et nunc obligationem contrahendi Matrimonii, tum ad contrahendum suo tempore Matrimonium.

III. Ad validitatem promissionis sive unilateralis sive bilateralis, ex parte formæ, requiritur, et quidem pro utroque foro: *a*) quod facta fuerit per scripturam, *b*) subsignatam a partibus, et vel a Parocho aut loci Ordinario, vel a duobus testibus; quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, *c*) id in ipsa scriptura adnotetur, et *d*) alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus scripturam subsignet [1].

464. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si inter virum et mulierem non fiat proprie dicta promissio, sed mera communis propositi aut desiderii manifestatio, ut sæpe contingit, non habentur sponsalia, neque ulla inde oritur obligatio.

2.ª Si alterutra pars ficte promittat, non habentur sponsalia: at manere poterit obligatio reparandi damnum alteri parti illatum, quando fictio fuerit huic formaliter injuriosa; quod si damnum reparari non possit nisi per matrimonium, puta post deflorationem, promittens ad contrahendum tenebitur.

3.ª Non valent sponsalia, quæ ab alterutra parte contrahantur cum ignorantia totali obligationis assumendæ, vel ex errore circa substantiam aut circa conditionem substantialem.

4.ª Non habentur sponsalia, si pars una matrimonium promisit, altera hanc promissionem acceptavit, quin repromitteret.

465. *Ex Princ. II.* — 1.ª Promissiones et repromissiones futuri Matrimonii inter parentes eorum qui Matrimonium inituri sunt, vel inter unam partem et parentes alterius, non sunt sponsalia.

2.ª Non valent sponsalia contracta ab iis, qui usu rationis non potiuntur, sive habitualiter, sive cum contrahunt.

3.ª Non valent sponsalia contracta inter laborantes impedimento matrimonium dirimente et non dispensabili aut non facile dispensabili: ita, si vir laboret impotentia, si sit sacerdos.

466. *Ex Princ. III.* — 1.ª Ad valida ineunda sponsalia partes subsignare debent scripturam unico contextu cum parocho aut cum testibus; nec sufficit quod scriptura ab una parte et a parocho vel a testibus subsignata remittatur ad alteram partem, quæ vicissim cum parocho vel cum testibus subsignet.

2.ª Testes possunt esse quilibet homines, qui de facto sponsalium testificari et scripturam subsignare valeant; etiam infideles, pueri, feminæ.

3.ª Sponsalia, quæ habeant omnia requisita ex parte promissionis et

1) CODEX *Can. 1017* § *1* et *2*. — Cf. CERATO *Op. cit. Num. 6;* CHELODI *17*.

ex parte promittentium, si careant forma Jure novissimo determinata, invalida sunt, quoad forum sive externum, sive internum: ejusmodi essent sponsalia facta verbis, signis, litteris; aut quæ careant vel unâ e formalitatibus requisitis, puta signatione unius testis.

4.ª Ad certiorem validitatem sponsalium apponatur scripturæ notatio diei, mensis et anni; nedum cifris, sed et literis.

5.ª Hæ formalitates modo requiri videntur etiam ad validitatem promissionis unilateralis. Ceterum facilius heic haberi poterit pro foro interno obligatio justitiæ ex jure naturali, si ex non impleta promissione damnum aliquod obveniat promissario.

6.ª Pro casu, quo utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, signatio alterius testis nunc requiritur, non ad solam liceitatem, sed ad ipsam sponsalium validitatem.

7.ª Nec rem, nec speciem seu apparentiam, sponsalium habet sic dictum matrimonium civile.

467. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Utrum valeant sponsalia inita ex metu?

Resp. 1.° Si metus sit ab intrinseco (usum rationis non perturbans), vel etiam ab extrinseco incussus juste, certe valent.

2.° Si metus sit ab extrinseco injuste incussus, et gravis et efficax, juxta S. Alphonsum et alios, sponsalia sunt ipso facto invalida, et nullam pariunt obligationem parti, quæ ex metu promisit: at ex Jure novissimo dicenda sunt tantum rescindibilia ex parte ejus, qui metum passus est. Id valet circa metum incussum a tertia persona, puta filiæ ab ejus parentibus. Verum, si metus ab altero contrahente sive per se sive per alium incutiatur, hic ex extorta promissione nullum jus acquirit. Ergo, qui ex tali metu promisit, nulla obligatione ex justitia tenetur, et ante quamcumque sententiam recedere potest: dum qui metum incussit tenetur injuriam resarcire, et, si pars altera exigat, Matrimonium cum ipsa contrahere. — Hæc sub debitis clausulis applicentur quoque promissioni unilaterali.

Qu. 2. Quid de sponsalibus initis ex dolo?

Resp. Hæc quoque ex Canone citato rescindibilia sunt. At, si auctor doli fuit ipse nupturiens, et pars dolose decepta ex inducto errore promittat, nulla in ea habetur justitiæ obligatio, cum nullum jus sit in decipiente. Si sponsalia defectu cognitionis aut libertatis invalida juramento firmantur, nec ipsa quidquam valent, nec juramentum.

Qu. 3. Quid de sponsalibus initis sub aliqua conditione?

Resp. 1.° Ut hæc valeant, necesse est eam conditionem positam esse in ipsa scriptura; quod rariorem reddet casum conditionis turpis, aut impedimenti indispensabilis. Ceterum sponsalia sub conditione turpi non valent; at eâ impletâ valebunt.

2.° Si conditio *a*) sit de præterito vel de præsenti et verificata, spon-

2) Codex *Canon. 103* § 2. — Cf. S. Ligorium VI. *Num. 844;* Noldin *530;* Gen. *441.*

salia valida sunt. — *b*) Si ea sit de futuro et vere suspensiva, sponsalia hic et nunc invalida sunt; at utramque partem obligant ad expectandam conditionis impletionem: impleta conditione valebunt, saltem si neutra pars consensum revocaverit.

Quid, si interim pars una suum consensum revocaverit? — Certe illicite egit: impleta vero conditione, juxta quosdam eadem sponsalia valida evadunt; juxta alios manent nulla 3.

Quid, si interim sponsus Matrimonium vel sponsalia contrahat cum alia? — In utroque casu graviter peccat: si Matrimonium contrahat, hoc valet; si sponsalia, hæc viderentur esse invalida.

3.° Si conditio est resolutiva, sponsalia valent; at ipsa conditionis impletione solvuntur.

Qu. 4. Utrum pars aliquo defectu laborans teneatur illum alteri parti, aut ante sponsalia, aut saltem postea revelare?

Resp. Negative; nisi agatur de defectu, qui Matrimonium redderet invalidum, vel qui alteri parti perniciosus sit aut injuriosus. Ita puella corrupta non tenetur suum defectum revelare, etsi certe juvenis re cognita minus libenter contraheret: ceterum interrogata imprudenter taceret, quando cum fundamento timeat, ne dein in matrimonio res patescat. — Circa feminæ sterilitatem recentes theologi disputant 4.

468. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quid de sponsalibus initis ab impuberibus?

Resp. Si contrahentes pollebant usu rationis et insuper obligationem assumendam satis agnoscebant, sponsalia valida sunt et firma; cum de his nihil statuat Jus novissimum.

Qu. 2. Quid de sponsalibus, quæ a filiis contrahantur contra voluntatem parentum?

Resp. Ea *per se* valida sunt. Tamen, si parentes illi matrimonio obstent ex justa et gravi causa, hoc illicitum fit filio; ac ideo sponsalia non valerent, ex quod essent promissio de re illicita. Confessarii cum filiis communiter faveant parentibus.

Qu. 3. Utrum valida sint sponsalia conditionate inita inter personas aliquo impedimento laborantes?

Resp. 1.° Si impedimentum tale est, quod aut ex seipso cessabit, aut ex libera contrahentium voluntate, *affirmative*. Ita valent sponsalia, si alterutra persona laboret impedimento ætatis aut voti castitatis temporanei; ita et quæ persona catholica ineat cum protestante, pro tempore quo hæc fidem catholicam suscipiet.

2.° Si habeatur impedimentum, quod dispensatione tantum cessare potest, et a quo Pontifex dispensare non potest aut non solet, vel si non habeantur causæ sufficientes ad dispensationem, sponsalia habenda sunt ut invalida, neque ullam pariunt obligationem.

3.° Si agatur de impedimento communiter dispensabili, ante obten-

3) Wernz *Jus matrim. Num. 103;* D'Ann. *508, 21;* Gasparri *De Matrim. 48.*
4) Cf. Ferreres *Num. 936;* Noldin *546.*

tam dispensationem invalida, at, eâ obtentâ, ex seipsis valida esse videntur. Tamen non caret probabilitate sententia opposita; juxta quam, etiam post impetratam dispensationem invalida sunt, nisi novo contractu ineantur: quare nec urgeri potest obligatio standi promissis 5.

469. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Quis veniat nomine *parochi*?

Resp. 1.° Venit ille sacerdos, qui sive ut parochus proprie dictus, sive ut œconomus spiritualis parœciæ vacantis, curam gerit illius parœciæ, intra quam fiunt sponsalia: opportunum est quod hic sit parochus proprius contrahentium aut unius ex ipsis.

2.° Parocho æquiparantur: *a*) Vicarius parœcialis, si plena potestate parœciali sit præditus; *b*) qui in vicariatu apostolico aut præfectura apostolica alicui parti (quasi parœciæ) ceu peculiaris rector assignatus fuerit.

3.° At qui parochus est, aut quasi-parochus, non potest hanc adsistentiam et subscriptionem alteri sacerdoti committere vel delegare.

Qu. 2. Num sponsalia fieri possint per procuratorem?

Resp. E recentibus quidam negant; eo quod Jus novissimum de procuratore taceat, ac statuat scripturam subsignandam esse a partibus. Plures tamen affirmant; eo quod Jus antiquum hanc formam admittebat, a quo non est recedendum, nisi Jus novissimum id expresse dicat 6. — Practice parochus ante factum viam tutiorem spondentibus suadeat.

Qu. 3. Utrum sponsalia informia jurejurando firmentur?

Resp. Ipsa sponsalia in seipsis invalida manent, nec ulli parti contrahenti jus tribuunt; quia forma determinata fuit ad Ecclesia in bonum commune, et juramentum non mutat naturam actus cui adjicitur. Insuper nec videretur obligare ipsum juramentum ex religione: nam juramentum est irritum, si actus ipse irritus ipso facto sit, sive jure naturali, sive jure positivo.

ART. II. — De effectibus sponsalium

470. **Principium.** Sponsalia valide contracta, *a*) obligant in foro interno utrumque sponsum ad Matrimonium cum altera parte contrahendum ex justitia; *b*) pro foro externo actionem dant ad reparationem damnorum, si qua debeatur; non vero ad petendam Matrimonii celebrationem, etsi nulla justa causa ab implenda assumpta obligatione excuset 7.

471. **Resolutiones.** — 1.ª Obligatio orta ex sponsalibus non est disjuntiva, aut ad Matrimonium contrahendum, aut ad damna re-

5) Cf. Genicot *Num. 442;* Wernz *95 sequ.;* Noldin *538;* Tanqu. *953.*

6) Cf. Chelodi *Num. 17;* Gen. *441;* Noldin *536;* Sebast. *531.* — Contra putat Cerato pag. 16.

7) Codex *Can. 1017* § *3.* — Actio reparationis damnorum est mixti fori; ex Comm. Pont. ad Can. Cod. interpr. 2-3 junii 1918. — Cf. *Monit. eccles.* XXX. 237.

paranda, si Matrimonium injuste negetur; sed est determinata ad Matrimonium 8: hinc in hac re nihil recessum est a jure præcedenti.

2.ª Sponsus, qui cum altera parte Matrimonium contrahere recuset, peccat graviter contra justitiam, et damna reparabilia reparare ex justitia tenetur, et quidem ante judicis sententiam.

3.ª Peccat contra justitiam sponsus, qui durantibus sponsalibus validis cum una persona, Matrimonium contrahat cum alia.

4.ª Sponsus, qui durantibus sponsalibus validis cum una persona sponsalia contrahat cum alia, graviter peccat et contrahit invalide: neque hæc nova sponsalia valida fiunt, si firmentur juramento, aut si sponsus cum secundo sponsa copulam habeat 9.

5.ª Si in contractu sponsalitio determinatum fuit tempus Matrimonii, hoc quoque obligat *per se* sub gravi; at gravitas vel levitas in concreto pendet, tum ab intentione spondentium manifestata et scripta, tum a gravitate dilationis.

6.ª Ex Jure novissimo, sponsalia, licet valida, non pariunt impedimentum publicæ honestatis.

7.ª Promissio unilateralis valida obligat promittentem ad Matrimonium cum promissario; et hoc ex fidelitate aut ex justitia, juxta theorias generales de efficacia promissionis.

8.ª Quæstiones de effectibus sponsalium, non ad parochum spectabunt, sed ad confessarium: negata enim actione ad Matrimonium, jus manet promissario, quod sine gravi peccato violari non potest.

472. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quid agendum parocho, si, imminente inter duas personas Matrimonio, tertia persona opponat secum ab uno nupturientium inita fuisse sponsalia, et quidem canonice valida?

Resp. a) Parochus, prout est imminentis Matrimonii quasi-minister, non debet illi Matrimonio suam adsistentiam denegare. Ratio est, quia pro foro externo non datur illi promissario actio ad impediendam Matrimonii celebrationem, sed tantum ad habendam damnorum reparationem 10; porro hæc actio per illud Matrimonium non impeditur. — *b)* Prout idem parochus est pastor et pater illus promittentis, curabit illum ab bonam frugem reducere, eumque, nisi causæ justæ obsint, hortari ut servet promissa. — *c)* Si iste parocho in confessione, vel cuilibet confessario, suam defectionem a promissis ante novum Matrimonium aperiat, intimare ei debet sub pœna denegandæ absolutionis, ut servet promissa; excepto utique casu, quo causæ habeantur obligationem datæ promissionis dissolventes, de quibus dicemus.

Qu. 2. Quid, si sponsalibus additæ fuerint arrhæ, aut munera? — Quid, si et pœna conventionalis?

Resp. Ad 1.um Nullo jure prohibentur, sive illæ, sive ista. Tantum-

8) Ferreres *Num. 933, 2;* Chel. *18;* Noldin *539;* quoad rem Cerato *6, 11.*
9) De gravitate peccati contra justitiam, tractant S. Ligorius *Num. 847* D'Ann. *512, 46;* Ball. *148-163;* Wernz *101;* Noldin *539.*
10) Comm. Ponti. diebus 2-3 junii a. 1918.

modo arrhæ, eo quod dantur in pignus Matrimonii, hoc contracto, *per se* restituendæ sunt danti; eo quacumque ex causa non contracto, manent in proprietate accipientis. Munera vero post contractum Matrimonium manent proprietas accipientis, seu (communiter) sponsæ: si vero Matrimonium non fiat, et quidem ex culpâ sponsæ, *per se* essent restituenda, cum data fuerint intuitu Matrimonii: at practice attendenda est conditio et indoles sponsorum.

Ad 2.um Si alteruter a sponsalibus recedat ex causa justa, nulla ei manet obligatio solvendi pœnam. Si recedat sine causa justa, adhuc quidam dubitant de validitate obligationis assumptæ; eo magis quod jura civilia hodierna has pœnas in sponsalibus rejiciunt 11.

ART. III. — De dissolutione sponsalium

473. **Principia. I.** Sponsalia, præterquam morte alterutrius sponsi, dissolvi possunt ipso jure, *a*) mutuo sponsorum consensu; *b*) superveniente impedimento dirimente.

II. Sponsalia dissolvi possunt ab una parte, etiam altera renuente, *a*) ob electionem status perfectioris; *b*) ob violatam ab altera parte fidem sponsalitiam; *c*) ob mutationem rerum notabilem, sive antecedentem ignoratam sive subsequentem.

474. **Expositio.** *Princ. I.* — 1.° Si uterque sponsus juri acquisito renuntiet, cessat in utroque obligatio justitiæ 12; id verum est, etiamsi sponsalia firmata fuerint juramento; imo et si copula habita fuerit.

2.° Sponsalium obligatio cessat, si superveniat impedimentum non dispensabile; ex. gr., impotentia perpetua, vel Matrimonium (utique illicitum) unius partis cum tertia persona 13; aut impedimentum, a quo Pontifex ordinarie non dispensat. Si superveniat impedimentum, a quo Pontifex aut Episcopus dispensat, pars ea quæ impedimentum causavit, tenetur ejus dispensationem impetrare.

475. **Expositio.** *Princ. II.* — 1.° Contractui sponsalitio tacita subintelligitur conditio « nisi statum perfectiorem elegero »: quare uterque sponsus ab obligatione assumpta liberatur per electionem status perfectioris. Porro status perfectior est certe religio, quam vere eligit qui Ordinem vel Congregationem ingreditur, imo et qui ingredi vovet: item status clericalis, quem vere eligit qui tonsuram et ordines minores suscipit. Plures affirmant esse vere statum perfectionem etiam statum virginitatis; cui quis se addicat per votum perpetuum 14. — Quid de eo, qui deinceps a no-

11) Cf. Wernz *Num. 99*, VI; Tanqu. *954*; Gén. *445*; Ball. *228*, *sequ.*

12) De his ac de sequentibus cf. Noldin *Num. 541-548*; Cerato *5*; Gen. *446*.

13) Certe obligatio partis derelictæ cessat; at probabile est sponsalia utrimque esse dissoluta, nec revictura ,si matrimonium per mortem ductæ illicite uxoris dissolvatur Cf. Ball. *Num. 263-274*; Wernz *114*, *Nota 141*.

14) S. Licorius *Num. 873*. — Cf. Ball. *350*, *seqq.*; Noldin *544*.

vitiatu vel a seminario discedat ? Probabile est jam statum perfectiorem electum fuisse, ac proinde sponsalia jam esse perpetuo soluta.

2.° Si unus e sponsis obligationem assumptam violavit, jam eo ipso jus erga alterum amisit; qui proinde ab obligatione est solutus. Casus frequentiores sunt: si pars una cum alia persona sponsalia contraxit; si fornicationem (præsertim sponsa) commisit; si fornicatio (præsertim sponsæ) ante sponsalia commissa postea innotescat. Si fornicatio fuit ex utraque parte, certe recedere potest sponsus; certe et sponsa, si sponsus prolem habuerit aut fornicari consueverit; secus probabiliter.

3.° Contractui sponsalitio alia subintelligitur conditio « si res ita se habeant,... si res ita permaneant ». Quare solutio datæ promissionis justificari censetur, si qua notabilis circumstantia antecedenter exsistens cognoscatur, quæ nota a sponsalibus ineundis retraxisset; item, si similis circumstantia superveniat. Satis obvii sunt casus sequentes: Quoad bona animi; quod sponsus fuerit aut evaserit ebriosus, socialista, anticlericalis, aut grave crimen commiserit, aut ad carcerem damnatus fuerit; de sponsa, quod violata fuerit, licet per vim. Quoad bona corporis, quod alteruter laboret syphilide, phtisi, nevrastenia, etc. Quoad bona fortunæ, quod sponsus pauper et operando impar sit; quod sponsa careat dote: addunt et casum, quo alterutri hereditas pinguis obvenerit. Quoad adjuncta externa, dissensus parentum ex justa causa. Ceterum determinatio mutationis sufficientis perdifficilis est; at in tribunali Pœnitentiæ valde tribuendum est assertionibus pœnitentis.

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS IN GENERE

476. Sicut in quolibet contractu, ita et in Matrimonio, ejus validitas naturaliter alligatur quibusdam conditionibus spectantibus aut materiam, aut contrahentes, aut ipsum contractum; quæ si desint, Matrimonium non licet, aut etiam non valet. Hæ autem conditiones definiuntur, tum legibus naturalibus ac divinis, tum legibus illius publicæ auctoritatis, cui ipse contractus subest. Porro, tum auctoritas declarativa quoad illas, tum auctoritas legislativa pro Matrimonio baptizatorum quoad istas, spectant exclusive ad Ecclesiam. « Supremæ tantum auctoritatis ecclesiasticæ est authentice declarare, quandonam jus divinum Matrimonium impediat vel dirimat. Eidem supremæ auctoritati privative jus est alia impedimenta Matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis, sive universalis, sive particularis » [1].

Divisio potissima impedimentorum ea est, qua quædam dicuntur *impedientia* seu *prohibentia;* quædam vero *dirimentia*. « Impedimentum impediens continet gravem prohibitionem contrahendi Matrimonium; quod tamen irritum non redditur, si, non obstante impedimento, contrahatur. Impedimentum dirimens, et graviter prohibet Matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur. Quamquam im-

pedimentum ex una tantum parte se habet, Matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum ».

Alia impedimentorum divisio est, qua quædam *publica* dicuntur, quædam *occulta*. « Publicum censetur impedimentum, quod probari in foro externo potest; secus est occultum » [1]. Quædam sunt publica ex natura sua, utpote a facto per se publico provenientia; ex. gr., consanguinitas, cultus disparitas, Ordo sacer. Hæc, etsi ignota sint, censentur esse publica.

Præ minore vel majore difficultate habendi dispensationem, « Impedimenta alia sunt *gradus minoris*, alia *majoris*. Impedimenta gradus minoris sunt: *a*) Consanguinitas in tertio gradu lineæ collateralis; *b*) affinitas in secundo gradu lineæ collateralis; *c*) publica honestas in secundo gradu; *d*) cognatio spiritualis; *e*) crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, etiam per civilem tantum actum. Impedimenta majoris gradus alia sunt omnia » [2].

Antequam Matrimonium celebretur, constare debet nihil ejus licitæ ac validæ celebrationi obsistere [3]. Hinc obvia distinctio, ut agamus; *a*) De investigatione impedimentorum; *b*) de eorumdem revelatione.

ART. I. — De investigatione impedimentorum

477. **Principia. I.** Antequam Matrimonium contrahatur, publice a parocho denuntietur inter quosnam Matrimonium sit contrahendum. Matrimoniorum publicationes fieri debent a proprio contrahentium parocho: fiant vero tribus continuis diebus Dominicis aliisque festis de præcepto in ecclesia inter Missarum solemnia, aut inter alia officia ad quæ populus frequens accedat [4].

II. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti judicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena diœcesi faciendis dispensare: ac pro suo territorio iisdem substituere potest publicam ad valvas ecclesiæ parœcialis aliusve ecclesiæ affixionem per spatium saltem octo dierum, quo duo dies festi de præcepto comprehendantur.

III. Parochus, antequam duos Matrimonio conjungat, moraliter certus esse debet de eorumdem immunitate a quocumque im-

1) Codex *Can. 1036, 1037, 1038.*
2) Codex *Can. 1042.* — Applicatio distinctionis habetur *Can. 1054.*
3) Codex *Can. 1019 § 1.* — Cf. et *Can. 1020.*
4) Codex *Can. 1022-1028;* ex Conc. Trid. *Sess. XXIV. De reform. Matrim. I.*

pedimento; nominatim vero de eorum Baptismo ac de statu libero, præsertim si extranei sint [5].

478. **Resolutiones.**— *Ex Princ. I.* — 1.° Nupturientes debent opportuno tempore parochum de Matrimonio celebrando præmonere: secus enim ei impossibile est legem Ecclesiæ implere.

2.ª Obligatio parochi gravis est, ut patet ex fine legis. Ipse vero a publicationibus non eximitur, eo quod sciat nullum haberi impedimentum; tum, quia perdifficilis est hypothesis; tum, quia; eâ datâ, finis legis cessat tantum *privative*.

3.ª Publicationes non necessario fieri debent in ecclesia parœciali: fieri possunt et in oratorio publico, in quod ea die propter solemnitatem fideles conveniant.

4.ª Parochus, qui nullam faciat publicationem, graviter peccat; leviter, si omittat unam; dummodo aliâ viâ periculum forte latentis impedimenti amoveatur: si omittandur duæ, recentes nutant.

479. *Ex Princ. II.* — 1.ª Præter Episcopum dispensare possunt etiam Vicarius generalis, Vicarius capitularis, et alii, qui in Jure veniunt sub nomine Ordinarii.

2.ª Si casus urgens habeatur ac Episcopus adiri non possit, parochus per epikeiam decernere potest in eo casu legem non obligare. Ita absque publicationibus conjungere potest duos concubinarios civiliter unitos, si unus eorum sit in articulo mortis, dummodo certus sit nullum haberi impedimentum.

Ex Princ. III. — 1.ª Parochus, præter quam per publicationes, debet et per seipsum inquirere, num forte impedimentum habeatur; hoc faciet etiam sponsos ipsos vel alios quoque modo prudenti et congruenti interrogando.

2.ª Si sponsi, aut alteruter, extranei sint, ab iis exigere debet litteras testimoniales datas a parocho loci, ubi novissime morati sunt: nominatim exigere debet ut suum statum liberum probent per litteras prædictas, aut si hæ haberi nequeant, per testes fide dignos, aut saltem per juramentum suppletorium, cujus excipiendi facultatem parochus petere debet ab Ordinario.

480. **Quaestiones.**— *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum decreta hæc obligent *sub gravi*, etiam relate ad circumstantias?

Resp. Affirmative; quia gravis est finis, ad quem et ipsæ conducere possunt notabiliter. Tamen, si causa æqua habeatur, dari potest locus epikeiæ: ita, si quodam die non festivo habeatur major populi concursus quam die festivo, licebit illo potiusquam isto proclamationes fieri. Nec videtur esse grave, si forte uno die festo, præsertim non dominico, interrumpantur.

Si intra sex menses Matrimonium contractum non fuerit, publica-

5) Codex *Can. 1019-1021, 1030. 1034.*

tiones repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur. — Regulariter tres dies recurrant inter ultimam publicationem et celebrationem Matrimonii.

Qu. 2. A quo parocho faciendæ sint publicationes?

Resp. A parocho nupturientium proprio [6]. Scilicet a parocho paroeciæ illius, in qua ipsi domicilium aut quasi-domicilium habent, ergo ab utroque, si nupturientes ad duas pertineant paroecias: quod si una pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario. Quoad vagos et eos qui non habent nisi diœcesanum domicilium vel quasi-domicilium, parochus proprius est parochus loci, in quo actu commorantur.

481. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Quibus ex causis dispensandum sit a publicationibus?

Resp. Causæ legitimæ sunt: *a*) Si timeatur, ne forte quis velit malitiose Matrimonium impedire; *b*) si ex dilatione Matrimonii infamia aut scandalum grave timeatur, ex. gr., si puella jam conceperit; *c*) si timeatur,, ne sponsus sponsam jam violatam derelinquat; *d*) si sponsus jam civiliter conjunctus proclamationes fieri non consentiat; *e*) si duo conviventes communiter censeantur conjuges esse. — Ex causis minus gravibus, ex. gr., ex senili nupturientium ætate, dispensatio dari potest, quando certo cognoscatur nullum subesse impedimentum.

Qu. 2. A quo Episcopo impetranda sit dispensatio?

Resp. a) Si Ordinarius loci in quo Matrimonium contrahitur est simul Ordinarius nubentium proprius, hic habet jus dispensandi, et quidem etiam a publicationibus in aliena diœcesi faciendis. — *b*) Si plures sint Ordinarii nubentium proprii, ille solus jus habet dispensandi, in cujus diœcesi Matrimonium celebratur; quod si Matrimonium extra proprias ineatur diœceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest.

ART. II. — De revelatione impedimentorum

482. **Principium.** « Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante Matrimonii celebrationem, revelare » [7]. Hæc obligatio habetur, tum ex jure naturali ac divino, tum ex lege positiva Ecclesiæ.

483. **Resolutiones.** — 1.ª Hac lege revelandi tenentur omnes et singuli fideles; ergo et ille, qui solus impedimentum novit, licet ipsum juridice probare non possit: imo tenentur et ipsi contrahentes.

2.ª Non tenentur impedimentum revelare, qui id facere nequeant sine gravi detrimento suo, vel sine sui infamatione, aut gravi scandalo. Ratio est, quia obligatio est ex virtute caritatis et ex lege Ecclesiæ:

6) Codex *Can. 1023* § *1*, coll. *Can. 94* et *1032*. — Cerato *Num. 14*; Chelodi *25*.

7) Codex *Can. 1027*.

porro nec illa, nec ista, obligat cum gravi vel gravissimo incommodo extrinseco.

3.ª Ab hac obligatione non excusat prævisio tristitiæ aut damnorum ex parte volentium contrahere: hoc enim incommodum intrinsecum est legi, et insuper non prævalet damno spirituali, quod ipsis ex matrimonio, præsertim invalido obveniret. Excipiendus esse videtur casus, quo ex notitia impedimenti infamia partibus oriatur 8.

4.° Qui impedimentum novit ex secreto sacramentali, etsi parochus sit nupturientium, in nullo casu potest impedimentum revelare.

484. **Quæstiones.** — *Qu. un.* Utrum impedimentum revelare debeat, qui illud novit sub secreto?

Resp. Affirmative, si illud novit sub secreto naturali, aut sub secreto mere promisso; imo, etsi noverit sub secreto pure commisso. Ratio est, quia obligatio revelandi est ad bonum commune, ac ideo secretarius non potuit sese obligare ad non revelandum legitimæ auctoritati impedimentum: quod valet, etiamsi quis se non revelaturum juraverit 9. At præter secretum sacramentale, excipiendum est secretum professionale, seu alicui personæ commissum ratione petendi consilii, ex. gr., parocho, medico, advocato; id enim postulat bonum commune. Secretarius tamen tenetur, saltem ex caritate, ipsos sponsos monere de impedimento.

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS PROHIBENTIBUS MATRIMONIUM

485. Cum Matrimonium christianorum simul sit contractus et sacramentum, quædam causæ ipsum illicitum reddunt ut contractum, quædam ut sacramentum 1.

Neutris accensemus *tempus feriatum*, quod currit a prima Dominica Adventus ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria quarta Cinerum ad Dominicam Paschatis inclusive. Hoc tempore, non proprie Matrimonium prohibetur, sed Missa votiva pro sponsis et nuptiarum benedictio: quæ tamen justa ex causa ab Ordinario loci permitti possunt 2; monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant. — Damus præcipua ex Codice.

ART. I. — De causis prohibentibus contractum matrimonii

486. Hæ causæ tres vel quatuor sunt: *a*) Prohibitio determinati Matrimonii data a legitimo Superiore; *b*) promissio Matrimonii facta alii per-

8) Ex *Can. 1136 § 1 n. 1* parochus interrogare testes in eo casu non deberet.
9) S. Ligorius *Num. 994;* Ball. *905;* Gen. *454;* Ferr. *149;* Noldin *554.*

1) De impedimentis Ferrazza *Gli imped. matrim. secondo il Codice* (Subiaco 1918).
2) Circa ritum, S. R. C. die 14 Junii a. 1918, apud *Monit. eccles.* XXX. 255.

sonæ; c) votum, sive ipsi Matrimonio obstans, sive usui ejusdem; d) alicubi cognatio legalis.

1.ª *Prohibitio* determinati Matrimonii. — a) In primis « Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt Matrimonium in casu particulari, sed ad tempus tantum, justa de causa, eaque perdurante » [3]. — b) Insuper ipse parochus quandoque ex causa gravi potest ac debet Matrimonii celebrationem differre; puta, quia præmissæ non fuerunt publicationes, quia prudens adhuc dubium habetur de exsistentia alicujus impedimenti dirimentis, quia sponsi nolunt vel nequeunt mox actum civilem perficere, præsertim quia vidua pensionem amitteret; etc. In hisce casibus parochus ordinarie consulet Episcopum. — c) Speciatim vero « parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum Matrimonio ne adsistat, nisi consulto prius Ordinario ». 4. Hæc cum debita proportione applicentur et filiis majoribus. Minoribus ex lege civili denegatur actus civilis, nisi consensus accedat parentum, aut saltem patris.

2.ª *Promissio Matrimonii* alteri jam facta ab alterutro nupturientium, qua iste adhuc teneatur ex justitia in foro interno. Codex enim promissario, non jus negat, sed actionem tantum. Hinc res non spectat ad parochum, sed ad confessarium promittentis infidelis: parochus autem parti a promissis recedenti negare nequit novi Matrimonii celebrationem [5]: moneat, hortetur, at non neget.

3.ª *Votum simplex*, et quidem quintuplex: a) Virginitatis; b) castitatis perfectæ; c) non nubendi; d) suscipiendi Ordines sacros; e) amplectendi statum religiosum [6].

Hi omnes, si durante obligatione voti Matrimonium contrahant, valide quidem contrahunt, at simul peccant mortaliter: quidam quia votum violant directe, quidam quia voti impletionem sibi impediunt. — a) Qui vovit virginitatem, *per se* votum non frangit contrahendo Matrimonium; sed graviter peccat, eo quod regulariter sibi non liceat virginitatem servare: ergo, si usum conjugii petat, peccat graviter, at admissa vel semel sui corporis violatione, etiam ad petitionem alterius, non amplius peccat; nec ejus votum reviviscit, si forte conjux moriatur. — b) Qui vovit castitatem perfectam, numquam potest petere usum conjugii; ac, si conjux moriatur, prohibetur cum alio contrahere. — c) Qui vovit non nubere, hic Matrimonium contrahendo votum frangit irreparabiliter; ideoque deinceps potest vivere matrimonialiter; at, si conjux moriatur, votum reviviscit. — d) Qui vovit Ordines sacros suscipere, hic inito Matrimonio tenetur a conjuge consensum petere suscipiendi Ordines, positis de jure ponendis: si hic denegetur, potest petere et reddere. — e) Qui vovit amplecti sta-

3) Codex *Can. 1039.*
4) Codex *Can. 1034.* — Cf. et C. c. *art. 63, 67, 108, 109, 124.*
5) Comm. Pontif. diebus 2-3 junii a. 1918.
6) Codex *Can. 1058 § 1.* — Cf. S. Ligorium *Num. 986 sequ.*

tum religiosum, prima Matrimonii consummatione graviter peccat; at dein licite reddit ac petit, quousque conjux aut moriatur aut ei religionis ingressum permittat.

Ex his votis, duo tantum vota privata sunt Sedi Apostolicæ reservata: votum perfectæ castitatis, et votum ingrediendi religionem; dummodo castitas vota sit in perpetuum et alterum votum respiciat religionem votorum solemnium: insuper necesse es quod vota emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum.

Qui post votum contrahere velit Matrimonium, dispensationem (per confessarium) impetrare debet a sacra Pœnitentiaria, si votum erat reservatum; secus ab Ordinario.

4.ª *Cognatio legalis*, ex adoptione orta, illicitum reddit Matrimonium in iis regionibus, in quibus lege civili nuptias reddit illicitas. Apud nos eas reddit etiam invalidas.

ART. II. — De causis prohibentibus sacramentum matrimonii

487. Hæ causæ tres sunt: *a*) Status peccati; *b*) status excommunicationis; *c*) mixta duorum contrahentium religio.

1.ª *Status peccati*. Cum Matrimonium inter baptizatos sit sacramentum, et quidem vivorum, ideo contrahentes debent esse in statu gratiæ, quia ipsum suscipiunt. Hic status gratiæ ab exsistentibus in peccato mortali recuperandus est per confessionem sacramentalem aut per contritionem perfectam. Verum quoad parochum, qui est ejusdem sacramnti quasi-minister, applicanda sunt ex parte quæ diximus de sacramentis denegandis. Scilicet, si indignitas contrahentium, vel alterutrius, occulta sit, parochus debet suam præsentiam exhibere. Si vero ea sit publica, obligatio denegandi suam cooperationem minor est, quam in ceteris sacramentis; eo quod sacramentum hoc ipse non confert, at peccato aliorum materialiter cooperatur. Imo cujuscumque peccati expers est, si causa cooperandi habeatur vere gravis; de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium.

« Catholici qui sacramentum Confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad Matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo » 7. Quibus verbis patet hoc sacramentum non absolute requiri.

2.ª *Excommunicatio*. Qui enim censurâ irretitus sacramentum ministret aut suscipiat, graviter peccat 8. Relate ad parochum, si contrahentes (aut alteruter) sint censurâ innodati occulte, parochus privatim eos moneat: si frustra, procedat ad celebrationem Matrimonii; quod si inutilem monitionem futuram prævideat, eam quoque omittat. Si sint publici peccatores aut censurâ innodati notorie, procuret ut debite cum Ecclesia reconcilientur: at, si reconciliari recusant et ex negata celebratione gravia

7) Codex *Can. 1021 § 2.* — Cf. dicta *Num. 99.*

8) Codex *Can. 2260 § 1.* — At qui contrahat cum excommunicato tolerato, peccat tantum peccato cooperationis materialis, a quo ipsum eximeret incommodum grave.

mala imminere videantur, parochus Ordinarium consulat; qui, habita ratione circumstantiarum omnibusque perpensis quæ a theologis et a S. Alphonso traduntur, ea delarabit, quæ in Domino expedire judicaverit 9; scilicet, tolerandam esse in eo casu parochi præsentiam; exclusa semper Missæ celebratione et benedictione, nisi ex hac omissione gravissima mala timeantur 10. Proinde eamdem praxim parochus ipse sequetur, si forte impossibile sit Episcopum consulere.

Hæc applicanda sunt Matrimoniis cum iis, qui notorie aut fidem catholicam abjecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt 11.

Per interdictum habens rationem censuræ non prohibentur Matrimonia: tamen non licet benedictio nuptiarum 12.

3.ª *Mixta religio;* qua, nempe, contrahentes baptizati, unus catholicus sit, alter sectæ hæreticæ seu schismaticæ adscriptus. Ecclesia semper hujusmodi matrimonia detestata est; quippe quæ et important communicationem in divinis, et parti catholicæ ac proli periculum afferunt perversionis ac indifferentismi. Hinc pars catholica in tali matrimonio contrahendo *per se* mortaliter peccat; nisi legitimam prius impetraverit dispensationem: insuper *per se* peccat etiam parochus adsistens, ratione cooperationis ad peccatum contrahentis et ad ejusdem funesta consectaria. — Quod si adsit perversionis periculum, conjugium ipsa lege divina vetatur.

Hinc patet quænam sint parochi officia: *a*) Ipse, tum publice agens, tum private, hæc matrimonia insectari debet ac ab iisdem juvenes, et præsertim puellas catholicas, absterrere. — *b*) Si matrimonium aliquod mixtum impedire non valeat, Episcopum consulat, a quo et facultatem habebit et necessarias instructiones de cautionibus. — *c*) Accepta ab Episcopo facultate cum instructionibus, Matrimonio adsistat. — *d*) Antequam Matrimonio adsistat, contrahentibus intimare debet obligationem contrahentis acatholici vel schismatici permittendi amplissimam libertatem coniugi catholico; obligationem utriusque educandi prolem in fide catholica; et prohibitionem ne pro Matrimonio iterum firmando adeant ministrum acatholicum, quatenus minister est *religiosus*: imo parti catholicæ intimare debet excommunicationem Ordinario reservatam, si coram ministro acatholico matrimonium ineat 13.

CAPUT IV.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS MATRIMONIUM

488. *Impedimenta irritantia* vel *dirimentia* Matrimonium intelliguntur

9) S. Pœnit. 15 jul. 1856, 10 dec. 1860; ex. S. Lig. *Lib. IV. Num. 54.*
10) S. C.S. Off. die 21 febr. 1883, apud Lehmk. *Num. 714 Nota 1.*
11) Codex *Can. 1065.* — Cf. Genn. *Cons. mor. XX,* et *Quest. mor. 254.*
12) Codex *Can. 2271 n. 2.* — Cf. Ball. *De sacram. in gen. Num. 59.*
13) Codex *Can. 1063, 2319 § 1.* — Cf.

causæ illæ, quæ directe ipsum contractum afficiunt, illumque invalidum reddunt ob defectum alicujus conditionis ad ejus validitatem requisitæ.

Hujusmodi impedimenta, spectatâ eorum origine, alia sunt *juris divini*, sive *naturalis*, sive *positivi*; et hæc ligant quoscumque, etiam infideles: alia sunt *juris ecclesiastici*; et hæc ligant omnes subditos *Ecclesiæ* 1.

Jure novissimo impedimenta dirimentia sunt tria ac decem, hoc ordine digesta: *Ætas, impotentia, vinculum, cultus disparitas, Ordo sacer, votum solemne, raptus, crimen, consanguinitas, affinitas, publica honestas, cognatio spiritualis, cognatio legalis* 2.

De hisce impedimentis certa sunt sequentia: *a*) Ea irritant Matrimonium, etsi inculpabiliter ignorentur. — *b*) Eadem efficaciam habent irritandi Matrimonium etiam in casu, quo irritatio gravissimum secum ferat incommodum: hinc ne in eo quidem casu licebit Matrimonium contrahere. Hoc non impedit quominus impedimenta quædam juris ecclesiastici in ejusmodi circumstantiis cessent. — *c*) Impedimenta putatitia *per se* non irritant Matrimonium: at qui cum hac falsa opinione contrahit, forte contrahet invalide *per accidens*, propter defectum veræ intentionis.

489. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quid parocho agendum in dubio de exsistentia alicujus impedimenti?

Resp. 1.° — *a*) Si dubium sit *juris* et versetur circa impedimentum juris naturalis aut divini, Matrimonio adsistere non debet: validitas enim Matrimonii contrahendi est finis consequendus absolute, tum ratione sacramenti, tum ratione contractus. Porro, si impedimentum objective exsistat, Matrimonium invalidum est: hoc autem periculum caveri non potest, nisi ab eo Matrimonio abstinendo. Ita, cum doctores disputent utrum consanguinitas in primo gradu lineæ collateralis Matrimonium dirimat ex jure divino, numquam fratri licebit ducere sororem. — *b*) Idem docent theologi in dubio *facti* circa impedimentum juris naturalis; saltem, si impedimentum inhabilem quempiam reddat relate ad paucas personas aut non perpetuo; ex. gr., si dubitetur num Titius ac Titia fratres sint, num Sempronii uxor sit defuncta. Nunc pro dubio solvendo datæ sunt normæ determinatæ et practicæ ex Jure novissimo.

2.° Si agatur de dubio *juris* circa impedimentum juris ecclesiastici, Matrimonium inire licet: nam « leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio juris non urgent » 3.

3.° Si agatur de dubio *facti*: *a*) « Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub juramento duos saltem testes fide dignos; dummodo ne agatur de impedimento ex cujus notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas partes. — *b*) Publicationes peragat vel perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel perfectas publicationes. — *c*)

1) Rationes, propter quas Ecclesia impedimentis juris naturalis adjecit et sua, dant S. THOMAS *Supplem. Qu. 53, art. 3*; LEO XIII Encycl. *Arcanum*.

2) CODEX *Can. 1067-1080*.

3) CODEX *Can. 15*. — Cf. FERR. *994*; GÉN. *694*; CHELODI *36*.

Matrimonio ne adsistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter judicaverit. — *d*) Detecto impedimento certo, si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad Sacram Pœnitentiariam. — *e*) Si impedimentum sit publicum et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiæ tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat et rem ad Ordinarium deferat. — *f*) Demum, si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum, parochus expletis publicationibus, ad Matrimonii celebrationem partes admittat » 4. Præscriptiones hæ positivæ satis claræ sunt. In dubio autem facti circa impedimenta juris ecclesiastici potest Ordinarius dispensare; dummodo agatur de impedimentis, in quibus Romanus Pontifex dispensare solet 5: imo in casu periculi mortis et in casibus urgentioribus dispensare poterit et parochus, si adiri non possit Ordinarius.

Qu. 2. Quid agendum sit parocho, qui ipsa die Matrimonii contrahendi ex confessione unius sponsi (vel etiam extra) reperiat intercedere impedimentum occultum?

Resp. 1.° Si est impedimentum, a quo Ecclesia non potest aut non solet dispensare, imponere debet pœnitenti, ut a matrimonio sub quocumque prætextu abstineat; nec renuenti potest absolutionem concedere. Ceterum extra sacramentalem confessionem, ut parochus, nihil novit. — Idem dicatur de quovis confessario.

2.° Si est impedimentum juris mere ecclesiastici, nec Matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit donec adeatur Ordinarius, parochus et sacerdos ad Matrimonium delegatus concedere possunt dispensationem, imo et confessarius in actu sacramentalis confessionis pro foro interno. At præter sacrum presbyteratus Ordinem, excipitur affinitas in linea recta, consummato Matrimonio: casus esset de Titio, qui, defuncta sua uxore Titia, ducere velit Cajam, quæ nunc deprehenditur esse Titiæ mater vel ex alio viro filia 6. — Eadem facultas conceditur, si impedimentum post celebratum Matrimonium detegatur, et idem periculum sit in mora, nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem vel ad Ordinarium.

Qu. 3. Utrum impedimenta juris ecclesiastici ligent baptizatos ab Ecclesia catholica separatos, etsi non sint apostatæ?

Resp. Id pendet unice a voluntate Ecclesiæ. Porro Jure novissimo Ecclesia eos eximit tantum a forma Matrimonii et ab impedimento disparitatis cultus; ergo ceteris tenentur 7. — Modo de singulis.

4) Codex *Can. 1031* § *3*. — Cf. Raia Op. cit. pag. 29 sequ.; Cerato *Num. 22*.

5) Codex *Can. 15*. — Cf. et *Can. 1076* § *3*.

6) Codex *Can. 1043-1045*, coll. *Can. 1046*. Cf. Raia pag. 50.

7) Codex *Can. 1099* § *2*, *1071*. — Cf. Tanqu. *Num. 1146 sequ.*; Chelodi *17*.

ART. I. — De ætate

490. **Principium.** « Vir ante decimum sextum ætatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, Matrimonium validum inire non possunt » [8].

491. **Resolutiones.** — 1.ª Matrimonium eorum, qui, cujuscumque sint ætatis, non satis intelligere possunt officia conjugalia, invalidum est jure naturali. Ejusmodi sunt amentes perpetuo; item dementes, fatui, stupidi et omnes qui destituantur actuali usu rationis ad contrahenda onera matrimonialia necessario et sufficiente.

2.ª Impedimentum ætatis est ex jure positivo: hinc super eo dispensare potest Romanus Pontifex cum iis, qui inhabiles non sint jure naturali: insuper validum esse potest Matrimonium infra eam ætatem inter non baptizatos.

3.ª Curent animarum pastores a Matrimonio contrahendo avertere juvenes ante eam ætatem, qua secundum regionis receptos mores Matrimonium iniri solet; non enim vacaret periculis.

4.ª Quoniam legislatio italica et generatim legislationes hodiernæ ab actu civili repellunt, tum virum ante expletum annum decimum octavum et feminam ante expletum decimum quintum, tum filios minores nisi accedat consensus parentum vel quasi-parentum ideo parochus, tum illos, tum istos, ad Matrimonii celebrationem non admittat: quod si insistant et urgeant, ipse consulat Ordinarium.

ART. II. — De impotentia

492. *Impotentia*, prout est impedimentum canonicum, est « incapacitas, inter virum et feminam exsistens, coëundi perfecte »; ita, scilicet, ut fiant una caro, adeo ut vir semen effundere possit in vaginam mulieris: ea esse potest, tum naturalis ex ipsa organi constitutione, tum accidentalis ex morbo, ex vulnere, ex operatione chirurgica, etc. Incapacitas vero generandi in iis, qui perfecte coire possunt, dicitur *sterilitas*: hæc validitati Matrimonii non obstat.

Impotentia ratione sui, est *absoluta*, si habeatur relate ad quascumque personas; est *relativa*, si habeatur relate ad personam determinatam propter defectum proportionis inter utriusque organa sexualia.

Ratione relationis ad Matrimonium, alia *antecedens* est, quæ ipsum præcedit; alia *subsequens*, quæ postea inducta fuit. — Ratione durationis, alia est *perpetua*, quæ aut nullatenus tolli potest, aut nonnisi mediis illicitis vel nimis periculosis; alia est *temporanea*, quæ aut ex se aut mediis ordinariis et licitis cessare potest.

493. **Principium.** « Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita

8) Codex *Can. 1067* (aliter C. c. art. 53). — Nec juvat quod malitia suppleat ætatem.

sive non, sive absoluta sive relativa, Matrimonium ipso naturæ jure dirimit » [9].

494. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Quænam personæ dicendæ impotentes ?

Resp. 1.° Inter viros sunt impotentes absolute : *a*) Qui careant utroque testiculo, vel quorum testiculi propter contusionem semen effundere non valeant ; *b*) quorum penis erigi non valeat (dicebantur *frigidi*) ; *c*) qui nimis calidi sunt, adeo ut semper effundant ante penetrationem vasis feminei ; *d*) qui vasectomiam subierint.

2.° Inter feminas sunt impotentes absolute : *a*) Quæ careant vagina aut vulva ; *b*) probabilius etiam quæ vaginam aut vulvam nimis arctam aut occlusam habeant.

3.° Laborant vero impotentia relativa vir ille et illa femina, inter quos possibilis copula non sit propter improportionem inter penem viri et vaginam feminæ ; ac hodie impotentia haberi censetur, etiam si vir ad os vaginæ semen effundere possit, quod forte in vaginam vi naturali attrahatur [10]. Item impotentia laborant hi, quorum aversio naturalis impediat, ne vir erga feminam excitetur : at res nimis implexa, ideoque impotentia dubia.

Qu. 2. Utrum impotens sit ea femina, quæ utero et ovariis, vel illo et istis, sive naturaliter, sive artificialiter, caret ?

Resp. Recentibus, nedum probabilis, vel vix non certa, est opinio, quod ea femina impotens sit, eo quod in utroque casu impossibilis sit finis primarius Matrimonii [11]. Ceterum, probabilitas opinionis oppositæ, saltem ex auctoritate, negari non potest ; ac proinde impotentia dubia est. Porro « si impedimentum impotentiæ dubium sit, sive dubio juris, sive dubio facti, Matrimonium non est impediendum » [12]. — Hinc : *a*) Confessarius prohibere non potest quominus in hisce casibus Matrimonium contrahatur : multo minus usum conjugii prohibere potest, si hæc operatio post ipsum initum fiat. — *b*) Femina, quæ operationem subierit, sponsum de ea præmonere debet ; saltem quia Matrimonium erit infecundum. — *c*) Operatio illa tunc tantum licita erit, cum necessaria est ad vitam servandam ; tum ex ratione modo indicata, tum quia ipsa est vera mutilatio. — *d*) Eadem operatio, etiam partialis, prorsus illicita erit, si fiat ad procurandam feminæ sterilitatem.

Qu. 3. Quanta scientia in sacerdotibus necessaria sit de conceptu phisiologico impotentiæ feminæ ?

Resp. Præter notionem genericam, non alia quam qua sciant se nihil scire. Ratio est, quia casus de hac materia difficiliores sunt, et confessariis rarissime et fere numquam proponuntur : puellæ enim ab

9) C ODEX *Can. 1068 § 1.* — Cf. et C. c. *art. 107.*
10) WERNZ *Num. 342, 347* ; VERM. *40* ; NOLDIN *573, 3* ; GEN. *484, 3,* et *512.*
11) Cf. SEBASTIANI *Num. 561* Nota *1.*
12) CODEX *Can. 1068 § 2.*

interrogandis de hac materia confessariis quammaxime abhorrent, et jure. Itaque confessarius, si puella nubenda ei dicat sibi impossibilem futuram conjunctionem maritalem cum viro, ipsi imponere debet ut a Matrimonio abstineat: si dicat se dubitare, eidem imponat ut consulat medicum vel obstetricem, aut matrem suam vel feminam prudentem; et pro responso accepto Matrimonium contrahat, vel ab eo abstineat. In casu exceptionali, quo ea neminem consulere possit præter confessarium, hic rem ab ea accipiat summatim, eamdem summatim medico referat, ab eo accepturus et relaturus responsum per simplex monosyllabum « sì », aut « no ».

Idem censemus dicendum circa alia phænomena muliebria, præsertim si quando anomala sint.

Qu. 4. Quid agendum, si impotentia dubia sit?

Resp. 1.° Curandum in primis, ut dubium solvatur. Si hoc solvi non potest, et agitur de Matrimonio contrahendo, certe pars forte impotens aliam monere debet, ne ei gravissimam faciat injuriam. Eâ præmonitâ et in Matrimonium consentiente, hoc non est absolute prohibendum, eo quod in dubio prævalet jus, quod quisque habet ad matrimonium. Jus novissimum expresse decernit: « Si impedimentum impotentiæ dubium sit, sive dubio juris, sive dubio facti, Matrimonium non est impediendum » [13]. Ceterum ipse contractus matrimonialis conditionatus est, et sacramenti validitas dubia: hæc autem permitti potest, eo quod causa habetur proportionate gravis.

2.° Contracto Matrimonio, quando de impotentia ex impossibilitate consummandi constat, conjuges habeantur tamquam invalide conjuncti: at parochus vel confessarius rem ad Episcopum deferat, ut ejus judicio definiatur. — Ubi impotentia dubia consequens est, experimentum licet, usquedum certi fiant copulam nullo modo perfici posse: ex tunc, manent quidem legitime conjuncti, at vivere debent caste.

Qu. 5. Utrum femina, congressui maritali inepta, contracto jam Matrimonio teneatur se aptam reddere?

Resp. 1.° Si ineptitudo est vera impotentia antecedens et certa, neque auferibilis nisi per operationem afferentem periculum mortis, *negative*: in eo casu tenetur a putatitio marito recedere, cum Matrimonium fuerit invalidum. Si auferibilis sit sine periculo mortis aut gravis morbi, teneri videretur, ne compars suo jure fraudetur.

2.° Si ea ineptitudo est impotentia antecedens dubia aut etiam consequens certa, et potius ex parte viri sit quam ex parte feminæ ipsius, hæc teneri poterit ex caritate, non ex justitia. Si vero ea sit ex parte feminæ, hæc se aptam reddere tenebitur ex justitia; dummodo id fieri possit mediis licitis nec afferentibus incommoda extraordinarie gravia. Ita, si absque cæsione possibilis et sufficiens sit aliqua vaginæ reseratio aut dilatatio, hæc autem vel ab ipsa femina fieri possit, vel ab alia aut a

13) Codex *Can. 1068 § 2;* qui non videtur doctrinæ theologorum contrarius, ceu censet Raia pag. 86. — Cf. S. Ligorium *Lib. VI. Num. 1102.*

viro absque ipsius gravi verecundia, ad hoc medium adhibendum teneretur

Utrum vero teneatur, si necessaria sit incisio per manum chirurgi, tres apud S. Alphonsum habentur sententiæ, quarum tertia probabilior docet eam teneri etiam cum gravi molestia et dolore, excluso periculo mortis aut gravis morbi; at non ex hoc cessat esse probabilis ea, quæ docet eam non teneri, quoties id ei gravem inferret verecundiam, ex qua ne ad mortem quidem vitandam teneretur chirurgi manum subire. Caveat ergo confessarius ab obligatione non prorsus certa imponenda.

Qu. 6. Quid agat confessarius, si post contractum Matrimonium comperiat conjuges, aut ex eis alterutrum, laborare impotentiâ ?

Resp. 1.° Si sint in mala fide, et impotentia certa sit et antecedens et perpetua, eis imponere debet separationem. Quia vero difficile est probare eam impotentiam esse antecedentem et perpetuam, suggerat petendam esse separationem judicialem, vel potius dispensationem super Matrimonio rato et non consummato. In casu impotentiæ consequentis, imponere eis debet, ut convivant caste: minime vero prohibere potest actus illos, qui per se ad pollutionem producendam non tendunt; imo nec tactus, oscula, amplexus.

2.° Si iidem sint in bona fide, et impotentia certa, antecedens et perpetua, *per se* essent per declarationem judicialem separandi. Verum sæpe expedit eos in bona fide relinquere, ad vitanda peccata formalia: separatio enim, regulariter judicio Episcopi facienda, personis hujusmodi durissima esse solet, ac insuper, præter dicteria et risus, frequenter gravia scandala creat. Confessarius itaque Episcopum consulat; interim cum pœnitente dissimulet, vel ab eo exigat promissionem standi mandatis Episcopi.

3.° Multo magis confessarius dissimulare potest, quando agatur de impotentia subsequente, et ex monitione nihil speret, multum timeat. Etiam in hoc casu opportune consulet Episcopum.

ART. III. — De vinculo

495. **Principia. 1.** « Invalide Matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris Matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei » [14]. Ratio est quia « essentiales Matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas; quæ in Matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti ».

11. Impedimentum vinculi numquam cessare potest ex parte unitatis Matrimonii: ex parte indissolubilitatis cessat, tum quando de prioris Matrimonii nullitate aut solutione legitime et certo constiterit, tum per privilegum fidei.

14) Codex *Can. 1069.* — De bigamis pœnas decernit Codex *Can. 2356.*

496. **Expositio.** *Princ. II.* — Circa primum Matrimonium duplex haberi potest casus. — *a*) Primus, quod illud in se fuerit invalidum, sive propter impedimentum dirimens, sive propter defectum consensus in alterutra parte, sive propter omissam formam canonicam. — *b*) Alter casus esset, quod Matrimonium illud, in se validum, deinde fuerit solutum; et hoc una e quatuor causis sequentibus: Si Matrimonium fuit ratum, dissolvi potuit ex dispensatione Summi Pontificis, ex emissa ab alterutra parte professione religiosa solemni; si fuit etiam consummatum, dissolutum ex se est ex morte alterutrius partis; et insuper, si contractus fuerat ab infidelibus, ex eo quod, una parte ad fidem conversa, alia converti noluerit, nec cum illa cohabitare absque contumelia Creatoris: in hoc casu Matrimonium solutum fuit pro parte conversa.

Porro « Matrimonium gaudet privilegio juris; quare in dubio standum est pro valore Matrimonii, donec contrarium probetur » 15.

497. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Hoc impedimen est juris naturalis ac divini: repugnat enim utrique fini Matrimonii; et attentatum novum matrimonium lædit jus prioris conjugis, cui ne ipse quidem renuntiare potest.

2.ª Manente vinculo primi conjugii, Ecclesia ab hoc impedimento dispensare non potest: at quandoque solvere potest ipsum vinculum.

3.ª Hoc impedimentum tenet etiam infideles, salvo tamen privilegio fidei seu Paulino.

498. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui, falso existimans præcedens Matrimonium solutum esse, alias nuptias ineat, has init invalide; quod si conjux prior compareat, ad illum redire tenetur.

2.ª Si quis post contractas secundas nuptias audiat priorem conjugem eo tempore vixisse, nunc autem obiisse, non potest novo conjugi convivere, antequam ejus Matrimonium novo legitimo consensu convalidetur.

3.ª Qui, novis nuptiis contractis, comperiat se præcedenti Matrimonio adhuc ligari, tenetur ab usu novi conjugii sub quocumque metu abstinere: nec petere potest, nec reddere; est enim usus ille res intrinsece mala.

499. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II. Qu. 1.* Quid requiratur, ut Matrimonium contrahi possit ex declaratione nullitatis prioris matrimonii?

Resp. Requiritur sententia, quandoque unica, quandoque duplex, data judicialiter ab Ordinario cum interventu defensoris vinculi matrimonialis, qua authentice declaretur Matrimonium fuisse ex uno e tribus capitibus invalidum. Quod si aut conjux sui juris tenax, aut defensor vinculi interponat ad Sanctam Sedem appellationem, hujus sententia omnem solvet quæstionem.

15) Codex *Can. 1014.*

Qu. 2. Quandonam licebit ad novas nuptias transire propter præcedentis Matrimonii solutionem?

Resp. Tunc tantum licebit, cum de ea solutione constet legitime et certe. — *a*) Si Matrimonium illud, ratum et non consummatum, solutum esse dicatur ex dispensatione Sedis Apostolicæ vel ex solemni professione, de utroque eventu proferri debet documentum authenticum, et de inconsummatione Matrimonii certa demonstratio. — *b*) Si solutum esse dicatur morte conjugis prioris, de hoc facto procurari debet certitudo ex documentis authenticis, vel depositione testium oculatorum vel auricularium, addita etiam probatione ex conjecturis, indiciis, præsumptionibus, etc. Tamen parochus, si de ea morte constet omnino, potest novis nuptiis adsistere absque ulla sententia Ordinarii: quoties dubitat, Ordinarium debet consulere; qui, aut ipse rem solvet, aut ad Apostolicam Sedem deferet. — *c*) Relate ad privilegium fidei seu Paulinum, si pars baptizata sub debitis conditionibus Matrimonium contrahat cum fideli, ac dein de validitate sui Baptismatis dubitet, hoc quidem iterandum est sub conditione, at Matrimonium antea initum cum infideli certe solutum est per Matrimonium certe validum cum fideli: licet et hoc ex dubio Baptismate dubium per se esset. « In re dubia privilegium fidei gaudet favore juris » [16].

ART. IV. — De cultus disparitate

500. *Cultus disparitas* heic intelligitur perfecta, seu « diversitas religionis, quæ est inter baptizatum et non baptizatum ».

Principium. « Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eamdem ex hæresi aut schismate conversa » [17].

501. **Resolutiones.** — 1.ª Matrimonium invalide contraheretur a persona baptizata catholica cum alia, de qua modo constet nullo modo fuisse baptizatam, vel baptizatam fuisse invalide.

2.ª Si post contractum Matrimonium constet unum e contrahentibus non fuisse valide baptizatum, prius conferendus est Baptismus; dein Matrimonium convalidandum; nec ante hanc convalidationem licite uterentur conjugio.

3.ª Hoc impedimentum modo non afficit personas quæ baptizatæ fuerint in hæresi aut schismate, nisi ante Matrimonium ad Ecclesiam catholicam conversæ sint: e contra afficit personas in Ecclesia catholica baptizatas, quæ dein ad hæresim vel schisma defecerint.

502. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Qui agendum in dubio insolubili de collato valide Baptismo?

16) Codex *Can. 1127.* — Cf. Raia pag. 205, seqq.
17) Codex *Can. 1070* § *1.* — Cf. S. Thomam *Suppl. Qu. 59, art. 1.*

Resp. 1.° Si dubitetur ante Matrimonium, Baptismus antea conferendum est *sub conditione;* dein Matrimonium contrahendum. Si pars dubie baptizata Baptismum certum suscipere recuset, opportune quidem petenda dispensatio ad cautelam; at non necessario: Baptismus enim dubius relate ad Matrimonium præsumitur collatus, et collatus valide; quod si objective collatus valide non fuerit, Ecclesia pro Matrimonio dispensationem supplere consetur 18.

2.° Si dubium oriatur post Matrimonium, fieri quidem debet investigatio: at, si nihil inde eruatur, Matrimonium habendum est validum; licet pars dubie baptizata teneatur Baptismum *sub conditione* suscipere. Quod si deinceps Baptismus detegatur nullus fuisse, renovandus est consensus ad normam Canonis 1134 19.

Qu. 2. Utrum ab hoc impedimento detur dispensatio?

Resp. Affirmative, cum sit impedimentum juris ecclesiastici; at non facile, cum sit *gradus majoris.* Romanus Pontifex dispensare non solet, nisi sub certis conditionibus: *a*) In primis absit contumelia Creatoris; seu, pars non baptizata promittat parti baptizatæ plenam libertatem profitendi religionem catholicam et instituendi in ea omnem prolem. — *b*) Adsint causæ vere graves; ex. gr., salus eorum, qui jam matrimonio civili juncti sint, aut ab eo contrahendo cohiberi non possint. — *c*) Sæpe additur promissio facienda a parte baptizata curandi conversionem alterius 20. — *d*) Minus difficile datur dispensatio in regionibus, in quibus plures sunt infideles aut hæretici; in regionibus catholicis difficilius.

ART. V. — De ordine sacro

503. « Nomine Ordinum majorum vel sacrorum intelliguntur presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus ». — Ita Jus novissimum.

Principium. « Invalide Matrimonium attentant clerici in sacris Ordinibus constituti » 21.

504. **Resolutiones.** — 1.ª Ordo sacer nullum facit Matrimonium subsequens *per se.* Proinde invalide contraheret etiam ille, qui in suscipiendo subdiaconatu expresse nolit votum castitatis emittere; nec amplius requiri videtur quod sciat Ordini sacro adnexam esse obligationem servandi perpetuo castitatem.

2.ª Ordo sacer non dirimit Matrimonium jam contractum; at ejus usum prohibet.

18) Cf. S. Off. 7 julii 1880, 18 sept. 1890. — Plura habet Gènicot *Num. 488.*

19) Codex *Can. 1014, 1070* § *2.*

20) Codex *Can. 1071,* coll. *1060-1064.* — S. Thomas *Qu. 54, art. 3.*

21) Codex *Can. 1072.* — Cf. Conc. Trid. *Sess. XXIV. De Matrim. Can. 9;* Codex *Can. 132* § *1.* De clerico ad Ordinem sacrum recipiendum metu gravi coacto agit Codex *Can. 214* § *1.* de quo Raia pag. 96.

3.ª Romanus Pontifex ab hoc impedimento dispensare potest; cum sit juris ecclesiastici. Cum subdiaconis et diaconis, urgente mortis periculo, dispensare potest loci Ordinarius; imo, si hic adiri nequeat, tum parochus, tum sacerdos Matrimonio adsistens, tum pro foro interno confessarius in actu sacramentalis confessionis.

4.ª Subdiaconus solemniter vota in Ordine religioso professus duplici ac diverso impedimento tenetur, saltem probabiliter.

ART. VI. — De voto solemni

505. Votum solemne est illud, quod ab Ecclesia uti tale agnitum fuerit.

Principium. « Invalide Matrimonium attentant religiosi, qui vota solemnia professi sint, aut vota simplicia quibus ex speciali Sedis Apostolicæ præscripto vis addita sit nuptias irritandi.

506. **Resolutiones.** — 1.ª Ad invalidandum Matrimonium necesse et satis est, quod professio valida fuerit et solemnis; iis, nempe, dotibus munita, quæ ad eam requiruntur jure, tum naturali, tum canonico.

2.ª Romanus Pontifex ab impedimento voti solemnis dispensare non solet, præterquam cum exsistentibus in gravi periculo mortis, est enim *gradus majoris*.

3.ª Votum simplex castitatis, etiam quod emittatur in Congregatione religiosa, aut pro primo triennio in Ordine votorum solemnium, reddit illicitum subsequens Matrimonium, at non invalidum.

4.ª Nullum est matrimonium illius, qui in Societate Jesu vota simplicia emiserit post biennium novitiatûs.

ART. VII. — De raptu

507. *Raptus* heic est « violenta mulieris abductio a loco tuto in alium, causâ contrahendi cum ea Matrimonium ».

Ut raptus habeatur, tria requiruntur: *a*) Mulier abducta fuerit violentia, sive physica sive morali, h. e., gravi metu aut minis; *b*) eadem abducta sit a loco, in quo sui juris erat, in locum, in quo subsit potestati raptoris; *c*) eadem abducta sit intuitu Matrimonii contrahendi.

508. **Principium.** *a*) « Inter virum raptorem et mulierem intuitu Matrimonii raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere Matrimonium. — *b*) Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat. — *c*) Quod ad

22) Codex *Can. 1073.* — Cf. Bevil. *Num. 300-305.*

Matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris; cum, nempe, vir mulierem in loco, ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu Matrimonii detinet » [23].

509. **Resolutiones.** — 1.ª Raptus Matrimonium dirimit ratione sui, non ratione defectus liberi consensus in femina contrahente. Hinc invalidum est matrimonium, etsi illa in statu raptus, raptoris blanditiis et promissionibus allecta, libere et libenter consentiat.

2.ª Quod femina abducta virgo sit an vidua, honesta an meretrix, rapienti desponsata vel non, indifferens est: impedimentum æquo modo habetur.

3.ª Modo certum est haberi impedimentum, si mulier in aliquem locum se contulerit, ibique deinde a viro per se vel per alium vi detineatur.

510. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum raptus habeatur, si femina abducatur de uno in aliud ejusdem domus cubiculum?

Resp. Si cubiculum istud sit unum ex iis, in quibus actu degit familia feminæ abductæ, *negative;* ea enim adhuc est in loco tuto, etiamsi in eo cubiculo habitet raptor vel alius, cui ipsa familia habitationem et victum ministraret (dozzina). Si vero cubiculum hoc spectet ad partem domus alteri familiæ locatam, sive in diversa contignatione, sive in eadem, ea femina videtur esse a loco uno in alium abducta, ac proinde haberi impedimentum [24].

Qu. 2. Utrum impedimentum habeatur, si femina in alium locum muneribus, blanditiis, sollicitationibus abducatur?

Resp. Negative; etsi id fiat invitis parentibus. At, si mulier in sui abductionem consentiat ex fraudibus dolosis, vere impedimentum habetur; eo quod dolus in jure æquiparatur vi: multo magis, si consensus extorqueatur per suggestionem hypnoticam, quæ auferat libertatem.

ART. VIII. — De crimine

511. Ad consulendum sanctitati vinculi matrimonialis et simul incolumitati conjugis innocentis, Ecclesia impedimentum *criminis* induxit: quo inter conjugem quopiam e determinatis criminibus reum et determinatam personam valide contrahi non possit Matrimonium. Impedimentum ex his criminibus est juris ecclesiastici; nec ullatenus tenet infideles.

512. **Principia. 1.** « Valide contrahere nequeunt Matrimonium qui, perdurante eodem legitimo Matrimonio, adulterium inter se commiserunt, et insuper fidem sibi mutuo dederunt de

23) Codex *Can. 1074.* — Cf. et Conc. Trid. *Sess. XXXIV. De reform. Matrimonii Can. 6.* — Nonnihil differt Jus civile Cod. pen. *art. 342, 344, 352.*

24) Hac ratione conciliandos esse censemus doctores dissidente. Cf. S. Ligorium *Num. 1007;* Gury *672; 1;* Lehmk. *782;* D'Ann. *446, 33;* Mathran *228.*

Matrimonio ineundo, vel ipsum Matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt ».

II. « Valide contrahere nequeunt Matrimonium, qui, perdurante pariter eodem legitimo Matrimonio, adulterium inter se consummarunt, eorumque alter conjugicidium patravit ».

III. « Valide contrahere nequeunt Matrimonium, qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem conjugi intulerunt » [25].

513. **Expositio.** *Princ. I.* — Ut hoc impedimentum incurratur propter adulterium et mutuo promissum vel attentatum Matrimonium, necesse est concurrere tria: *a*) Adulterium fuerit *verum*, h. e., stante vero et legitimo Matrimonio patratum; *formale*, h. e., utrique parti notum ceu tale; *consummatum* per copulam aptam ad generationem. — *b*) Habeatur aut mutua de Matrimonio post mortem conjugis ineundo promissio, aut realis etiam per actum mere civilem attentatio. — *c*) Sive illa, sive ista, fiat uno eodemque (non diverso) Matrimonio perdurante; adeo ut, sive illa, sive ista, in injuriam unius ejusdemque conjugis cedat.

514. **Expositio.** *Princ. II.* — Ut hoc impedimentum propter adulterium et conjugicidium incurratur, requiruntur tria: *a*) Adulterium patratum fuerit, ut supra, licet absque ulla Matrimonii promissione; at non excluditur intentio. — *b*) Alter e duobus adulteris conjugem sui vel alterius, masculum vel feminam, interfecerit (altero forte etiam inscio vel invito) actione physica vel morali. — *c*) Adulterium patratum fuerit perdurante eo Matrimonio, quod conjugis occisione solutum fuit.

515. **Expositio.** *Princ. III.* — Ut habeatur impedimentum criminis ex solo conjugicidio, duo certe requiruntur: *a*) Mors conjugis realiter secuta fuerit, ut supra. — *b*) Mors secuta sit ex mutua utriusque complicis opera, physica vel morali [26]. — *c*) Requiri quoque videtur intentio saltem unius partis contrahendi post secutam conjugis mortem Matrimonium: requiri non videtur utriusque complicis et sibi invicem nota intentio ineundi post mortem conjugis Matrimonium.

516. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si promissio Matrimonii fuerit ante copulam adulterinam retractata, impedimentum non habetur; et hoc, etsi ab una parte revocata fuerit complice invito.

2.ª Nec habetur impedimentum, si pars soluta (vel et ipsa ligata) ligamen alterius ignoravit, ignorantiâ licet crassa vel supina.

3.ª Nec habetur impedimentum, si attentatio Matrimonii facta sit ante copulam a comparte ignorante alterius ligamen, ignorantiâ etiam crassâ et supinâ; vel, si hæc pars, re cognita, Matrimonium ante adulterium retractavit, vel ab adulterio cessavit.

25) CODEX *Can. 1075.* — De tertio crimine agit C. c. *art. 62.*

26) Non est satis quod unus necem conjugi ab altero illatam approbet; at satis esse videtur quod approbet inferendam. GASPARRI *Num. 444;* D'ANN. *440.*

4.ª Si uterque adulter conjugatus sit, et id uterque cognoscat, duplex habetur impedimentum.

517. *Ex Princ. II.* — 1.ª Duplex hoc crimen, prout est enunciatum, unicum constituit impedimentum.

2.ª Si tum adulterium, tum conjugicidium, seorsim considerata habeant suas proprias conditiones superius expositas, duplex impedimentum constituunt.

3.ª Si vir uxorem occidat ut liberius adulterâ frui possit, vel ad alium finem, etsi adultera consenserit, impedimentum non contrahitur.

4.ª Duplex habetur impedimentum, si uterque adulter proprium conjugem occidat, etiam sine conspiratione.

518. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si mors post vulnus non lethale sequatur ex incuria familiarium, ex imperitia medici, etc., non habetur impedimentum.

2.ª Ad impedimentum satis est, quod pars una causam mortis physicam posuerit ex consilio, vel precibus alterius, vel quod utraque id curaverit corrumpendo medicum, servum, etc.

3.ª Si uterque conjux ex mutua conspiratione suum conjugem occidit, duplex habetur impedimentum.

4.ª Impedimentum hoc, tum ex delicto, tum ex matrimonio, fieri potest multiplex 27.

519. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum impedimentum criminis contrahatur ab iis, qui ejus exsistentiam ignorant?

Resp. Modo certa est sententia affirmans; nam « nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab iisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur » 28.

Qu. 2. Utrum Ecclesia ab hoc impedimento dispenset?

Resp. Minus difficile dispensat a primo e tribus criminibus; difficillime et forte numquam a secundo et præsertim a tertio, quæ enumerantur inter impedimenta *gradus majoris*: adde quod ab his forte numquam dispensavit.

ART. IX. — De consanguinitate

520. *Consanguinitas* est duarum vel plurium personarum conjunctio ex eo proveniens quod singulæ ab uno eodemque stipite non valde remoto originem habent per generationem carnalem, et ideo censentur eumdem sanguinem habere. — In consanguinitate tria sunt attendenda; nempe *stipes, linea, gradus.*

1.° *Stipes* est ea persona, a qua singulæ personæ consanguineæ originem ducunt.

2.° *Linea* est ipsa series personarum ab eodem stipite provenien-

27) Theoria et exempla apud Raia pag. 106-108; Noldin *Num. 588.*

28) Codex *Can. 16 § 1.* — Quoad primam formam criminis excusat ignorantia facti, saltem quæ fuerit invincibilis Chellodi *Num. 93, 2.*

tium. Hæc autem duplex est: *a*) Linea *recta* ea est, qua singulæ personæ, una ab alia, descendunt; sive immediate, ut filii a patre et a matre; sive mediate, ut nepotes ab avis vel proavis, etc. — *b*) Linea *collateralis* ea est, qua omnes quidem ab eodem stipite proveniunt, at non una ab altera; hæc habetur inter fratres, inter consobrinos, etc. — Hæc autem iterum duplex: alia *æqualis*, qua singulæ personæ æque distant a stipite; alia *inæqualis*, qua distant non æque. Ita consanguinei sunt in linea collaterali æquali frater ejusque frater vel soror, consobrinus cum filio vel filia patrui sui: sunt consanguinei in linea collaterali inæquali nepos ejusque patruus vel amita aut matertera.

3.° *Gradus* est mensura distantiæ unius personæ a sua consanguinea. Gradus autem, juxta Jus canonicum, hisce regulis numerantur:

1.° « Consanguinitas computatur per lineas et gradus. — 2.° In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu quot personæ stipite dempto. — 3.° In linea obliqua, si tractus uterque sit æqualis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineæ: si duo tractus sint inæquales, tot gradus quot generationes in tractu longiore » [29]. — Hinc: *a*) Inter patrem et filium habetur consanguinitas primi gradus; inter avum et nepotem consanguinitas secundi gradus. — *b*) Fratres inter se sunt consanguinei in primo gradu; consobrini, seu duorum fratrum filii, in secundo gradu. — *c*) Patruus et nepos sunt consanguinei in secundo gradu; patruus magnus, seu frater avi et hujus avi nepos consanguinei sunt in tertio gradu: juxta stylum Curiæ, illi dicerentur consanguinei in secundo gradu tangente primum; isti in tertio tangente secundum.

521. Ad majorem rei perspicuitatem sit præsens schema:



Utraque linea recte descendit ex **S**. — Inde deduces sequentia:

1.° Sunt in primo gradu lineæ rectæ: D et C, C et B, B et A, A et **S** item ex altera parte: **D** et **C**, **C** et **B**, **B** et **A**, **A** et **S**.— Sunt in secundo gradu lineæ rectæ: D et B, C et A, B et **S**: item **D**

29) Codex *Can.* 96.

et **B**, etc. — Sunt in tertio gradu lineæ rectæ: D et A, C et **S**; item **D** et **A**, **C** et **S**.

2.° Sunt in primo gradu lineæ collateralis æqualis A et **A**; in secundo B et **B**; in tertio C et **C**; in quarto D et **D**.

3.° Sunt in secundo gradu lineæ collateralis inæqualis B et **A**, **B** et A; in tertio gradu C et **A**, **C** et A; item C et **B**, **C** et B; in quarto gradu essent D et **A**, **D** et A, etc.

Ita ex Juribus Romano et Canonico; a quibus generatim recedunt Jura publica hodierna 30.

522. Itaque: 1.° Sisinnio consanguineus est Andreas in primo gradu lineæ rectæ, Bernardus in secundo, Camillus in tertio.

2.° Andreas consanguineus est **A**nnæ in primo gradu lineæ collateralis; Bernardus **B**ertæ in secundo; Camillus **C**atharinæ in tertio.

3.° Andrea consanguineus est **B**ertæ in gradu secundo tangente primum, **C**atharinæ in tertio tangente primum, etc. — Bernardus consanguineus est **C**atharinæ in gradu tertio tangente secundum, **D**orotheæ esset in gradu quarto tangente secundum.

Patet quandoque multiplicem haberi posse consanguinitatem, si communis stipes multiplicetur. Ita, si Catharina nata esset ex **B**erta et ex Agapito fratre Andreæ, consanguinea esset Camillo dupliciter 31.

523. **Principium.** *a*) « In linea recta consanguinitatis Matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes. — *b*) In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive: ita tamen, ut impedimentum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur » 32; sive, quia quis ex personis inter se consanguineis prolem habuit, sive, quia personæ inter se consanguineæ ex personis inter se consanguineis prolem habuerunt.

524. **Resolutiones.** — 1.ª Matrimonium dirimitur etiam ea consanguinitate, quæ originem habeat illegitimam vel spuriam: adhuc enim habetur ejusdem sanguinis communicatio.

2.ª Matrimonium dirimit consanguinitas in linea collaterali inter eos, qui sunt ex eodem patre tantummodo, vel tantum ex eadem matre: adhuc enim habetur vera sanguinis communicatio.

3.ª Si quis ex duabus sororibus filios procreavit, hi ratione patris sunt consanguinei in primo gradu, ratione matrum in secundo: duplex est inter eos impedimentum, cum duplex sit stipes.

30) Jure nostro civili gradus in linea recta computantur eadem ratione, ac Jure canonico: in linea collaterali tot sunt gradus, quot summantur ex utraque serie generationes, dempto stipite. C. c. *art. 49-51*. Matrimonium prohibetur in linea recta indefinite; in linea collaterali inter sororem et fratrem, inter patruum et neptem, amitam et nepotem. C. c. *art. 58, 59*.

31) Exempla plura et schemata apud TANQUEREY *Num. 1090E1094*.

32) CODEX *Can. 1076 § 1, 2*. - S THOMAS *Suppl. Qu. 54, art. 3* et *4*.

4.ª Si duo fratres duas sorores duxerint, eorum soboles duplici tantum devincitur impedimento consanguinitatis in secundo gradu æquali: filius unius conjugii et filia alterius sunt consobrini dupliciter.

5.ª Si maritus et uxor sint consanguinei in secundo gradu ex dispensatione conjuncti, eorum in linea recta nepotes sunt inter se consanguinei in linea tum paterna tum materna. Impedimentum ex remotiore stipite derivatum ex Jure novissimo esset unicum: ceterum est in quarto gradu.

6.ª In consanguinitate lineæ collateralis inæquali impedimentum computatur ex generationibus in tractu longiore. Hinc consanguinitas in quarto gradu tangente tertium non constituit impedimentum.

7.ª Infideles consanguinei in gradu vetito ab Ecclesia invalide contraherent post Baptismum; adhuc enim sunt consanguinei.

8.ª Vir fidelis et mulier infidelis consobrini contraherent invalide; nam fidelis impedimento juris ecclesiastici tenetur, Matrimonium autem claudicare non potest.

525. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Ex quo jure consanguinitas Matrimonium dirimat?

Resp. a) In linea recta, certe ex jure naturali ipsum dirimit in gradu primo, probabiliter indefinite. — *b*) In linea collaterali, probabilius in primo gradu ex jure naturali, inter alios gradus ex jure ecclesiastico. Hinc « numquam Matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineæ in aliquo gradu lineæ rectæ aut in primo gradu lineæ collateralis » [33].

Qu. 2. Qua ratione inveniri possit nupturientium consanguinitas, et gradus ejusdem?

Resp. 1.° Si cognoscatur stipes communis notentur generationes et personarum nomina descendendo usque ad nupturientes: ad quem finem servari potest forma schematis superioris; at in singulis generationibus notandi quoque sunt consanguinei collaterales, e quibus fieri potest ut multiplex habeatur consanguinitas.

2.° Si stipes non cognoscitur, procedendum est viâ inversâ. Signatis duorum nupturientium nominibus, ascendatur ad eorum genitores, avos, proavos, abavos; ex quo apparebit num tandem stipes aliquis communis ,et forte duplex vel triplex, habeatur: hoc infra tertium gradum reperto, habetur consanguinitas causans impedimentum; cujus gradus facilius invenietur descendendo [34].

ART. X. — De affinitate

526. *Affinitas* ex Jure novissimo est « propinquitas, quam quis habet cum consanguineis sui conjugis ». Quare ejus fundamentum nunc est unio voluntatum in Matrimonio valido, sive rato tantum, sive rato et consummato.

33) Codex *Can. 1076 § 3.* — Cf. Chelodi *Num. 96-98.*
34) Fuse et clare Tanquerey *Num 1082 - 1085 - 1093 - 1096.*

Affinitas gradus non habet ratione sui; sed eos habet ratione consanguinitatis. Hinc eo gradu fiunt affines duæ personæ inter se, quo gradu una consanguineis sui conjugis conjungitur. Ita maritus affinis est in primo gradu lineæ rectæ cum uxoris suæ matre et filiabus (ex alio viro), in primo gradu lineæ collateralis cum ejus sororibus; affinis est in secundo gradu lineæ rectæ cum ejus avia, in secundo gradu lineæ collateralis cum ejus consobrinis.

527. **Principia. I.** « Affinitas in linea recta dirimit Matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive ».

II. « Affinitatis impedimentum multiplicatur: *a*) Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit; *b*) iterato successive Matrimonio cum consanguineo conjugis defuncti » [35].

528. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Consanguinei unius viri nullam exinde contrahunt affinitatem cum consanguineis uxoris ejusdem. — Hinc duo fratres ducere possunt duas sorores, pater et filius ducere possunt matrem et filiam; imo et ille filiam, iste matrem.

2.ª Affinitas habetur inter maritum et ascendentes uxoris ejusque ex alio viro descendentes etiam illegitimos aut spurios; ac viceversa.

3.ª Ex conjunctione per actum mere civilem nulla oritur affinitas: hinc vir ducere potest sororem feminæ, cui civiliter junctus erat. Parochus tamen id non permittat, nisi prius ab auctoritate civili habeatur ad actum civilem auctorizatio.

4.ª Affinitas in linea recta et in primo gradu lineæ collateralis constituit impedimentum *gradus majoris;* in secundo gradu lineæ collateralis impedimentum *gradus minoris* [36].

5.ª Si quis peccaverit cum sorore aut filia vel matre uxoris suæ, nullam contrahit cum sua uxore affinitatem, neque prohibetur jure petendi. Hæc est novitas Jure novissimo inducta, et confessariis valde practica. Hinc frustra peteret confessarius, sive dispensationem ante Matrimonium, sive post ipsum rehabilitationem ad petendum debitum.

529. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si Titius ac Titia, dupliciter ex diverso stipite consobrini, Matrimonium ex dispensatione ineant inter se, Titius affinitate primi gradus tenetur cum sororibus Titiæ, itemque duplici affinitate secundi gradus cum neptibus.

2.ª Si Cantius, defuncta ejus uxore Cantia, Matrimonium ex dispensatione contrahat cum ejus sorore Cantiana, et, hac quoque defunta, tertiam sororem ducere velit Cantianillam, duplici cum hac affinitate primi gradus devincitur.

530. **Quæstiones.** — *Qu. I.* Quo jure affinitas dirimat Matrimonium?

35) Codex *Can. 1077*, coll. *Can. 97.*
36) Codex *Can. 1042* § *2 n. 2.*

Resp. Affinitas dirimit ex jure ecclesiastico, etiam quæ sit in linea recta, licet in hoc casu numquam detur dispensatio. Hinc ex affinitate non est nullum Matrimonium contractum ab infidelibus, nisi hoc in eorum regione legibus invalidetur: at affinitas contracta in infidelitate impedimentum evadit pro Matrimonio post Baptismum contrahendo 37. Insuper impedimentum oritur quoque ex Matrimonio valido inter baptizatum et non baptizatum: eo quod lex Ecclesiæ directe afficit illum; indirecte istum.

Qu. 2. Utrum detur ab hoc impedimento dispensatio?

Resp. a) Facile datur ab impedimento affinitatis in secundo gradu lineæ collateralis; quippe quod est *gradus minoris*: insuper dispensationi passim adjicitur prohibitio celebrandi Matrimonium, antequam data sit ab auctoritate civili facultas complendi actum civilem. — *c*) Difficillime datur dispensatio ab impedimento affinitatis in linea recta; præsertim, si ante mortem conjugis prioris jam consummatum fuerat matrimonium: ratio obvia.

Qu. 3. Quid, si vir contrahere velit Matrimonium cum filia illius feminæ, cum qua ipse copulam illicitam habuerat?

Resp. Ex ea copula nullum nunc habetur impedimentum juris ecclesiastici. Verum, si, attentis temporum adjunctis, periculum sit, ne ea puella ortum ex ea copula habuerit, huic Matrimonio obstat impedimentum juris naturalis.

ART. XI. — De publica honestate

531. *Publica honestas* ex Jure novissimo est quædam « quasi-affinitas per conjunctionem animorum orta ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu ». Hinc ejus fundamentum est quædam voluntatum in re venerea unio, etsi mere formaliter, illegitima.

Duplex potest esse causa publicæ honestatis: *a*) Matrimonium invalidum propter impedimentum dirimens, sive consummatum sive ratum. Si matrimonium sit nullum ratione consanguinitatis, affinitatis, ligaminis, impotentiæ, etc. inde habetur honestas inter virum et consanguineas mulieris, et viceversa. At non videtur haberi ex matrimonio invalido propter defectum consensus; sive hic defuerit omnino, ut in ebrio vel amente; sive nullus fuerit ex errore vel ex metu: deesset enim fundamentum honestatis. — *b*) Concubinatus dicitur esse « commercium carnale habituale soluti cum soluta »: at est verus concubinatus (adulterinus) etiam commercium conjugati cum soluta, soluti vel conjugati cum conjugata. Ad habendum impedimentum honestatis necesse est quod tale commercium, vel publicum fuerit (jam divulgatum aut talibus obnoxium

37) Cf. *Monit. eccles.* XXXVI. 8. — Obstat Vermeersch *Epitome Num. 173;* eo quod matrimonium præcedens vi *Can. 1015* § *3* legitimum quidem est, at non ratum.

adjunctis, ut prudenter judicari possit et debeat facile et brevi divulgatum iri), aut fuerit notorium.

Gradus in publica honestate computantur eadem ratione ac in affinitate.

532. **Principium.** Publica honestas « nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineæ rectæ inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa » [38].

533. **Resolutiones.** — 1.ª Titius Matrimonium contrahere nequit cum putatitiæ uxoris aut notoriæ concubinæ matre vel filia vel nepte: valide contrahere potest cum ejusdem sorore vel consobrina.

2.ª Ex sic dicto matrimonio civili modo habetur publica honestas: est enim concubinatus, et quidem publicus et notorius.

3.ª Ex sponsalibus, etiam sub forma canonica celebratis, nullum exsurgit impedimentum publicæ honestatis; et hoc, etsi sponsus cum sponsa copulam habuerit.

4.ª Nec impedimentum habetur ex matrimonio invalide contracto aut ex concubinatu exercito in infidelitate: hoc enim impedimentum oritur unice ex Jure canonico.

5.ª Impedimentum semel contractum non cessat per dissolutionem Matrimonii, sed per dispensationem tantum.

ART. XII. — De cognatione spirituali

534. *Cognatio spiritualis* est quædam « propinquitas inter personas, orta ex collatione Baptismi vel ex susceptione in Baptismo aut in Confirmatione » [39].

Principium. Ex Baptismo impedimentum cognationis spiritualis contrahunt cum baptizato baptizans et patrinus: si Baptismus detur *sub conditione* ac dein *sub conditione* iteretur, ille patrinus impedimentum contrahit, qui in utroque adhibitus fuerit.

535. **Resolutiones.** — 1.ª Non contrahunt hoc impedimentum, qui officio patrini fungantur in supplendis cæremoniis Baptismi jampridem valide collati: contrahitur vero ex susceptione in Baptismo privato [40].

2.ª In Baptismo solemniter collato non contrahit impedimentum qui officio patrini fungi non possit, nec qui reapse eo munere, et quidem nomine proprio, non fungatur.

3.ª Vir, qui in casu necessitatis puellam privatim baptizavit, ipsam ducere non potest; at ducere potest ejus matrem.

38) Codex *Can. 1078*, coll. *Can. 2197.*
39) Codex *Can. 768, 797.* — S. Thomas *Supplem. Qu. 56 art. 1, 2, 3.*
40) Codex *Can. 1079*, coll. *Can. 768, 762, 763.*

4.ª Nullum est impedimentum inter baptizantem aut patrinum et parentes baptizati.

5.ª Ex susceptione in Confirmatione nullum oritur impedimentum.

ART. XIII. — De cognatione legali

536. *Cognatio legalis* est « propinquitas personarum orta ex adoptione legali »; nempe, ex eo actu legali, quo quis in suum filium vel filiam assumit eum (vel eam), qui talis non est. Hinc legislatio canonica supponit actum redactum juxta normas legislationis civilis: iste actus dicitur *adoptio perfecta.*

537. **Principium.** « Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi juris canonici Matrimonium inter se valide contrahere » [41].

Porro jure italico nuptiæ prohibentur, et irritæ habentur: *a*) inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes; *b*) inter filios adoptivos unius personæ; *c*) inter adoptatum et filios posterius genitos ab adoptante: *d*) inter adoptatum et conjugem adoptantis, inter adoptantem et conjugem adoptati [42]. Ergo inter easdem personas valide contrahi nequit Matrimonium vi juris canonici; neque hoc impedimentum cessat, si forte auctoritas civilis ab impedimento juris civilis dispenset.

Hæc cognatio Matrimonium dirimit in Italia, Hispania, Polonia, Slavonia; impedit in Germania, Helvetia, Gallia, Ungaria: in Austria nihil influit.

Quæres utrum, relate ad casum quartum hujus impedimenti, pars alteri parti conjuncta actu mere civili, sit et *conjux?*

Resp. Quæstio difficilis. Ex una parte, persona adoptata et persona quæ erat eo actu civili alteri parti conjuncta, « lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur »; ac proinde « nequeunt vi juris canonici matrimonium inter se valide contrahere »: ergo impedimentum canonicum habetur etiam inter personam adoptatam et personam quæ eo actu civili conjuncta erat personæ modo defunctæ. Ex altera parte assertio hujus impedimenti significaret Ecclesiam eam personam habere ceu alteri personæ vero matrimonio conjunctàm, ejusque verum conjugem: quod est absurdum [43]. Accedit, quod si duo conjuncti sint vinculo mere religioso, uno conjuge defuncto non haberetur impedimentum inter conjugem viventem et personam a defuncto adoptatam: hi enim lege civili inhabiles non sunt ad nuptias inter se ineundas: ergo Ecclesia vim actui civili concederet, quam negat vero Matrimonio. Hinc præferenda sententia negativa.

41) Codex *Can. 1080.*
42) C. c. art. 60. — Plura et clare Cerato *Num. 75.*
43) S. Congr. Conc. 2 jul 1923, 11 jan. 1924.

CAPUT V.

DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS

538. *Dispensatio* in re præsenti est « relaxatio legis prohibentis vel irritantis Matrimonium in casu particulari, facta a legitimo superiore ». Eo quod contractus matrimonialis inter christianos est sacramentum, ideo auctoritas dispensandi ab impedimentis competere alii non potest, præterquam Ecclesiæ, seu Præsulibus Ecclesiæ. Porro impedimenta matrimonialia, alia sunt juris divini, alia juris ecclesiastici: quare Ecclesia suam potestatem dispensandi proprie exercere potest super impedimenta a se statuta; circa impedimenta juris divini, declarare poterit num hoc jus in tali circumstantia obliget vel non, vel utrum adsit impedimentum, et quandoque dispensare poterit ministerialiter. — Nos agemus de dispensatione proprie dicta, seu ab impedimentis juris ecclesiastici, obiter suis in locis indicantes quæ spectare possunt ad Ecclesiam circa impedimenta juris divini.

Dicemus: *a*) De auctore dispensationis; *b*) de causis dispensationis et de modo petendi dispensationem; *c*) de exsecutione dispensationis impetratæ.

ART. I. — De auctore dispensationis

539. **Principia. I.** Romanus Pontifex valide dispensare potest a quibuscumque impedimentis juris ecclesiastici, sive per se, sive per Romanas Congregationes aut personas a se delegatas: at nemo alius, nisi aut jure communi aut speciali indulto hæc potestas collata fuerit a Sede Apostolica.

II. *a*) « Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii ad consulendum conscientiæ et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt, tum super forma in Matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici, sive publicis sive ocultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus Ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, præstitis consuetis cautionibus » [1]. — *b*) Super iisdem impedimentis (non super forma) et sub iisdem clausulis Ordinarii loco-

1) Codex *Can. 1043.* — Extra periculum mortis, cautiones exigendæ esse videntur ad validitatem dispensationis; ex S. Off. 21 junii 1912; 198: at cf. Chelodi *Num. 11;* Cerato *Num. 55, Adn. b, 37 a.*

rum dispensare possunt, quoties impedimentum detegatur, cum jam omnia sunt parata ad nuptias, nec Matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur : eadem facultas valet quoque pro convalidatione Matrimonii jam contracti, si idem periculum sit in mora, nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem » [2].

III. *a*) Urgente mortis periculo, si loci Ordinarius adiri non possit, super iisdem impedimentis et sub iisdem clausulis dispensare potest, tum parochus, tum sacerdos qui Matrimonio legitime adsistit,tum pro foro interno et in actu sacramentalis confessionis confessarius : in eo casu dispensare quoque possunt super forma Matrimonii, si ea nequeat servari. — *b*) Iidem, at pro casibus occultis tantum, dispensare possunt quoties impedimentum detegatur, cum jam omnia parata sunt ad nuptias, et loci Ordinarius adiri non possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti.

540. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Pontifex dispensare nequit super iis impedimentis, quæ sunt certe juris naturalis; ex. gr., super impedimento impotentiæ antecedentis et perpetuæ, aut consanguinitatis in linea recta.

2.ª Circa impedimenta quædam juris divini dispensare poterit ministerialiter, quatenus id ei a Deo concessum sit, eadem ratione ac in votis et juramentis: proinde non sine causa proportionata [3].

3.ª Pontifex declarare potest in casu determinato sufficienter de morte prioris conjugis constare, ideoque cessasse ligamen: item in casu determinato non esse necessariam conjugis interpellationem ad fruendum privilegio Paulino.

4.ª Ab impedimentis juris ecclesiastici Pontifex valide dispensare potest etiam sine causa; at non semper licite; cum recta gubernandi ratio causam justam exigat.

5.ª Pontifex dispensare potest super. Matrimonio rato, et in ipso Matrimonio consummato permittere potest transitum ad alias nuptias ob mortem conjugis etiam mere præsumptam. Tum ea dispensatio, tum hæc permissio, si detur ex Jure novissimo, secum fert semper dispensationem super impedimento ex prima criminis forma, si dispensatione opus sit.

541. *Ex Princ. II, III.* — 1.ª Dispensatio dari potest etiam si in periculo mortis versetur pars illa, quæ non ligatur impedimento directe:

2) Codex *Can. 1045.* § *1*, 2. — Cf. decretum S. Off. die 20 febr. a. 1888.

3) Codex *Can. 1044, 1045* § *3.* — S. C. *De Sacram.* 14 maji 1909, 29 jul. 1910. Quid importet illud « cum omnia parata sunt » tractat *Monit eccles.* XXXVII. 297-301.

ita si in eo periculo sit puella, quæ concubinarie vivit cum diacono bene valente.

2.ª In facultate concessa parochis et sacerdotibus extra casum periculi mortis, nomine *impedimenti occulti* venit quod in foro externo probari nequit, licet de eo in viciniis suspiciones et dicteria serpant.

3.ª In facultate Ordinariis concessa comprehenduntur impedimenta etiam publica et multiplicia.

4.ª Ut Ordinarius vel parochus in casibus urgentioribus extra periculum mortis dispensare valeant, satis est quod habeatur periculum mali materialis, etiam non moralis vel spiritualis: item satis est quod hujus mali habeatur periculum probabile.

5.ª In casu impedimenti occulti, quod manere debeat occultum, parochus et pro foro interno confessarius dispensare possunt, si res urgeat, nec Ordinarius adiri possit, nisi per telegraphum: idem generatim dicendum, si adiri posset per telephonium.

542. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum Pontifex dispenset in omnibus impedimentis juris ecclesiastici?

Resp. 1.° In iis, quæ probabiliter sunt juris ecclesiastici, at forte divini, numquam dispensat; ex. gr., in consanguinitate collaterali primi gradus.

2.° In iis quæ sunt juris pure ecclesiastici, dispensare quidem potest, at non eadem facilitate dispensat. Ita *a*) forte numquam dispensat, super impedimento Ordinis presbyteratus, et præsertim episcopatus, et super impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ, consummato Matrimonio. — *b*) Difficile dispensat super impedimentis *gradus majoris;* minus difficile super impedimentis *gradus minoris;* at semper causa requiritur.

Qu. 2. Quibus Congregationibus Romanus Pontifex utatur pro concedendis dispensationibus matrimonialibus?

Resp. a) Relate ad impedimenta religionis mixtæ et disparitatis cultus, utitur Congregatione S. Officii; cujus est etiam judicare de his, quæ respiciunt privilegium Paulinum. — *b*) Pro dispensatione a voto castitatis religiosorum, utitur Congregatione *De religiosis.* — *c*) Relate ad cetera impedimenta, utitur Congregatione *De sacramentis,* si impedimenta sint fori externi. Pro dispensationibus concedendis pro foro interno utitur S. Pœnitentiariâ quoad impedimenta quæcumque sive prohibentia sive irritantia, quæ sint occulta naturâ et facto.

544. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quinam in hisce concessionibus veniant sub appellatione *Ordinarii locorum?*

Resp. Nomine *Ordinarii* locorum veniunt: *a*) Pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas, vel Prælatus *nullius,* eorumque Vicarius generalis; *b*) Administrator, Vicarius et Præfectus Apostolicus; *c*) ii, qui prædictis deficientibus interim ex juris præscripto aut ex probatis Constitutionibus succedunt in regimine 4.

4) Codex *Can. 198* § *1* et *2.* — Quinam veniant nomine *parochi* cf. *Num. 570.*

Qu. 2. A quo Ordinario nupturientes petere debeant dispensationem juxta hodiernam disciplinam ?

Resp. Ab Ordinario proprio, vel ab eo in cujus territorio actu degunt; non ab eo, in cujus territorio Matrimonium contrahere intendunt. Quod si ad diversas diœceses pertineant et Episcopus dispenset ex indulto S. Sedis, satis est quod dispensatio detur ab Episcopo alterutrius: at, si unus teneatur impedimento subjectivo et absoluto, ex. gr., voto castitatis, dispensationem petere debet ab Episcopo proprio. — Hæc applicanda sunt etiam quæstioni quinam sit Ordinarius, cujus tramite petenda sit dispensatio ab Apostolica Sede.

Interim circa facultates Ordinariorum duo sunt notanda: *a*) Si petitio dispensationis ad Sanctam Sedem missa sit, Ordinarii locorum suis facultatibus ne utantur, si quas habeant, nisi ex gravi urgentique causa; et hoc in casu statim Sanctam Sedem de re moneant [5]. Hoc statuitur ad liceitatem, non ad validitatem. Nam « quod quis Superiorem adit, inferiore prætermisso, non idcirco voluntaria suspenditur inferioris potestas, sive hæc ordinaria fuerit sive delegata »: suspenderetur contentiosa seu judicialis, etiam in causis matrimonialibus. — *b*) Facultas dispensandi sub determinatis conditionibus super occulto criminis impedimento Ordinariis conceditur a sacra Pœnitentiaria per sic dictas facultates quinquennales.

Qu. 3. Utrum in casibus urgentioribus extra periculum mortis dispensatio concedi possit ab Ordinario, a parocho, etc., etsi incuria aut mala fide nupturientes rem ad illud discrimen adduxerint ?

Resp. Affirmative; tum, quia Codex non distinguit; tum, quia finis concessionis non est personalis, sed est vitatio scandali aliusve mali pubblici. Hinc: *a*) Clausula « quoties impedimentum detegatur cum jam omnia sunt parata ad nuptias » intelligi debet sensu, non literali, sed latiori, quod impedimentum, « quamvis antea cognitum, tunc solum ad notitiam parochi vel Ordinarii sit delatum » [6]. — *b*) Id extendendum est ad casum, quo Matrimonium cum impedimento lippis ac tonsoribus et ipsi parocho notissimo ad parochum ut mox celebrandum deferatur: at in hoc casu dispensatio dari potest tantum ab Ordinario. — *c*) Imo comprehenditur et casus, quo dispensationis petitio ad S. Sedem missa fuerit, sed adhuc desideretur rescriptum.

545. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Quid de facultate dispensandi concessa parocho, aliive sacerdoti, ex parochi delegatione, aut vi Canonis 1098 ?

Resp. 1.° Pro casu urgentis periculi mortis, necesse est quod Ordinarius adiri non possit, nec personaliter, nec per epistolam: at dispensatio dari potest, etsi agatur de impedimento publico, tum natura, tum facto.

2.° Extra periculum mortis, necesse est: *a*) quod agatur de casu oc-

5) Codex *Can. 1048*, coll. *Can. 204* § 2.
6) Comm. Pont. 1 martii a. 1921. — Cf. et Codex *Can. 81*.

culto, in quo impedimentum sit occultum natura, aut, si natura publicum, sit facto occultum et a parocho vel sacerdote cognoscatur sub secreto: item *b*) quod Ordinarius adiri nequeat, nec personaliter, nec per epistolam: *c*) Matrimonium notetur in libro matrimoniorum una cum data dispensatione, de qua certior faciendus est Ordinarius: *d*) si Matrimonium servari debeat occultum, ac proinde dispensatio concessa sit pro foro interno non sacramentali, tum data dispensatio, tum Matrimonium, adnotentur in libro diligenter in secreto Curiæ archivo asservando.

Qu. 2. Quid de facultate confessarii?

Resp. 1.° In casibus supra indicatis, pro foro interno sacramentali dispensare potest; ac, data dispensatione, impedimentum cessat: tunc ergo Matrimonio adsistere potest, tum ex delegatione parochi, tum vi Canonis 1098: at, si deinde impedimentum occultum evaserit publicum, necessaria est nova dispensatio pro foro externo [7]. Hoc valet præsertim pro impedimentis facile occultis, ut essent consanguinitas ex filiatione illegitima et quædam formæ criminis: affinitas ex copula illicita modo non est amplius impedimentum.

2.° Confessarius tenetur servare secretum sacramentale, et citra consensum pœnitentis revelare nequit datam dispensationem, ne Ordinario quidem. At, si agatur de impedimento natura publico, generatim exigere debet a pœnitente ut permittat Matrimonium in archivo Curiæ adnotari, aut saltem una cum data dispensatione ad S. Pœnitentiariam transmitti, ut ibi in archivo secretissimo notetur. Si neutrum obtinere possit, et urgeat periculum mortis aliusve gravissimi mali, confessarius dispenset et Matrimonio adsistat pro eventibus futuris rem Deo committat.

ART. II. — De causis et de petenda dispensatione

546. Cum dispensatio sit quoddam vulnus legi illatum, ad eam concedendam generatim requiruntur causæ illi vulneri proportionatæ. In re nostra, causæ aliæ dicuntur *finales* vel *motivæ*, aliæ *impulsivæ*. Priores sunt, quæ Superiorem movent ad dispensandum, ideoque ad id obtinendum per se requiruntur et sufficiunt. Posteriores sunt, quæ Superiorem impellunt ad facilius dispensandum, at ad id obtinendum *per se* non sufficiunt: nec limites inter utrasque semper facile definibiles sunt. Porro naturale est, ut, qui dispensationem ab aliquo impedimento exoptant, in libello supplici causas ejusdem exponant.

Præcipuæ dispensationis causæ habentur sex: *a*) *Angustia loci;* sive absoluta, quando oppidum ab aliis remotum non habet ultra mille et quingentos circiter incolas; sive relativa (pro puella), quando propter multiplicatas suæ familiæ parentelas difficile nubere posset. — *b*) *Superadulta ætas* oratricis, præsertim si sit in necessitate nubendi. — *c*) *Insufficientia dotis* suæ conditioni convenientis. — *d*) *Bonum familiæ*,

7) Codex *Can. 1047*: et hoc etiam, si dispensatio data sit a S. Pœnitentiaria.

præsertim si Matrimonium unica via esse videatur ad pacem conciliandam aut religionem in ejus membris conservandam. — *e) Scandalum* et *infamia* ex prole oriunda, aut ex turpi inter amasios conversatione vel ex periculo turpis commercii. — *f) Periculum matrimonii mere civilis,* aut mixtæ religionis, aut et multo magis ejusmodi Matrimonium jam contractum.

Accedere possunt et causæ impulsivæ: *meritum oratorum, puellæ deformitas, speciales* ex illis nuptiis *utilitates;* multum influet circumstantia quod nupturientes impedimentum ignorantes, cuncta pro nuptiis disposuerint; etc.

547. **Principia. I.** Ad validitatem dispensationis impetrandæ necesse est, quod causa finalis in libello supplici exposita vera sit, et quidem eo tempore, quo dispensatio exsecutioni mandatur. Ratio est, quia Superior non censetur dispensare, nisi sub tacita conditione « si preces veritate nitantur » : imo, si Superior dispenset ex facultate delegata, nonnisi sub ea conditione dispensare valet.

II. Ad validitatem dispensationis impetrandæ necesse est, quod in libello supplici nihil taceatur ex iis, quæ ex rei natura aut ex dispositione legis necessario sunt exponenda.

548. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si ut causa habendæ dispensationis a consanguinitate in secundo gradu lineæ collateralis afferatur timor infamiæ ex prole nascitura, et aut copula habita non fuerit, aut ea fuerit imperfecta, aut fetus abortu ejectus fuerit, etc., dispensatio impetrata non valet.

2.ª Si ex copula incestuosa vere fetus exstiterit, hic vero post applicatam dispensationem, sed ante Matrimonium, fortuito casu ejectus fuerit, valida est dispensatio.

3.ª Valida est dispensatio, quam mulier impetraverit propter dotis insufficientiam, etiamsi post impetratam dispensationem et ante Matrimonium dives fiat.

4.ª In dubio, num causa allata fuerit finalis an impulsiva, num vera an falsa, sufficiens aut non, dispensatio habenda est ut valida: nam in dubio standum est pro valore actus [8].

549. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quænam sint in libello supplici exponenda ad vitandum periculum nullitatis in concessa dispensatione?

Resp. Præter cognomen et nomen supplicantium et causam (vel causas) finalem, necesse est exponere sincere et vere impedimenta, super quibus petitur dispensatio. Speciatim exponi debent: *a)* Species infir-

8) S. Ligorius *Num. 1133.* — Cf. et Codicem *Can. 84 § 2.*

ma impedimenti; *b*) numerus impedimentorum; ex. gr., ex consanguinitate et affinitate, ex multiplici consanguinitate aut affinitate; *c*) si gradus consanguinitatis sit in linea inæquali, gradus uterque. Idem et de aliis impedimentis dicatur.

Attamen « dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit; dummodo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum ejusdem speciei in æquali vel inferiori gradu » 9.

Qu. 2. Utrum quælibet assertio non vera vel quælibet veritatis suppressio invalidam faciat obtentam dispensationem?

Resp. a) Si error alteruter versetur circa causam mere impulsivam, et vel una adsit causa vera finalis, *negative*. — *b*) Si error versetur circa causam finalem, ex Jure novissimo « dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit » 10. Contrarium ergo dicendum, si agatur de dispensatione ab impedimento *gradus majoris*.

Qu. 3. Quo tramite petenda sit dispensatio ab aliquo impedimento?

Resp. Quamvis *per se* deberent ipsi nupturientes ad auctoritatem Superioris recursum habere, tamen practice hoc munus sibi suscipere debent parochi et confessarii, saltem ex caritate. —— Itaque: *a*) Si impedimentum sit occultum, dispensationem pro foro interno petat confessarius per epistolam ad Cardinalem S. Pœnitentiariæ Præfectum, reticito nomine pœnitentis: quod epistola commendatione officii postalis fulciatur, opportunum quidem est, at non necessarium. Si uterque nupturiens dispensatione hujusmodi indigeat, pro singulis eam petere debet, aut idem confessarius, aut diversus. — *b*) Si impedimentum sit publicum, dispensationem petat parochus a S. Sede per medium Cancellariæ episcopalis: in epistola signari debet nomen oratoris aut oratorum petentium. — *c*) Si duplex sit impedimentum, unum occultum, alterum publicum, duplex facienda petitio: una a confessario, altera a parocho: confessarius autem notare debet, quod oratores, alio impedimento publico ligati, dispensationem ab illo obtinuerunt.

Qu. 4. Utrum valida sit dispensatio, quam *in forma pauperum* impetraverit ille, qui in sensu Curiæ Romanæ non est pauper?

Resp. Affirmative: cum hodie in rescriptis nulla habeatur restrictio, et paupertas sit mere causa propter quam dispensatio conceditur *gratis*. Ceterum hujusmodi oratores peccant et juxta communiorem sententiam restituere debent. Insuper invalida esset dispensatio, quam quis obtinuerit ab Episcopo habente facultatem dispensandi tantum cum pauperibus. — *Pauperes* hodie habentur, qui vivunt ex manuali industria

9) Codex *Can. 1052.* — Cf. Cerato *Num. 45;* Raia pag. 60; Chelodi *48.*

10) Codex *Can. 1054.*

et labore, et quorum possessio non superat francos bis mille at possunt esse pauperes etiam illi, quorum parentes divites sunt.

ART. III. — De exsecutione dispensationis

550. « Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum commissas, exsequatur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda est dispensatio, relicto illius diœcesis domicilio aut quasi-domicilio, in aliam diœcesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci, in quo Matrimonium contrahere cupiunt » 11. Ordinarius autem, imo quilibet, cui commissum fuerit merum exsecutionis ministerium, exsecutionem denegare nequit, nisi: *a*) manifeste pateat rescriptum vitio obreptionis aut subreptionis nullum esse; aut *b*) in rescripto apponantur conditiones, quas ipsi constat impletas non esse; aut *c*) qui dispensationem impetravit judicio exsecutoris adeo videatur indignus, ut dispensatio offensioni aliorum futura esse prævideatur; quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciat rescribentem 12. Itaque:

1.° Si dispensationis exsecutio committatur Ordinario, *a*) hic servabit clausulas appositas « si vera sunt exposita..., servatis canonicis præscriptionibus »: hinc investigare debet; at, si omiserit, dispensatio valet, dummodo objective vera sint exposita. — *b*) Idem declarare debet se, rerum veritate cognita, ex auctoritate Sedis Apostolicæ super allato impedimento dispensare, ac proinde sponsos valide ac licite posse Matrimonium contrahere. — *c*) Demum nomen suum apponere debet. Ex momento hujus appositionis exsecutio dispensationis exsistit: hinc ejus notitia parocho communicari poterit etiam per telegraphum aut per telephonium.

2.° Si dispensatio datur a S. Pœnitentiaria pro foro interno, ejus exsecutio committi solet « discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario ». Confessarius vero, verificatis quæ in rescripto verificanda proponuntur, dispensationem exsequetur hac vel simili forma: « Ex auctoritate Apostolicæ Sedis dispenso tecum super impedimento..., adeo ut Matrimonium licite et valide contrahere valeas, etc. ». Hæc exsecutio generatim facienda præscribitur in actu confessionis, at non est necessaria absolutio a peccatis. Fieri autem debet cum uno vel cum utroque nupturiente, prout unus vel uterque detinetur impedimento.

551. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Quid in rescriptis S. Pœnitentiariæ importet clausula « audita prius ejus (vel eorum) sacramentali confessione »?

11) Codex *Can. 1055.*

12) Codex *Can. 54 § 1.* — Si in escripto concessio dispensationis committeretur Ordinario, esset pro suo arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.

Resp. Ea significat confessionem ab oratore (vel ab oratoribus) faciendam esse, et quidem sacramentalem, h. e., ordinatam ad absolutionem; ut post confessionem, imo, *per se*, post absolutionem, dispensatio concedatur. Verum dispensatio valida est etiam in casu, quo orator absolvatur invalide, aut quo confessarius censuerit oratori, utpote indisposito, non esse dandam absolutionem.

Qu. 2. Quid importet clausula « remota prius occasione » ?

Resp. Hæc præbet directionem confessario, ut erga pœnitentem occasionarium imponat ea, quæ lex naturalis jubet imponenda esse consuetudinariis 13. Neque ea clausula est apposita ut conditio, adeo ut, si confessarius eam pœnitenti non imponat, aut hic eam non exsequatur, dispensatio habenda sit invalida.

Qu. 3. Quid importet calusula « imposita gravi pœnitentia » ?

Resp. Pœnitentia imponenda est præter sacramentalem, et *per se* gravis. Qua in re « neque severitatis neque humanitatis fines excedendi, ac ratio habenda conditionis, ætatis, infirmitatis, officii, sexus ». At omissio pœnitentiæ impositæ dispensationem non reddit invalidam; neque hæc invalida fit, si pœnitentia excepta fuerit cum animo non adimplendi 14.

Qu. 4. Quid importet clausula « dummodo impedimentum sit occultum » ?

Resp. *Occultum* heic dicitur impedimentum, quod in foro externo probari non potest. Si impedimentum sit publicum materialiter, at occultum formaliter, quatenus ignoratur ex eo facto oriri impedimentum, sententia est S. Alphonsi et certe probabilis, quod impedimentum censeri debeat occultum: si objective hæc opinio falsa sit, Ecclesia supplet, eo quod habetur jurisdictio probabilis.

Qu. 5. Quomodo exsequenda sit dispensatio, si impedimentum notum sit et commune utrique contrahenti ?

Resp. Ad liceitatem necesse est, quod idem confessarius dispensationem erga utrumque exsequatur: ad validitatem satis est quod erga alterutrum.

SECTIO SECUNDA

DE IPSO CONTRACTU MATRIMONIALI

552. Postquam de intentione viri ac mulieris contrahendi inter se Matrimonium et de absentia cujuscumque impedimenti satis constiterit, Matrimonii contractus perficiendus est, quo et Matrimonii sacramentum consistit. Ministri hujus sacramenti sunt ipsi contrahentes, qui simul sunt sacramenti subjectum. Sacerdos non est proprie minister, sed tantum

13) Cf. BERARDI *De occas. Num. 120;* GENN. *Consult. mor. LXXIV.*; nostrum *De judicio sacram. Num. 27-37.*

14) S. Pœnit. 8 apr. 1890, 14 sept. et 12 nov. 1891. — Cf. NOLDIN *624.*

quasi-minister et proprie testis qualificatus; adeo ut quibusdam in adjunctis sacramentum confici possit absque ulla ullius sacerdotis præsentia. Circa materiam hujus sacramenti variæ erant et sunt Doctorum opiniones.

Agimus: 1.° De ipsa Matrimonii seu contractus matrimonialis celebratione: 2.° de ejusdem contractus quandoque forte invalidi convalidatione: — 3.° Quædam addemus de actu, qui vulgo « matrimonium civile » nuncupatur.

CAPUT I.

DE CELEBRATIONE MATRIMONII

553. « Matrimonium facit partium consensus inter personas jure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri valet » [1]. Hinc naturalis hujus tractationis distributio, ut agamus: *a*) De personis contrahentibus; *b*) de ipso consensu; *c*) de forma consensus manifestandi legitima; *d*) de liturgia in celebrando Matrimonio servanda.

ART. I. — DE PERSONIS CONTRAHENTIBUS

554. **Principia. I.** Ad Matrimonii validitatem duo requiruntur: *a*) Contrahentes habiles sint ad contrahendum jure, nedum naturali, sed et positivo; *b*) iidem in contrahendo præsentes sint per se vel per procuratorem.

II. Duo quoque requiruntur ad Matrimonii liceitatem: *a*) Contrahentes sint in statu gratiæ; *b*) iidem nullo detineantur impedimento impediente, aut causa prohibente.

555. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Jure naturali inhabiles sunt qui, cujuscumque sint ætatis, ignorent Matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.

2.ª Item jure naturali, ac proinde indispensabili, inhabiles sunt qui laborent impotentia antecedente et perpetua, qui consanguinei sint in linea recta.

3.ª Inhabiles sunt jure positivo clerici in sacris, religiosi vota solemnia professi; item qui inter se sint consobrini, affines, etc.

4.ª Modo Matrimonium valide contrahi non potest per epistolam, nec per telegraphum aut telephonium.

556. *Ex Princ. II.* — 1.ª Status gratiæ requiritur eo quod contrahentes sacramentum suscipiunt; non eo quod ipsum ministrant, cum ad hoc non sint specialiter consecrati.

2.ª Status gratiæ ab exsistente in peccato mortali recuperandus est, aut per sacramentum Pœnitentiæ, aut per actum contritionis perfectæ.

1) CODEX *Can. 1081* § *1.* — S. THOMAS *Supplem. Qu. 45 art. 5.*

Confessio non præcipitur ulla lege generali; hinc eam exigere parochus non potest.

3.ª Matrimonium contractum in peccato mortali est validum, sed informe: probabiliter, remoto dein obice, sacramentum reviviscit et conjugibus gratiam confert sacramentalem.

4.ª Graviter peccaret ille qui, emisso voto simplici castitatis perfectæ et eo adhuc durante, Matrimonium contrahat; item ille, qui factis legitime sponsalibus cum Titia, hac jure invita, Cajam ducat; utriusque tamen Matrimonium validum esset.

5.ª Illicite contrahunt filii contra voluntatem parentum, qui Matrimonio obsistant ex causa justa.

557. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum valide contrahat puella, quæ contrahit ignorans officia conjugalia?

Resp. Si ita ignorat, ut positive nolit viro jus tradere in corpus suum in ordine ad actus eorum officiorum proprios, *negative;* deesset enim consensus matrimonialis. Si ignoret quidem et etiam erret, at intendat contrahere ut ceteras puellas contrahere vidit, *affirmative*: nam censenda est eam se obligare voluisse ad instar aliarum, etiam circa ea quæ ignorabat. Quapropter hæc Matrimonia regulariter ut valida habenda sunt. Confessarius itaque omni vi insistat ut ea postulationibus mariti obsequatur, eidem inculcans actus conjugalis liceitatem et obediendi necessitatem.

Qu. 2. Quid requiratur ad officium procuratoris in Matrimonio contrahendo?

Resp. Procurator habere debet mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus testibus. Quod si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur, qui scripturam ipse quoque subsignet. Procurator debet munere suo per se ipse fungi 2.

558. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum liceat Matrimonium inire cum eo, qui cognoscitur esse in statu peccati mortalis?

Resp. Affirmative, si incommodum grave est ab eo Matrimonio abstinere, juxta alibi dicta de cooperatione ad peccatum alterius. Porro hodie quamplures puellæ sunt in ea conditione, ut, si debeant ab hujusmodi sponso recedere, cogerentur statui matrimoniali valedicere. Utinam ab iis saltem juvenibus abhorreant, qui omnem religionis sensum exuerunt!

Qu. 2. Quomodo se gerat parochus erga nupturientes, qui sint publice peccatores, massones, athei, notorie excommunicati?

Resp. Ex doctrina S. Alphonsi a S. Sede pluries in hac re probata, adsistere potest eorum Matrimoniis, « si gravis urgeat causa, de qua, si fieri potest, consulat Ordinarium ».

2) Codex *Can. 1089.* — Quod si, ante exsecutionem mandati mandans hoc revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens ignoraverint.

ART. II. — De consensu

559. Consensus matrimonialis est « actus voluntatis (supponens actum intellectus), quo utraque pars tradit et acceptat jus in corpus perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » [3]. Proinde ad consensum matrimonialem requiruntur conditiones communiter requisitæ in contractibus bilateralibus; hoc præ oculis habito, quod hic agitur de contractu maximi momenti, quique natura sua omnimodam secum fert firmitatem et indissolubilitatem.

560. **Principia. I.** Ad validitatem Matrimonii necesse est quod *a*) uterque contrahens in contractum vere consentiat, et quidem *b*) actu ex parte intellectus deliberato, et *c*) immuni ab errore circa personam vel circa qualitatem personæ redundantem in errorem circa personam [4].

II. Actus voluntatis consentientis immunis esse debet, nedum a vi, sed et a metu qui gravis fuerit et ab extrinseco injuste illatus, a quo ut quis se liberet cogatur eligere Matrimonium [5].

561. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui consensum simulet, reipsa non contrahit, licet in foro externo vere consensisse præsumatur. Iste, nisi gravissimâ causâ excusetur, graviter peccat, tum contra veritatem et castitatem, tum contra justitiam, ac proinde ad reparationem damnorum tenetur; hæc vero communiter reparari adæquate non possunt, nisi per consensum postea præstandum, quo Matrimonium convalidetur.

2.ª Si juvenis a parentibus puellæ ab eo violatæ ad eam ducendam compulsus, die ac hora statuta vino alcoolico calefactus, ad interrogationem parochi balbutiens *affirmative* respondeat, illius Matrimonii validitas, aut nulla erit, aut certe valde dubia.

3.ª Si volenti ducere Cajam noctu huic simillima præsentetur Seja, invalidum est matrimonium: item, si volenti ducere primogenitam ut ejus patri in regno succedat, præsentetur secundogenita.

4.ª Valet Matrimonium, si juvenis contraxit cum puella, existimans ex errore eam esse virginem, et hoc etiamsi habitualiter ita esset dispositus, ut viduam vel violatam non duceret.

5.ª Valet Matrimonium puellæ, quæ ex fallacibus sponsi assertionibus censebat eum esse divitem, in arte sua peritum, animo mitem, sobrium: secus de quamplurimis conjugiis actum esset. Frustra vero nunc

3) Codex *Can. 1081* § 2. — Cf. Cerato *Num. 77;* Ferrazza *Cap. IV.*

4) Codex *Can. 1083* § *1* et *2 n. 1.* — Cf. Raia pag. 127-138.

5) Codex *Can. 1087* § *1;* ex quo firmari videtur sententia S. Thomæ *Suppl. Qu. 47 art. 3,* quod *metus cadens in virum constantem* matrimonium nullum faciat esse ex jure naturali. — Pro praxi, Cerato *Num. 83;* Sabetti *902.*

protestatur quod, si rem novisset, illi viro non nupsisset: esset enim voluntà interpretativa, quæ nihil est et proinde nihil præstat 6.

6.ª Valide Titius contrahit cum Titia falso asserente se ab eo gravidam esse; et hoc etiamsi Titius, cognita rei veritate, eam non duxisset 7. Alia res est, si qualitatem personæ ponat aut intendat ut conditionem, *sine qua non*.

7.ª Nullus error circa qualitatem personæ Matrimonium irritat, etiam qui fuerit fraude alterius inductus et causa fuerit assentiendi.

562. *Ex Princ. II.* — 1.ª Matrimonium contractum *ob vim*, puta si quis caput puellæ premat ut hæc demisso capite consentire videatur, evidenter nullum est defectu consensus voluntatis, in quam vis cadere non potest.

2.ª Metus reverentialis filiis incussus a parentibus potest quandoque esse vere gravis, et Matrimonium irritare.

3.ª Metus, qui levis sit etiam relative, non invalidat Matrimonium: in dubio num levis fuerit, an gravis, præsumitur fuisse levis.

4.ª Validum est Matrimonium, quod quis contrahat cum puella a se violata, unice ad vitandam infamiam secus certe orituram.

5.ª Si pater violatori filiæ imponat Matrimonium, secus minans judicialem querelam, Matrimonium a violatore contractum validum est: item, si pater violatori gravibus minis imponat, ut violatam filiam aut ducat, aut dotet; violator autem eam ducere malit.

6.ª Modo requiri omnino dicitur, quod metus incussus fuerit ad finem extorquendi consensum 8. Tamen pater casu comperiens filiam oppressi a Titio, mox pugione arrepto hunc transfodere tentet, hic vero mox promittat se eam ducturum, ac deinceps ex promissione et ex metu eam ducat, videretur invalidum esse Matrimonium.

563. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum valide contrahat qui tenet Matrimonium non esse unum et indissolubile?

Resp. Si hic expresse intendat Matrimonium contrahere juxta suum conceptum erroneum, matrimonium non valet; hic enim Matrimonium non vult. Si ea expressa intentio desit, at simpliciter intendat contrahere ut contrahunt alii, Matrimonium valet, licet rem sciens et expresse advertens contrahere non vellet: ea enim generalis voluntas privatum quodammodo errorem absorbet. De eo ita Jus novissimum: « Simplex error circa Matrimonii unitatem et indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem » 9.

Casus esset de hæretico vel etiam de catholico sensibus atheis im-

6) Cf. D'ANNIBALE I. *Num. 136, 25*, et *III. 444, 13*, GASP. *II. 786.* — Jurisprudentia civilis habet ceu errorem circa personam errorem puellæ circa qualitatem sacerdotalem viri, cui nubit. Cf. *Civiltà Catt.* 1916 56, sequ.

7) S. C. Conc. 22 jun. 1907, *Monit. eccl.* XIX. 199-202.

8) Cf. GENICOT *Num. 473, 4;* NOLDIN *638; 3.*

9) CODEX *Can. 1084.* — Vox « simplex » excludit casus *Can. 1082, 1086* § 2.

buto, qui certum habeant sibi post conjugium fas esse, sive et mutuo consensu, sive in casu discordiarum, etc., Matrimonium solvere et aliam ducere puellam, non contracturi si contrarium scivissent. Isti, si positiva voluntate excluserunt intentionem Matrimonii perpetui et indissolubilis, Matrimonium reapse non voluerunt, licet ea intentio non fuerit patefacta et in pactum deducta; ergo non contraxerunt: e contra Matrimonium voluerunt et valide contraxerunt, si eam voluntatem re cognita exclusissent, at non excluserunt 10.

Qu. 2. Utrum valeat Matrimonium initum cum reciproca promissione servandi perpetuo continentiam?

Resp. Probabilius *affirmative;* cum ad essentiam Matrimonii pertineat jus ad usum conjugii, non usus ipse; jus autem perseverare possit etiam cum reciproca promissione non utendi 11. At non desunt qui aliter censeant.

Practice, si agatur de Matrimonio contrahendo, cum ea conditione non permittatur; si de Matrimonio jam contracto, conjuges augustiis non premantur.

Qu. 3. Quo modo exprimendus sit consensus?

Resp. « Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec æquipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint » 12.

Ergo ad validitatem sufficere possunt et alia signa; ex. gr., inclinatio capitis, porrectio manus ut vir annulum digito immittat, præstatio dexteræ. Ad liceitatem forte præter defectum loquelæ sufficere poterit causa quælibet rationabilis; ex. gr., verecundia puellæ. At parochus insistat pro verbis.

Qu. 4. — Quid sentiendum de Matrimonio inito *sub conditione?*

Resp. « Conditio semel apposita et non revocata: *a*) si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra Matrimonii substantiam, pro non adjecta habetur; *b*) si de futuro contra Matrimonii substantiam, illud reddit invalidum; *c*) si de futuro licita, valorem Matrimonii suspendit; *d*) si de præterito vel de præsenti, Matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non » 13.

Hinc: *a*) Pro non adjectis habentur conditiones « si cras sol orietur, si dotem afferas montem aureum, si matrem tuam occideris ». — *b*) Matrimonium reddunt invalidum conditiones « dummodo onanistice semper simul coëamus, si te pro quæstu prostitues, si facultatem des ducendi aliam civilter in casu discordiarum ». — Valorem Matrimonii suspendunt conditiones « si lauream consequeris, si te patruus heredem constituet ». — *d*) Matrimonium valet sub conditionibus « si legitimus es, si es virgo », et hæc vera sint; secus non valet.

10) Cf. Wernz *Num. 302* Nota *44;* Ball. *492, sequ.*

11) Palmieri Tract. dogm. *De Matrim. Th. III;* Ball. *Num. 423;* Wernz *302* not. *41;* Ferr. *1061;* Rosset *De sacram. Matr. 194, seqq.* Aliter sentiunt D'Ann. *443, 4;* Chel. *125.* — Cf. S. Congr. Conc. die 27 jul. a. 1907.

12) Codex *Can. 1088* § *2.*

13) Codex *Can. 1092.* — Cf. Gén., *459:* Wernz *302;* Ball. *489-509.*

Ceterum parochus numquam debet sua auctoritate admittere Matrimonium *sub conditione*: redundaret enim periculis.

564. *Circa Princ.* — *Qu. 1.* Quandonam metus reverentialis parentum invalidum faciat Matrimonium?

Resp. a) Si metus reverentialis nitatur tantum reverentia erga parentes, ne metus quidem est. — *b*) Si timeatur tantum parentum offensa vel mœror aut tristitia, *per se* levis est. — *c*) Si prudenter timeatur gravis et diuturna parentum indignatio, et præsertim si imperio vel precibus importunis et constantibus addantur aliæ minæ vel dura et aspera agendi ratio vel aliæ similes circumstantiæ, metus reverentialis fit gravis et qualificatus; hic proinde dirimit Matrimonium [14].

Qu. 2. Quid, si post matrimonium invalide contractum ex metu, tum causa metus, tum metus ipse cesset?

Resp. In eo casu Matrimonium convalidari potest, etiam sine præsentia parochi, per consensum expressum a parte, quæ ex metu se consensisse asseruerat. Pars vero, quæ metum intulit, non videretur posse a Matrimonio recedere, ipsum habens ut invalidum [15].

ART. III. — De forma canonica contrahendi

565. Formâ Matrimonii contrahendi Jure novissimo determinatâ tenentur: *a*) Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex hæresi aut schismate conversi (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se Matrimonium contrahunt; *b*) iidem, si Matrimonium contrahunt cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtæ religionis vel disparitatis cultus; *c*) orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis [16]. — Matrimonium hac forma carens diceretur *clandestinum* esse, seu laborare impedimento *clandestinitatis*.

566. **Principia. 1.** Ad Matrimonii validitatem ex parte formæ, in casibus ordinariis hæc requiruntur: *a*) Contrahatur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote qui sit, aut ab Ordinario vel a parocho legitime auctorizatus, et duobus saltem testibus. — Parochus vel Ordinarius aut sacerdos, neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum; et hoc intra fines territorii parochi vel Ordinarii [17].

14) Cf. causam definitam a S. R. Rota 9 martii 1917. — Plura apud Raia pag. 151-159.

15) S. Ligorius *Num. 1057*, et *Homo apost. XVIII. 64.* — Cf. Ball. *1142.*

16) Codex *Can. 1095, 1096* § *1*, coll. *Can. 476* § *6.* — De acatholicis et orientalibus *Can. 1099.*

17) Codex *Can. 1094, 1095, 1096* § *n. 3.* — De vicario cooperatore *Can. 476.*

II. Ad liceitatem Matrimonii adsistere debet et contrahentium consensum excipere ille parochus vel Ordinarius loci (aut sacerdos ab eis delegatus), qui est parochus vel Ordinarius domicilii aut quasi-domicilii aut menstruæ commorationis contrahentium, aut alterutrius ex ipsis; generatim vero parochus vel Ordinarius sponsæ. Ne servetur primum, requiritur gravis necessitas; ne alterum, causa justa [18].

III. *a*) In mortis periculo, si absque gravi incommodo parochus vel Ordinarius aut sacerdos delegatus haberi nequeat, Matrimonium coram solis testibus validum est; idem est et licitum in casu, quo vocari et simul cum testibus adsistere nequeat alius sacerdos. *b*) Imo coram solis testibus validum est, et in præcedenti hypothesi etiam licitum, Matrimonium extra periculum mortis, in casu quo talis prævideatur per mensem futura rerum conditio, ut parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus haberi vel adiri nequeat sine incommodo gravi [19].

567. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Parochus (ut de eo tantum dicamus) intra limites suæ paræciæ valide adsistit Matrimoniis quibuscumque, sive sponsi ex sua paræcia sint, sive ex nulla, sive ex aliena; et quidem absque licentia cujuscumque Ordinarii vel parochi.

2.ª Parochus invalide adsisteret Matrimonio suorum filianorum extra limites suæ paræciæ; nisi licentiam habeat ab Ordinario vel a parocho loci, in quo Matrimonium est celebrandum.

3.ª Parochus intra limites suæ paræciæ valide adsistit a die et hora, qua parochus est; seu ab accepta beneficii possessione vel ab inito officio.

4.ª Valide adsistit parochus putativus, supplente Ecclesia; invalide adsisteret parochus intrusus.

5.ª Invalide adsisteret parochus, qui excommunicatus, vel interdictus, vel ab officio suspensus fuerit, per sententiam sive intimativam (*ab homine*) sive declarativam (*a jure*): suspensus ab ordine, a beneficio, a jurisdictione adsisteret valide.

6.ª Ut Matrimonium coram parocho valeat, necesse est quod parochus, nec vi nec metu gravi constrictus, sponsorum consensum ipse exquirat et excipiat: non amplius requiritur quod id præstet invitatus vel rogatus.

568. *Ex Princ. II.* — 1.ª Ut parochus licite celebret Matrimo-

18) Codex *Can. 1097.* — Cf. Genn. *Comm. al decreto* « *Ne temere* » *Cap. II.* § V.

19) Codex *Can. 1098.* — De mortis periculo cf. Sabetti *Num. 913.*

nium, ordinarie requiritur quod, sponsi, aut ipsorum alteruter, sui filiani sint, ac proinde intra limites parœciæ domicilium vel quasi-domicilium habeant, aut saltem ibidem a mense commorentur, etiamsi per aliquot dies abfuerint.

2.ª Parochus licite Matrimonium celebrat sponsorum alterius parœciæ, si ab eorum parocho licentiam habeat; item, si hæc haberi nequeat, at necessitas habeatur celebrandi statim; ex. gr., propter periculum infamiæ ex dilatione, propter impendentem sponsis necessitatem abeundi, etc.: item, si sponsi sint vagi itinerantes, nec ullibi commorationis sedem habentes.

3.ª Si sponsi ad diversas parœcias pertineant, ordinarie Matrimonium celebrari debet a parocho sponsæ, nisi justa causa excuset: justa autem causa esse videtur causa rationabilis convenientiæ aut utilitatis vel consuetudinis.

569. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si sponsis, aut alterutri eorum, periculum mortis impendet, puta ex terræmotu, ex morbo, ex prælio imminenti, ac adsistentia parochi haberi nequeat, Matrimonium coram duobus testibus validum est; et hoc etiamsi in æstimando periculo error irrepserit.

2.ª Item Matrimonium coram duobus testibus et absque parocho validum est, si propter parochi absentiam aut conditionem regionis aut particularem sponsorum difficultatem moralis certitudo ex notorio vel ex inquisitione habeatur parochum per mensem neque haberi neque adiri posse sine gravi incommodo: nec Matrimonium invalidum fit, si die sequenti impossibilitas cesset.

3.ª In utroque casu Ecclesia præscribit, ut, si possibile sit haberi sacerdotem, hic habeatur vel adeatur: hoc vero, non ad validitatem, sed ad liceitatem.

4.ª Opportunum est quod parochi, præsertim pro casu periculi mortis, fideles edoceant: ac, si possibile sit sacerdotem habere etiam post contractum Matrimonium, ille advocetur; nedum pro sacramentis et sacramentalibus moribundorum, sed etiam pro benedictione sponsorum, ut hac ratione sanctitati sacramenti consulatur.

570. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quinam in sensu horum Canonum sit *parochus*?

Resp. a) Parochus proprie dictus; cui paræcia legitime collata est cum cura animarum. *b)* Quasi-parochus, seu rector quasi-parœciæ, h. e. loci determinati, ubi parœciæ nondum sunt canonice erectæ. *c)* Vicarius parochialis, qui plena potestate præest parœciæ, cujus cura est penes collegium vel capitulum. *d)* Vicarius aut œconomus, cui canonice commissa est parœcia vacans, vel qui vices gerit parochi habitualiter inhabilis. *e)* Vicarius substitutus, ab Ordinario approbatus, ad vices parochi absentis supplendas.

Hi omnes (et ante eos Ordinarius) possunt adsistere celebrationi Matrimonii, atque alii sacerdoti munus adsistendi committere.

Qu. 2. Quinam sacerdotes, et quo modo, auctorizari possunt ad adsistendum, ita ut Matrimonium coram ipsis celebratum sit ex parte formæ validum?

Resp. 1.° Sacerdos, qui sit alicujus parochi vicarius cooperator, auctorizari potest ad adsistendum, sive Matrimonio determinato, sive Matrimoniis in genere, quæ celebranda sint intra limites parœciæ. Hæc autem auctorizatio desumatur « ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii et ex ipsius parochi commissione ». Quidam vellent ipsum esse auctorizatum ex jure.

2.° Sacerdos, qui vicarius cooperator non sit, auctorizari potest, sive ab Ordinario, sive a parocho: auctorizatio autem esse debet determinata, tum quoad personam sacerdotis, tum quoad Matrimonium. Hæc auctorizatio dari nequit a vicario cooperatore, inscio parocho; licet ipse ad adsistendum sit legitime auctorizatus [20].

Qu. 3. Quibus Matrimoniis parochus vel sacerdos ab eo delegatus valide adsistere possit?

Resp. Omnibus, quæ fiant intra limites parœciæ suæ, vel parœciæ parochi delegantis; sive hæc fiant a filianis suis, sive ab alienis, sive a vagis. Extra hos limites, ne suorum quidem filianorum Matrimoniis valide adsistere potest parochus, nisi ex auctorizatione a parocho loci illius. Idem dicatur de Episcopo, de ejus Vicario generali, de Vicario capitulari, etc.

Qu. 4. Quales debeant esse testes in Matrimonio?

Resp. Quilibet habentes usum rationis, qui de contracto Matrimonio testari valeant et sint fide digni [21]. Hinc possunt esse viri aut feminæ, familiares aut extranei, catholici, hæretici, athei, etc.

Qu. 5. Quænam sint parochi partes in celebratione Matrimonii?

Resp. Potissimæ duæ sunt: Prima ut, scienter et libere adsistens, sponsos interroget an velint hic et nunc Matrimonium secum contrahere: altera, ut consensum ab iisdem manifestatum excipiat; adeo ut de eo una cum testibus testari valeat, et dein omnia in libro Matrimoniorum describere.

571. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quænam sint Matrimonii celebrationi a parocho præmittenda?

Resp. Parochus in primis *a*) inquirere et certus fieri debet de Baptismo contrahentium; de quo exigere debet authenticum documentum, si Baptismus in alia parœcia collatus fuerit [22]: in casu, quo hoc prorsus haberi nequeat, Ordinarium consulat, qui forte decernit sufficere testificationem personarum, quæ sint omni exceptione majores. — *b*) Certior fieri debet de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commora-

20) Comm. Pont. 14 julii 1922, 13 dec. 1923.

21) Non requiruntur qualitates, de quibus CODEX *Can. 1557.*

22) CODEX *Can. 1029*, coll. *Can. 1023* § 2. — Deficiente probatione juridica, ordinarius decernet substitui posse *juramentum suppletorium*. Comm. Pont. 2-3 junii 1918.

tione, aut, si de vago agatur actuali commoratione alterutrius in loco Matrimonii; nisi agatur de vagis itinerantibus, qui nullibi commorationis sedem habent. Matrimonia opificum emigrantium habenda sunt quasi vagorum Matrimonia: ideoque parochus eisdem non adsistat inconsulto Ordinario, excepto casu necessitatis, seu potissimum periculo mortis 23. — *c*) Certior fieri debet de statu libero contrahentium: id ordinarie facere debet per investigationes et publicationes: at, si hæ ab alio parocho fieri debeant (de qua re in dubio judicabit Ordinarius) ab hoc certior fieri debet per documentum authenticum 24; h. e., ab eo parocho subsignatum et parœciali sigillo munitum: si parochus hic ad aliam diœcesim pertineat, juxta plures documentum ab ejus curia episcopali rediendum est. — *d*) Demum inquirere debet a sponsis an « sciant rudimenta fidei » 25; speciatim Symbolum apostolicum, Orationem dominicam, præcepta Decalogi et Ecclesiæ, Sacramenta, et alia, quæ dein tenebuntur suos filios docere; at hodie haud semper prudens erit hujusmodi inquisitio. — *e*) Relate ad sacramentum Confirmationis, cum ejus receptio *sub gravi* non præcipiatur, et qui illud non receperunt illud suscipere moneantur, « si id possint sine gravi incommodo » 26, ejus documentum parochus prudenter exquiret, at ipsum omnino exigere non debet. — *f*) Demum sponsos ordinarie docebit circa sanctitatem Matrimonii et obligationes tum mutuas tum erga prolem: at de his caute et sobrie 27.

Qu. 2. Quid agendum, si sponsi in parœcia, ubi contrahere volunt, nec domicilium habeant, nec per mensem commorati fuerint?

Resp. Regulariter petenda est licentia a parocho (vel ab Ordinario) in cujus territorio saltem alteruter aut domicilium habet, aut menstruam commorationem; excepto casu, quo gravis necessitas ab ea petenda excuset. — Parochus, qui sine licentia jure requisita Matrimonio adsistat, emolumenta stolæ non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittere debet.

572. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quanta debeat esse impossibilitas habendi delegationem, ut sacerdos non delegatus adsistere possit Matrimonio in periculo mortis?

Resp. Sufficit impossibilitas moralis, qualis communiter attenditur in legibus Ecclesiæ. Hæc haberetur, si confessarius, vocatus ad moribundum, ex confessione comperiat eum vivere in occulto concubinatu, ille vero omnino nolit rem ad parochum deferri. In eo casu sacerdos coram duobus testibus Matrimonium celebrare poterit, quod postea notabit

23) *Instructio* S. Congr. De Sacram 4 julii 1921.
24) S. Congr. De Sacram. 6 mart. 1911.
25) Codex *Can. 1020* § *2*; Rituale *VII. Cap. I. 1.* — Ignorantes instruat: at, « si renuant instrui, non est locus eos respuendi a Matrimonio ». Comm. Pont. *Resp. cit.* — Cf. Frassinetti *Nota 174.*
26) Codex *Can. 1021* § *2*, coll. *Can 787.* — Cf. Ferreres *Num. 358.*
27) Codex *Can. 1033.* — Cf. Cappello Tract. *De Sacram* III. *Num. 184.*

in libro Matrimoniorum secretorum apud archivum Curiæ episcopalis 28.

Qu. 2. Quid, si in casu proposito impossibile sit physice aut moraliter adhibere duos testes ?

Resp. Data hypotesi, sacerdos habet ab Apostolica Sede facultatem dispensandi « super forma in Matrimonii celebratione servanda »; quam facultatem habet et confessarius pro foro interno 29. Ergo, applicata hac dispensatione, parochus vel sacerdos poterit Matrimonium absque testibus celebrare.

Qu. 3. Sicubi lex civilis jubeat Matrimonio præmittendam esse formalitatem civilem, hæc autem in casu particulari fieri non possit, potestne validum esse Matrimonium sine parocho, qui, si adsisteret, pœna gravi mulctaretur ?

Resp. Licet nonnulli recentes affirment, videtur esse negandum ex quibusdam responsionibus Apostolicæ Sedis. Accedit quod ea validitas nimis cederet in detrimentum auctoritatis Ecclesiæ.

573. **Scholion** — **I.** *De notatione Matrimonii. a*) Parochus, vel sacerdos delegatus, post celebratum in ecclesia Matrimonium, statim describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati Matrimonii, atque alia juxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario præscriptum; idque, licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus Matrimonio adstiterit. — *b*) Parochus in libro quoque baptizatorum adnotet conugem tali die in sua parœcia Matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerat, Matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum Baptismi, sive per se, sive per Curiam episcopalem, transmittat ut ibi Matrimonium in Baptismi librum referatur. — *c*) Quoties Matrimonium ad normam Canonis 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes, tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum conjugium in præscriptis libris quamprimum adnotetur 30.

II. *De Matrimonio conscientiæ.* — « Nonnisi ex gravissima et urgentissima causa et ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario Generali sine speciali mandato, permitti potest ut *Matrimonium conscientiæ* ineatur; idest Matrimonium celebretur omissis denuntiationibus et secreto ad normam Canonum qui sequuntur » 31. Hoc Matrimonium adnotandum erit in peculiari libro in secreto Curiæ archivo: ibidem notanda et proles, si habeatur et Baptismus eidem collatus.

III. Huic accedit Matrimonium *morganaticum*. Contrahitur a viro familiæ regalis aut prænobilis cum femina humilioris conditionis, ea lege, ut hæc ejusque filii nec nomen familiæ assumant nec insignia, nec sibi plene vindicare debeant jura hereditaria.

28) Cf. *Monit. eccl.* XXII. 137, XXVII. 93-97, XXXIV. 361.
29) Codex *Can. 1043, 1044.* — Cf. *Monit. eccles.* XXI 290, 472.
30) Codex *Can. 1103.* — Cerato *Num. 100.*
31) Codex *Can. 1104,* coll. *1105.* — Plura habet Raia pag. 184-188.

ART. IV. — De liturgia matrimoniali

574. Ipse contractus matrimonialis sacramentum est, et quidem *magnum in Christo et in Ecclesia*. Parochus itaque, juxta monitum Ritualis, curet ut sponsi ad illud rite suscipiendum se dignos faciant et, sua peccata diligenter confessi, SS. Eucharistiam devote suscipiant. Item iisdem in habitu et incessu eam modestiam inculcet, quæ sacramento debetur: sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractanda.

Eadem ratione Ecclesia in ipsa Matrimonii celebratione præscriptiones liturgicas servandas esse edixit, quæ hisce tribus constant: Ritibus, tempore, loco. — Itaque ex Jure novissimo 32:

575. **Principia. I.** « Extra casum necessitatis, in Matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis præscripti, aut laudabilibus consuetudinibus recepti. — *b*) Parochus curet ut sponsi benedictionem solemnem accipiant, quæ dari ei potest etiam postquam diu vixerint in Matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato ».

II. *a*) « Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. — *b*) Solemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum ad dominicam Paschatis inclusive. — *c*) Ordinarii tamen locorum possunt.... etiam prædictis temporibus eam permittere ex justa causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant ».

III. *a*) « Matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia parœciali; in alia autem ecclesia vel oratorio, sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit. — *b*) Matrimonium in ædibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper justa ac rationabili causa permittere possunt; sed in ecclesiis vel oratoriis, sive seminarii sive religiosarum, Ordinarii ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis ».

576. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.° Ritus in Rituali Romano sunt interrogationes sponsorum, in quorum responsis stat essentia Matrimonii; formula « Ego conjungo vos »; benedictio annuli cum precibus sequentibus.

2.ª Hi ritus adhibendi in Matrimonio inter catholicos; nam in matrimoniis mixtis regulariter prohibentur, nisi ex timore graviorum malorum Ordinarius aliquam ex cæremoniis permittat.

32) Codex *Can. 1000, 1101, 1108, 1109.*

3.ª Possunt alicubi in usu esse et aliæ laudabiles consuetudines, puta velatio feminæ; quæ in eo casu servari possunt et decet 33.

4.ª Benedictio nuptialis certe non præcipitur, saltem *sub gravi*. Ea consistit in precibus, quæ habentur in Missa pro sponsis post *Pater noster* et *Benedicamus Domino;* ac numquam dari debet extra Missam; quæ erit votiva, si rubricæ permittunt; secus respondens officio diei. Ea dari potest etiam post diuturnum tempus a contracto Matrimonio: excepto casu, quo mulier vidua eam in priore Matrimonio acceperit.

5.ª Recenter probata et edita fuit *Benedictio nuptialis extra Missam;* quæ ex speciali S. C. Rituum licentia dari poterit extra Missam; at non tempore feriato, nec pro casu quo sponsa vidua jam fuerit in primis nuptiis benedicta.

6.ª Missa non necessario applicanda est pro sponsis, etsi dicatur votiva.

577. *Ex Princ. II.* — 1.ª Matrimonii celebratio cum suis ritibus nullo tempore prohibetur.

2.ª Qui tempore feriato Matrimonium celebrarunt, hortandi sunt ut, eo elapso, ad ecclesiam redeant, benedictionem accepturi.

3.ª Causa ad permittendam benedictionem tempore feriato debet esse justa, non gravis: sufficeret, ex. gr., quod sponsi, personæ in paroecia notæ, post exspectatam diu dispensationem ab impedimento, mox celebrare debeant Matrimonium ex necessitate discedendi, forte in regiones hæreticorum aut infidelium.

4.ª Pro duobus casibus, quibus benedictio nuptialis non permittitur, modo habentur *Preces recitandæ extra Missam super conjuges* 34.

578. *Ex Princ. III.* — 1.ª Celebrandum est Matrimonium in ecclesia vel in oratorio saltem semi-publico: est enim sacramentum et ex natura sua publicum: curandum ut celebretur ante altare majus, vel ante altare specialis devotionis.

2.ª In domo privata celebrari potest sine licentia Ordinarii, si celebrandum sit Matrimonium alicujus exsistentis in periculo mortis; extra hunc casum requiritur licentia Ordinarii.

3.ª Ordinarius permittere potest Matrimonium in æde privata in casu extraordinario et accedente causa justa et rationabili: talis esse potest vitatio scandali vel infamiæ; haud facile talis erit ambitio vel grandities sponsorum: id permittere potest facilius sponsis habentibus ex legitimo privilegio oratorium privatum.

4.ª Ratio, qua opportunum non sit Matrimonium celebrari in ecclesiis seminarii aut religiosarum, per se patet.

5.ª In ecclesia celebrari debet tantum Matrimonium, quod fiat inter catholicos. Si ex dispensatione ineatur Matrimonium mixtum, hoc fiat in domo canonica, in cella adjacenti ecclesiæ, ad summum in sa-

33) S. Congr. Rituum die 15 sept. a. 1881.

34) Tum hæ *Preces*, tum *Benedictio* pud RITUALE App. *De Matrim.* pag. 580-583.

cristia: in ecclesia numquam; nisi ad vitanda graviora mala id opportunum duxerit Ordinarius, et simul sacerdos annulum benedicat aut aliam peragat cæremoniam; at excludenda omnino Missa, et proinde etiam benedictio nuptialis: et quidem, non modo Missa pro sponsis, sed et quælibet alia, si hæc ex rerum adjunctis haberi possit uti complementum cæremoniæ matrimonialis 35.

CAPUT II.

DE CONVALIDATIONE MATRIMONII INVALIDI

579. Cum haud rarus casus sit matrimonii apparenter validi et re invalidi, breviter indicare oportet quid in eo casu agendum sit parochis et confessariis. Duplex enim via patet: prima, quod e putativis conjugibus unus ab altero recedat definitive; altera, quod matrimonium invalidum validum fiat. Prior via generatim obnoxia est incommodis gravissimis, etsi conjugibus non semper displiceat: facile scandala oriuntur, et difficile consulitur proli genitæ aut gignendæ. Quare communiter tentanda est altera, curando ut, quousque ea suum effectum non habuerit, conjuges separentur aut saltem in eadem domo manentes caste vivant.

Matrimonium jam contractum invalidum esse potest ex triplici capite: ex impedimento dirimente, ex defectu consensus, ex defectu formæ juridicæ. Convalidari autem potest duplici modo; nempe: *a*) per simplicem convalidationem ordinariam; *b*) per sanationem *in radice*.

Agimus de matrimonio certe invalido. Nam « Matrimonium gaudet favore juris; quare in dubio standum est pro valore Matrimonii » 1.

ART. I. — DE CONVALIDATIONE MODO ORDINARIO

580. **Principia. I.** *a*) Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum, et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia. — *b*) Hæc renovatio jure ecclesiastico requiritur ad validitatem, « etiamsi ab initio utraque pars consensum præstiterit nec postea revocaverit » 2.

II. « Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars, quæ non consenserat, jam consentiat; dummodo consensus ab altera parte præstitus perseveret ».

35) CODEX *Can. 1109 § 3*, coll. *Can 1102*, et Comm. Pont. 10 nov. 1925.

1) CODEX *Can. 1014*. — Unica exceptio habetur pro matrimonio non baptizatorum; circa quod occurrente dubio, favore juris gaudet privilegium Paulinum.

2) CODEX *Can. 1133*. CERATO *Num. 135, seqq.* CHEL. *164-166;* NOLDIN *662, seqq.*

111. « Matrimonium nullum ob defectum formæ, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma » [3].

581. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse.

2.ª Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma jure præscripta. Hoc autem non requiritur *per se*, sed ad scandalum vitandum. Hinc parochus, conjugum verecundiæ parcens, quandoque Matrimonium celebrare poterit occulte; ita tamen, ut dein opportune in notitiam publicam venire possit.

3.ª Si impedimentum sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto.

4.ª Si impedimentum sit occultum et uni tantum parti notum, satis est quod hæc consensum privatim et secreto renovet; dummodo altera in consensu præstito perseveret 4.

582. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si defectus consensus fuerit internus (puta propter minas parentum), satis est ut pars, quæ non consenserat, interius consentiat; ner amplius requiritur, ut antea, quod altera certioretur de nullitate matrimonii.

2.ª Si defectus consensus fuit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare; vel forma jure præscripta, si defectus fuerit publicus; vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus.

583. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si nullitas matrimonii propter defectum formæ publica sit, regulariter Matrimonium sub forma jure præscripta contrahendum est publice in ecclesia, ne scandalum perseveret: at id necessarium non est *per se*.

2.ª Si pars una personaliter comparere renuat, comparere potest per procuratorem. Si neuter comparere velit, aut una pas nec per procuratorem quidem, matrimonium convalidari nequit, nec alia via est convalidationi præter sanationem *in radice*.

584. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quid, si confessarius aut parochus nunc deprehendat exstitisse in contrahendo impedimentum dirimens, quod neutri parti notum est?

Resp. a) Si prævideat monitionem profuturam esse, quatenus aut impedimentum cessabit aut facile habebitur dispensatio, et putativi conjuges libenter consensum renovabunt, moneat, saltem eam partem a qua valde sperat, nihil timet. — *b)* Si impedimentum jam cessavit, et de renovatione consensus timeat, taceat: nam renovatio consensus requiritur in ea parte quæ impedimenti conscia est, et quidem jure mere ecclesiastico: ceterum prosecutio in officiis conjugalibus est implicita consensus

3) Codex *Can. 1136 § 1, 1137.*
4) Codex *Can. 1135.*

renovatio, et manifestatio. — *c*) Taceat etiam, si ex manifestatione nihil speret, sed jurgia et forte separationem et scandala prævideat.

Qu. 2. Utrum quandoque possit confessarius Matrimonium invalidum convalidare ?

Resp. Affirmative: quando: casus sit occultus, et nec Sancta Sedes adiri queat, nec loci Ordinarius, aut iste nonnisi cum periculo violationis secreti. Hæc convalidatio fit in actu sacramentalis confessionis et pro foro interno tantum 5.

Qu. 3. Utrum pars impedimenti conscia debeat illud alteri parti manifestare ?

Resp. Regulariter *affirmative;* at, si absque gravi incommodo id fieri non possit, ex monito sacræ Pœnitentiariæ « renovetur consensus juxta regulas a probatis auctoribus traditas ». Ceterum pars impedimenti conscia copulam habeat affectu conjugali, intendens per eam consentire et consensum manifestare, habens pro manifestatione consensus alterius partis ipsum copulæ exercitium.

Qu. 4. Utrum renovatio consensus prærequirat nullitatis prioris Matrimonii cognitionem ?

Resp. Plures affirmant, quia secus renovatio præsens non esset nisi confirmatio præcedentis consensus, qui erat invalidus. At alii censent renovationem præsentem ex mente renovantium esse verum consensum, quidquid fuerit primus; per eum enim volunt esse vere conjuges. Quare ea cognitio requiritur tantum ex jure positivo Ecclesiæ 6: hinc, si confessarius prævideat monitionem esse moraliter impossibilem aut certe valde periculosam, non insistat.

ART. II. — De convalidatione per sanationem in radice

585. Hæc forma convalidandi Matrimonium est quædam abrogatio legis ecclesiasticæ Matrimonium irritantis, hic et nunc convalidans matrimonium ex impedimento juris ecclesiastici hucusque nullum, et abrogans ipsius legis effectus a tempore matrimonii invalide contracti. Per hanc sanationem *in radice* Matrimonium fit hic et nunc validum absque novo conjugum consensu; proles post primum matrimonium genita fit legitima; et matrimonium sanatur etiam pro tempore hanc sanationem antecedente. — Sanatio *in radice* concedi unice potest ab Apostolica Sede.

Conditiones requisitæ ad istam formam dispensationis obtinendam sunt quatuor: *a*) Agatur de impedimento juris ecclesiastici: si obstiterit impedimentum juris naturalis vel divini, puta vinculum, Ecclesia non sanat *in radice*, ne a momento quidem cessationis impedimenti 7. — *b*) Consensus præcedens fuerit vere matrimonialis; adeo ut duæ personæ

5) Codex *Can. 1045* § *2, 3.* — Excipiuntur duo casus, de quibus *Can. 1043.*
6) Codex *Can. 1134.* — Cf. Wernz*Num. 651, 210;* Tanqu *1220 B.*
7) Codex *Can. 1139* § *2.* — Cf. Wernz *Num. 658, 30 ;* D'Ann. *504, 23 ;* Gen. *541.*

voluerint, non convivere fornicarie, sed conjugaliter: talis consensus matrimonialis haberi potuit, etiamsi contrahentes cognoverint impedimentum, at non inde consequentem matrimonii nullitatem; imo et in iis, qui matrimonium mere civile contraxerant. — *c*) Consensus præcedens perseveret virtualiter; adeo ut neuter obierit, aut consensum datum revocaverit 8. — *d*) Causa vere gravis habeatur, quæ dispensationem ordinariam et consensus renovationem impediat. Hæc habetur, si una pars vel utraque nullitatem matrimonii ignoret, et prudentia vetet ne hæc ignorantibus reveletur; item, si una vel utraque pars videatur induci nullatenus posse ad consensum renovandum 9.

Sanationem pro foro interno regulariter petit confessarius a sacra Pœnitentiaria, et generatim per tramitem Curiæ episcopalis. Acceptam vero facultatem hac vel simili forma applicare poterit: « Auctoritate mihi commissa matrimonium a te invalide contractum sano et convalido *in radice*, prolemque suscipiendam et susceptam legitimam declaro ».

CAPUT III.

DE SIC DICTO MATRIMONIO CIVILI

586. Cum inter baptizatos nullum possit esse Matrimonium quin sit sacramentum, ideoque jure tantum divino et canonico regatur, nullum potest consistere matrimonium quod contractum aliter fuerit, quam forma ad ejus validitatem præscripta ab Ecclesia. Quapropter, quod dici solet *matrimonium civile* non est Matrimonium, sed mendacium, per quod unio viri cum femina est « legalis concubinatus » 1. Quamvis vero hujusmodi pseudo-matrimonium ex intentione legum civilium impium sit, nihil mali habet ex se et in se; ac insuper ipsum necessario requiritur, ut duo conjuges ceu tales habeantur coram publica auctoritate, ac neuter valeat, legitimo conjuge abdicato, ad nuptias concubinarias transire. Insuper ipsum requiritur, ut proles sibi jura filiorum vindicare possit, et præsertim jura hereditaria. Hinc nupturientes, nedum possunt, sed et regulariter debent, juxta præscripta legis civilis se sistere coram civili magistratu, ibique suum consensum matrimonialem manifestare.

Itaque parochi omni studio curent ut, qui Matrimonium contraxerunt, actum civilem præstent quamprimum; nec regulariter eos conjungere debent, quos sciant vel suspicentur hunc esse, aut ex voluntate, aut etiam ex quadam necessitate omissuros. Simul vero doctrinam catholicam de veritate hujus sacramenti et de exclusiva Ecclesiæ competentia circa ipsum fidelibus sæpe exponant atque propugnent. Item insistant ut

8) Nec satis est quod revocare voluisset aut vellet.

9) Cf. S. Offic 22 aug. a. 1906, apud *Monit. eccl.* XIXI. 4-6; Sabetti *Num.* 932.

1) Leo XIII Encycl. *Inscrutabili* data die 20 aprilis anno 1878. — Parochi et sacerdotes omnes, numquam nomen *matrimonii* tribuant actui civili.

nupturientes debitum ordinem servent, celebrando prius Matrimonium, dein cæremoniam civilem. Quod si hic ordo, aut vi legis civilis, aut contrahentium necessitate vel voluntate, invertatur, non antea conjugaliter vivant, quam verum Matrimonium, scilicet religiosum, contraxerint.

Ex dictis, contractus matrimonialis inter baptizatos ex se et natura sua subest auctoritati Ecclesiæ; de facto tamen et indirecte obnoxius quoque est auctoritati potestatis civilis 2; cujus competentiæ distinctio clare traditur Jure novissimo: « Baptizatorum Matrimonium regitur jure non solum divino, sed etiam canonico; salva competentia civilis potestatis circa mere civiles ejusdem matrimonii effectus » 3. Hæc competentia non raro viam aperit practicis difficultatibus; circa quas opportunum ducimus quasdam subjicere quæstiones, earumque penes recentes theologos et canonistas solutionem.

587. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum contrahentes catholici teneantur et actum civilem obire?

Resp. Directe et vi legis civilis hunc actum exigentis, *negative*. *Ratio* est, quia contractus matrimonialis inter baptizatos est sacramentum; unde regitur jure divino et canonico tantum. Verum, si ex omisso actu civili sequi possint gravia mala, contrahentes tenentur obire actum civilem ad hæc eorumque pericula præcavenda. Casus est, quod timeatur ne alterutra pars deinceps alterius pertæsa nuptias ineat civiles cum alia persona; multo magis, si probabile sit ex legitimo priore Matrimonio prolem secuturam, quæ legitimis juribus per nuptias civiles privari poterit; etc. Hinc parochus, si hæc timeat, Matrimonium non debet celebrare; in casu complicatissimo recurrat ad Ordinarium, qui forte cum septuagenariis dissimulabit.

Qu. 2. Quid agendum syndico (vel officiali civili), si coram ipso actum civilem peracturi se sistant vir et mulier, quos certo novit Matrimonium coram Ecclesia non contraxisse, nec umquam contracturos?

Resp. 1.° Ipse nihil omnino agere debet contra sanctitatem Matrimonii ac necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia: insuper scandalum removere debet eosdem hortando ut, vel antea, vel saltem postea, contrahant coram Ecclesia. Obligatio prior est potissimum ex religione, altera ex caritate: verum, dum prior negativa est et obligat semper et pro semper, altera affirmativa est, et tunc tantum obligat, cum nec nimis difficilis est, nec inutilis fore prævidetur.

2.° Hisce præstitis, syndicus adsistere poterit actui civili, quando secus incommoda vere gravia pertimescat; cujusmodi essent gravis mulcta ac depositio ab officio. Ratio est, quia ipsius adsistentia est cooperatio materialis ad peccatum alterius ex causa proportionate gravi. Porro, juxta regulas a S. Alphonso et a probatis auctoribus traditas, ejusmodi

2) Leo XIII Ep. ad Card. De Canossa die 8 febr. a. 1893, apud *Monit. eccles.* VIII. P. I.

3) Codex *Can. 1016.*

cooperatio materialis in eo casu non est illicita: quod confirmatur ex declaratione S. Pœnitentiariæ data die 29 martii a. 1885 4.

Qu. 3. Quid agendum syndico (vel officiali civili), si, aut uterque, aut alteruter e prædictis, sit præcedenti Matrimonio religioso cum altera persona conjunctus?

Resp. Quæstio huc reducitur: Utrum adsistentia syndici in iis casibus sit per se et intrinsece mala; an vero mala sit malitiâ tantum cooperationis ad gravissima peccata aliorum, et ad injuriam erga tertiam personam. Si primum, in nulla hypothesi, etsi secus mors syndico intimetur ejusque familia in extremam labatur egestatem et syndicalis dignitas ad impiorum manus deveniat, numquam syndico licebit suam adsistentiam præstare: si alterum, licebit, quando secus gravia aut gravissima damna communia aut etiam privata timeantur. Quidam primum affirmant et contendunt 5; alii affirmant et contendunt alterum 6: utrique et rationes intrinsecas et responsa Apostolicæ Sedis pro sua quique opinione adducunt. Quapropter syndici certe omnia tentare debent, ut ea matrimonia civilia pro viribus impediant: at, si id tentaverint frustra, et aliunde mala vere gravia vel gravissima pertimescant 7, quousque Apostolica Sedes definitivam sententiam non dederit, non videntur esse inquietandi.

Hæc applicanda esse videntur etiam in casu, quo ad actum civilem se sistat persona Ordine sacro vel voto solemni obstricta 8.

Qu. 4. Utrum sententia affirmans adsistentiam syndici in hisce casibus non esse per se et intrinsece malam probabilis sit?

Resp. Affirmative, probabilitate nedum extrinseca, sed et intrinseca, ut jam alibi demonstravimus 9. Ergo certissime est practice tuta; atque ea syndici adsistentia practice licita est, dummodo secus damnum proportionate grave impendeat. Ejusmodi certe est pro communitate quod syndico catholico substituendus sit atheus, vel socialista; imo, juxta plures, causa sufficiens est pro ipso syndico quod ipse officium amittere debeat 10.

Qu. 5. In regionibus, in quibus admittitur divortium, poterit ne judex sententiam divortii pronuntiare quoad personas Matrimonio religioso conjunctas?

Resp. Quæstio haud multum dissimilis a præcedenti. Juxta quosdam, ea sententia est vera cooperatio formalis, et quidem de re ex jure naturali et divino illicita, et insuper ipsum vinculum Matrimonii attin-

4) Gennari *Cons. mor. XL.*; Lehmk. *725, Nota 1;* Gasp. *1230;* Noldin *681.*
5) Palmieri apud Ball. *Num. 815, 9;* Cerato *118.*
6) Gennari *Cons. cit.,* et *App. II.* pag. 550; Noldin *Num. 681;* Wernz *108,* etc.
7) Non impar lis circa malorum proportionem.
8) Cf. Rivarolo *Governo della parrocchia. Tit. I. Capo I. Sez. II.*
9) Lectorem remittimus ad Editionem tertiam *Num. 584.*
10) Inter hos Tanquerey *Num. 919c* hanc alteram causam insufficientem habet Gennari *Consult. canon.* pag. 802.

git. Juxta alios, ea sententia vinculum veri Matrimonii non attingit, de quo judex laicus nihil decernit; ea attingit unice effectus civiles per actum civilem inductos: quamvis vero eâ sententiâ abutantur conjuges Matrimonio vero et indissolubili conjuncti, quoad hunc effectum sententia judicis est cooperatio proxima quidem et necessaria, at mere materialis, ideoque in se non illicita 11.

Qu. 6. Quid agat judex, si vir, mulieri civiliter tantum conjunctus, eam a se recedentem ad redeundum per sententiam cogere velit?

Resp. In hoc casu judex feminæ illi per sententiam imponere potest ut ad virum illum (non maritum) redeat eique præstet officia ab actu civili imposita; quæ sunt mutua cohabitatio, fidelitas, adsistentia in rebus domesticis: ad illicitum coitum, ab actu civili non impositum, sententia judicis cooperabitur proxime, at materialiter tantum et ex justissima causa 12.

Qu. 7. Utrum jura hereditaria, filiis legitimis a Jure civili sancita, competant filiis ex Matrimonio religioso genitis, an genitis ex matrimonio civili?

Resp. Eo quod Matrimonium inter baptizatos est sacramentum, ipsum regitur jure divino et canonico tantum. Ergo quænam sit legitima hujus viri uxor definiendum est unice ex Matrimonio religioso, ac illius legitimæ uxoris filii sunt filii legitimi: in definienda uxoris et filiorum legitimitate nihil intervenire potest potestas civilis. Utique hæc competens est circa civiles effectus Matrimonii, sed Matrimonii illius quod jure divino et canonico regitur. Ergo hisce tantum filiis ex Matrimonio religioso genitis competunt jura, quæ potestas civilis filiis legitimis tribuit. Nec dicas in sensu legis esse legitimos filios natos ex matrimonio civili. Nam lex civilis utique competens est, ubi definit quænam sint legitimorum filiorum jura: ubi vero definire vult quinam sint filii legitimi, prorsus incompetens est. Ita cum recentibus doctissimis viris tenendum esse censemus 13.

Consequenter: *a*) Peccat pater, qui ex utroque matrimonio filios habens filiis genitis ex Matrimonio religioso portionem legitimam non relinquit; excepto casu, quo justæ causæ habeantur: aliis relinquere potest partem disponibilem. — *b*) Ipsi filii ex civili matrimonio geniti, si integram hereditatem adeant vel tantam ejus partem quæ legitima priorum jura lædunt, peccant contra justitiam. — *c*) Si pater habens ex legitimo tantum Matrimonio filios, moriatur intestatus, femina civiliter ducta nihil ex ejus viri hereditate sibi asserere aut vindicare potest: substantiam defuncti nec possunt sibi vindicare ejus consanguinei ascendentes et collaterales: ea enim tota est filiorum defuncti.

Ceterum non negamus graves theologos in hoc dissentire; concedentes quidem filiis ex Matrimonio religioso genitis jus ad eam partem

11) PALMIERI apud BALL. *Num. 818-826;* GÉN. *562;* TANQU. *910-918;* NOLDIN *673;* plures apud FERR. *8.* — Responsa RR. CC. apud OJETTI ad v. *Syndicus.*
12) GENNARI *Quest. mor. Num. 410.* — S. Pœnit. 20 mart. 1885.
13) GENNARI *Cons. mor. XXIII, CX;* TANQU. *920.*

hæreditatis, quæ ipsis debetur ex jure naturæ, non quæ lege positiva [14]. Opinio nobis difficilis; cum ipsa lex positiva videatur esse determinativa illius proprietatis, quam filiis asserit jus naturale. Ceterum negare non possumus hujus opinionis probabilitatem; ac proinde post factum haud possemus obligare filios realiter illegitimos et legalem concubinam ad totius legitimæ hereditatis restitutionem.

SECTIO TERTIA

DE MATRIMONIO CONTRACTO

588. Matrimonium in *facto esse*, seu contractum, est ipsum vinculum conjugale, proveniens ex contractu matrimoniali legitime celebrato. Hoc autem vinculum duo dicit: 1.° Proprietates Matrimonii; 2.° juridicos ejusdem effectus, h. e., mutua conjugum officia.

CAPUT I.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

589. « Essentiales Matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas » [1]; quibus opponuntur polygynia ac polyandria, et divortium. — De utraque seorsim.

ART. I. — De unitate matrimonii

590. *Unitas* Matrimonii, seu *monogamia*, in hoc est, quod unus vir unam habeat uxorem, uxor unum virum. Proinde excludit polygyniam simultaneam, qua unus vir plures habeat uxores, et polyandriam, qua uxor plures habeat viros.

1.° *Polygynia* simultanea repugnat saltem fini secundario conjugali, qui est tranquilla conjugum et prolis genitæ cohabitatio; ac prohibita est saltem jure positivo Novæ Legis [2]. Christus enim Matrimonium revocavit ad pristinam unitatem, quam a Deo acceperat.

2.° *Polyandria* simultanea repugnat fini primario conjugii; qui est procreatio prolis ejusque plena educatio: illi repugnat, quia procreationem fere impossibilem reddit: huic repugnat, quia prolis genitæ plerumque incertus erit pater. Hinc polyandria prohibetur jure tum naturali tum divino.

3.° Licitæ sunt etiam in Lege Nova polygynia et polyandria successivæ. « Licet casta viduitas honorabilior sit, secundæ tamen et ulte-

14) Cf. D'Annibale II. *Num. 342, 22;* Berardi *2762-2768.* — Ipse Gennari *Cons. XXIII. Num. 5* probabilitatem hujus opinionis negare non audet.

1) Codex *Can. 1013* § 2. — Cf. theologos dogmaticos; Noldin *Num. 516, seqq.*

2) Ex Luc. *XVI.* 18. — Cf. Conc. Trid. *Sess. XXIV. De Matrim. Can. 2;* Wernz *Num. 358-361;* Lehmk, *698, sequ.*

riores nuptiæ validæ et licitæ sunt ». At « non licet aliud Matrimonium contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit » [3].

ART. II. — De indissolubilitate matrimonii

591. *Indissolubilitas* seu *firmitas* Matrimonii in hoc est, quod conjugium matrimoniale semel contractum semper perseveret, quousque uterque conjux vivit. Sub hoc respectu, Matrimonium dicitur *ratum* ex eo instanti, quo legitime celebratum est; ac proinde ab Ecclesia ratum habetur, antequam copula inter duos conjuges primum habita fuerit: ab habita copula dicitur *consummatum*. Firmitas vero considerari potest, tum quod ipsum *vinculum* seu ligamen inter conjuges, tum quoad usum ejusdem *tori* et *habitationis*. Priori firmitati opponitur *divortium* proprie dictum; quo, priori matrimonio soluto, utraque pars possit novis nuptiis inhiare: alteri opponitur separatio conjugum materialis, matrimoniali vinculo manente, seu *divortium* minus proprie dictum.

§ 1. — De indissolubilitate Matrimonii quoad vinculum.

592. **Principia. I.** « Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, præterquam morte, dissolvi potest » [4]. Ratio est, quia « *jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* ».

II. « Matrimonium non consummatum inter baptizatos, vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur, tum *a*) ipso jure per solemnem professionem religiosam, tum *b*) per dispensationem a Sede Apostolica ex justa causa concessam, utraque parte rogante, vel alterutra, etsi altera sit invita » [5].

III. « Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino: nempe, si, una parte ad fidem conversa et baptizata, altera ab ea sine justa causa discedat, aut interpellata nolit et ipsa converti ac Baptismum suscipere, aut saltem cum parte conversa cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris » [6].

593. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Leges, quæ

3) Codex *Can. 1142, 1069* § 2.
4) Codex *Can. 1118.* — Cf. Conc. Trid. *Sess. XXIV. Can. 3;* et *Prop. 67* damnatam in Syllabo Pii IX, apud Denziger *Num. 1767.*
5) Codex *Can. 1119.* — Plura Wernz *Num. 698 Not. 42-59.*
6) Codex *Can. 1120* § 1, *1121* § 1. — Cf. Vermeersch *De casu Apostoli.*

civili magistratui jus faciunt dissolvendi Matrimonium quoad ipsum vinculum matrimoniale, iniquæ sunt et nullius valoris, utpote juri superiori, nempe divino aut canonico, contrariæ.

2.ª Nullius valoris est sententia dissolutionis Matrimonii objective validi data a civili magistratu: quare nemini eam petere licet, nemini eâ uti.

3.ª Eadem ratione nullius est valoris sententia, qua judex civilis declaret nullum esse Matrimonium juxta leges divinas et ecclesiasticas validum, licet nullum habeatur juxta codices civiles: idem de casu opposito dicendum.

4.ª Sententia judicis laici declarativa, quæ de facto conformis sit juri ecclesiastico et divino in re matrimoniali, incompetens quidem est, at in se non mala: hinc illicitum judici non erit eam dare, civibus eam petere aut eâ uti.

594. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non solvitur Matrimonium per professionem votorum simplicium, quæ emittantur, sive in congregatione votorum simplicium, sive in ordine votorum solemnium: nec solvitur per susceptionem Ordinis sacri.

2.ª Si unus e conjugibus post contractum (nondum consummatum) Matrimonium professionem solemnem emiserit, alter licite potest ad alias nuptias transire.

3.ª Romanus Pontifex non potest valide a Matrimonio rato dispensare, nisi causa vere gravis habeatur, ex qua videatur derogandum esse juri ab altera parte et a dignitate sacramenti acquisito.

595. *Ex Princ. III.* — 1.ª Interpellationes fiant de auctoritate Ordinarii conjugis conversi, aut, si hæc peti nequeat, privatim ab ipsa parte conversa, ita tamen ut tum de ipsis tum de responsis constare possit duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo.

2.ª Jus partis conversæ contrahendi novas nuptias incipit cum, vel habita fuit de interpellationibus omittendis declaratio ab Apostolica Sede, vel infidelis eisdem negative respondit expresse vel tacite; idem jus perdurat etiamsi pars baptizata denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, si dein conjux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine justa causa, vel jam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris.

3.ª Contumelia Creatoris habetur, si pars infidelis cohabitare quidem velit cum parte conversa, at nolit filios educare in fide catholica, aut periculum perversionis afferat ipsi parti conversæ, aut audire nolit nomen Christi sine despectu et contumeliis, imo et si nolit servare Matrimonii unitatem:

4.ª Jus contrahendi novas nuptias cessat, si pars conversa post Baptismum dederit parti non baptizatæ justam discedendi causam.

5.ª Vinculum prioris conjugii in infidelitate contracti tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit. Tunc et parti infideli licebit alias nuptias contrahere.

6.ª Hoc privilegium non obtinet in Matrimonio, quod inter partem

baptizatam et partem non baptizatam initum fuerat cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus 7.

596. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quibus de causis impetrari possit ab Apostolica Sede solutio Matrimonii non consummati ?

Resp. Communiter afferuntur sequentes: *a*) Aversio conjugum mutua absque ulla spe cessationis ejusdem; *b*) timor probabilis scandali aut dissidiorum inter consanguineos; *c*) suspicio impotentiæ cum periculo incontinentiæ; *d*) superveniens morbus contagiosus, aut amentia periculum vitæ alteri parti inducens; *e*) quandoque contractum postea ab uno conjuge cum alia persona matrimonium civile. — Facilius datur dispensatio, si utraque pars in ea petenda consentiat: at semper necesse est probari factum inconsummationis.

597. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum interpellationes necessariæ sint ad validitatem novi Matrimonii ?

Resp. Recentes inclinant in sententiam affirmativam ex Jure novissimo; quod num evidenter rem solvat, dubitamus: id spectat in primis casum, quo de obstinatione infidelis, ac proinde de inutilitate interpellationum, certe moraliter constet; nec possibile sit habere antea Apostolicæ Sedis declarationem.

Qu. 2. Utrum privilegium Paulinum valeat, si conjux Baptismum susceperit in secta hæretica, vel Matrimonium contrahere velit cum hæretico aut cum infideli ?

Resp. Quoad primum doctores communius affirmant, præsertim qui scripserunt ante Codicem 8. Nobis et nonnullis aliis negandum esse videtur. Jus enim novissimum, præter susceptum Baptismum, exigit *conversionem*, et privilegium datum esse dicitur *in favorem fidei*: porro non habetur conversio nisi ad fidem veram, fides autem vera est catholica 9. — *Negative* quoad alterum, nisi Matrimonium fiat ex dispensatione super impedimento mixtæ religionis aut disparitatis cultus 10.

§ II. - De indissolubilitate quoad torum et habitationem.

598. Manente vinculo matrimoniali, adhuc haberi posset inter conjuges *divortium* minus proprie dictum, seu duorum conjugum separatio quoad torum et cohabitationem.

7) Codex *Can. 1120-1126.* — Omittimus statuta *Can. 1125*, cum sint de casibus apud nos rarissimis; de quibus *Docum. VI, VII, VIII;* item omittimus alia rarius apud nos occurrentia, quæ scopum studii nostri vix attingunt.

8) Codex *Can. 1221.* — Cf. Ferr. *Num. 1112;* Raia pag. 268; Sebast. *581.*

9) Censor operis nostri, postquam opinionem hanc improbavit, fatetur eidem assentiri tres celebres canonistas, Card. Kuscher, De Angelis, Rosset. Hinc ab ea non censemus recedendum. Aliter Arendt *La tradizione cattolica in favore del privilegio Paolino* (Roma 1923).

10) Cf. Chelodi *Num 156, sequ;* Cerato *120, sequ.*

Principia. 1. « Conjuges servare debent vitæ conjugalis communionem [11] : scilicet, tenentur simul convivere, utentes eadem domo eâdemque mensâ et eodem toro. Ad hæc enim uterque sese erga alterum obligavit in ipso contractu matrimoniali ; hæc insuper exigit conveniens educatio prolis.

11. Si justæ causæ habeantur, non est illicita, manente vinculo conjugii, unius conjugis ab altero separatio quoad habitationem, mensam et torum, sive ad tempus, sive perpetua.

599. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 11.* — *Qu. 1.* Quænam sunt causæ justæ separationis, seu divortii a toro et ab habitatione ?

Resp. Pro separatione precaria, manente utrinque intentione cohabitandi et coëundi, ratio quælibet sufficere potest [12] ; ex. gr., negotium alibi gerendum, iter etiam ex voluptate sumendum, alterutrius conjugis ægritudo, etc. — Pro separatione definitiva seu perpetua aut saltem indefinita, graviores profecto causæ requiruntur ; cum ex ea non levia incommoda obvenire soleant, tum ipsis conjugibus, tum proli. Recensentur quatuor :

1.ª *Mutuus consensus ;* quo uterque conjux suo juri renuntiat etiam in perpetuum. Cavendum tamen est, ne pro alterutro habeatur periculum incontinentiæ ; quod difficile aberit, præsertim si conjuges in eadem domo habitare pergant et in eodem cubiculo dormire. Causa frequentior est molesta utrique conjugi cohabitatio ex continuis jurgiis et rixis, ex mutua aversione, etc. : in hisce casibus confessarius studeat patientiam utrique conjugi, at uxori in primis inculcare. Quod separatio tori fiat timore prolis ulterioris, id *per se* malum non est ; nec id potest confessarius vetare, nisi pro suo pœnitente, vel, ipso fatente, pro conjuge periculum habeatur incontinentiæ.

2.ª *Adulterium.* « Propter conjugis adulterium, alter conjux manente vinculo, jus habet solvendi, etiam in perpetuum, vitæ communionem ; nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit » [13].

Adulterium est potissima causa, quæ parti innocenti jus tribuit discedendi a parte rea [14]. At necesse est in primis quod crimen fuerit formaliter culpabile. Insuper : *a*) Pars innocens crimini alterius non consenserit, puta ad lucrum ; *b*) nec eidem causam dederit, puta denega-

11) Codex *Can. 1128.* — S. Lig. *Num. 939 ;* Ball. *628-643.*

12) Dari potest et separatio ad experimentum : sic uxor recedit a viro, sperans se ab eo requirendam esse et benigniori ratione tractandam.

13) Codex *Can. 1129 § 1.* — Plures censent nomine adulterii venire quemlibet concubitum illicitum ; hinc et sodomiam ac bestialitatem.

14) Math. *V. 32.* — Quamvis major est causa divortii in uxore quam in viro... in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam ». S. Thomas *Suppl. Qu. 62 art. 4.*

tione alimentorum; *c*) nec pars innocens crimen condonaverit, sive expresse per verba veniæ, sive tacite per consuetas manifestationes affectus maritalis, dummodo rem noverit; at, postquam legitime discesserit, non tenetur conjugem adulterum rursus ad vitæ consortium admittere [15]; *d*) demum ipsa quoque adulterium non commiserit; nam « paria delicta mutua compensatione tolluntur ».

Tamen pars innocens *per se* non tenetur ab altera recedere; nec practice teneri videtur ratione scandali aut correptionis. Confessarius itaque, nisi adulterium prorsus propalatum fuerit, aut adulter concubinarie vivat, curabit partem innocentem ad condonationem inducere; præsertim, si hac ratione scandala filiorum vitari possunt.

3.ª *Periculum grave animæ;* nempe, si conjux alterum conjugem ad hæresim vel apostasiam aut alia crimina pertrahere velit.

Imo ex Jure novissimo, quod alter conjux sectæ acatholicæ nomen dederit, aut prolem acatholice educaverit, aut vitam criminosam et ignominiosam ducat, est causa *per se* sufficiens alteri parti ad discedendum; tum propter periculum perversionis, tum in pœnam apostasiæ et tanti criminis exsecrationem [16]. Porro hodie anticlericalismus et socialismus practice ea crimina sapiunt et pejora. Confessarius tamen ex hisce causis non facile permittat uxori separationem, nisi maritus eam et prolem pervertere conetur: secus enim actum est.

4.ª *Periculum corporis*, seu dura et crudelis unius conjugis tractatio ab altero: adeo ut illius cum isto commoratio durissima fiat et moraliter impossibilis. Huc spectat etiam morbus, e quo alteri parti periculum immineat contagionis; item amentia, ex qua possit ipsa vita in discrimen adduci.

Qu. 2. Utrum separatio fieri possit privata auctoritate?

Resp. Affirmative, si fiat ex mutuo consensu, aut ab una parte propter adulterium certum alterius. Si fiat propter pericula, regulariter separatio facienda esset auctoritate Ordinarii: at, quia hodie fideles de hoc non cogitant, et moniti haud facile obtemperaturi esse videntur, et forma Codicis satis hæsitans est, confessarius prudenter dissimulabit; dummodo certam causam adesse cognoscat: at ab exaggerationibus et mendaciis, præsertim feminarum, quam maxime caveat.

Qu. 3. Utrum conjugi, ejusque procuratori ac advocato, liceat sententiam separationis invocare penes tribunal laicum?

Resp. Per se, *negative*. Causa enim hæc spectat ad auctoritatem Ecclesiæ; cujus proinde licentia aut expressa aut rationabiliter præsumpta requiritur. Porro hæc licentia nec haberi nec præsumi potest ad habendam a tribunali laico solutionem auctoritativam obligationum conjugalium; sed tantum ad vindicanda sibi et proli jura, quæ secus vindicari non possent. Etiam quoad hæc, adire tribunal laicum non licet,

15) Codex *Can. 1130.*

16) Codex *Can. 1131.* — Cessante causa separationis, vitæ consuetudo restauranda.

si non habeatur separationis causa, quæ apud auctoritatem Ecclesiæ valeret: at, etiamsi hæc habeatur, deberent fideles ad auctoritatem ecclesiasticam recurrere. Tamen, cum hanc obligationem fideles passim ignorent, et hæ quæstiones raro in foro ecclesiastico agantur; ideo confessarius, si conjuges, aut propria, aut judicis civilis auctoritate, in bona fide separatim absque scandalo vivant, dissimulet. Parochus, si rem prænoscat, opportune consulet Ordinarium.

CAPUT II.

DE MUTUIS CONJUGUM OFFICIIS

600. Quænam sint mutua conjugum officia desumendum est ex natura et fine contractus matrimonialis. Porro natura hujus contractus hæc est, ut conjuges sibi ad invicem tradiderint jus utendi corpore alterius in quantum finis Matrimonii postulat, h. e., quantum ad actus ad generationem ordinatos; qui finis honestissimus est, et Matrimonio ab ipso Deo inditus. Ex juribus patebit quid conjuges sibi ad invicem debeant: ex fine quænam ipsis liceant, quænam non liceant [1].

ART. I. — QUÆNAM SIBI AD INVICEM CONJUGES DEBEANT

601. Quænam complexive sibi debeant conjuges, quænam speciatim vir uxori, uxor viro, alibi vidimus, huic loco reservantes officia stricte conjugalia. Horum principale, ex quo cetera promanant, est copula carnalis, quæ voce biblica *debitum* dicitur, et actus, quo *conjux conjugem cognoscit*: est ea viri cum uxore commixtio, qua fiunt *una caro*: qua vir, membrum genitale in vaginam uxoris immittens, semen effundit in uteri interiora transmittendum; inde ovuli feminei fecundatio et conceptio et generatio.

602. **Principia. I.** « Utrique conjugi ab ipso Matrimonii initio æquum jus et officium est, quod attinet ad actus proprios conjugalis vitæ » [2]. Hinc uterque conjux ex justitia tenetur debitum conjugale alteri reddere, quoties hic legitime et serio petit, sive expresse, sive tacite.

II. Neuter conjux tenetur ratione justitiæ debitum ab altero petere: quandoque teneri potest ratione caritatis erga conjugem vel ad bonum familiæ.

603. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Obligatio red-

1) Tractant NOLDIN *de sexto præcepto et de usu matrimonii* (Oeniponte 1923); TANQU. *Suppl. de Matrimonio;* BUCC. Comm. *De sexto præcepto;* VERMEERSCH *De castitate et vitiis contrariis* (Brugis 1919).

2) CODEX *Can. 1111.* — Plura et optime CERATO *Num. 101.*

dendi debitum gravis est: at potest fieri levis ex erronea conscientia, ex parvitate materiæ, ex imperfectione deliberationis.

2.ª Non tenetur conjux alteri petenti obtemperare, si hic petat illegitime; sive eo quod jus petendi amiserat, sive eo quod petit debiti redditionem modo aut tempore illicito, sive eo quod petit redditionem immodicam.

3.ª Non tenetur conjux alteri petenti obtemperare, si hic petit non serio; sive eo quod petit non plene compos sui, sive eo quod potius desiderium ostendit quam veram exigentiam.

4.ª Si uxor ipso motu corporis, aut gestu, nutu aliove modo ostendat se velle uti conjugio, quin ex verecundia petat expresse, vir ei obtemperare debet ex justitia.

5.ª Hoc jus et officium modo est ab ipso initio Matrimonii: ergo abrogatum videtur esse jus *primi bimestris* non reddendi in casu, quo quis deliberare voluerit de amplectenda religione votorum solemnium 3.

604. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si uterque conjux velit a copula abstinere, sive pro tempore, sive indefinite aut perpetuo, neuter peccat contra justitiam; cum uterque suo juri renuntiaverit.

2.ª Si conjux, et frequentius vir, judicet conjugem versari in periculo incontinentiæ, aut copulam ex aliquo motivo desiderare, quin petere audeat, non obsequendo peccare potest contra caritatem: at caritas non obligat cum incommodo gravi.

3.ª Si ad concordiam post diuturna dissidia conciliandam videatur profuturus aut necessarius actus conjugalis, uterque conjux, alter plus, alter minus, ad eum aliquo modo petendum teneri potest.

4.ª Graviter peccare potest vir, qui propter aversionem ab uxore numquam vel fere numquam usum matrimonii ab ea petat, licet facile videat id ægerrime ferri ab uxore.

5.ª Serio monendæ sunt uxores, ut, non modo viris morosæ non sint, sed et quandoque positive ostendant se libenter usui conjugii assentiri; ut hac ratione eos a peccatis incontinentiæ et ab aliis feminis quærendis avertant.

605. **Quæstiones**. — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum uxor teneatur debitum reddere marito, si prævideat eum se retracturum fore?

Resp. Controvertitur. Affirmant plures: quia id, quod ab ea petitur in se licitum est, et vir jure, quod licitum est, exigere potest: porro huic juri respondet in uxore obligatio. Alii negant, quia vir nullum jus habere potest ad actum illicitum; quorum sententia certe probabilis est, saltem extrinsece. Iidem addunt eam teneri posse ratione caritatis, si secus a viro timeat indignationes, blasphemias, scandala 4.

Qu. 2. Utrum uxor teneatur debitum reddere, si experientia noverit gravia inde sibi incommoda obventura?

3) Noldin *Summa*... III. *Num. 639,2.* Tamen cf. et Raia pag. 194.
4) Pro illis Noldin *Op. cit. Num. 99. Pro istis* S. Ligorius *644,647.*

Resp. Res pendet a gravitate malorum, quæ sibi timet, ut in quolibet contractu, cujus impletio gravosa evadat. — *a*) Certe non excusatur propter incommoda ordinaria, aut non valde supra ordinaria, gestationis et partus; quales essent dolores diuturni, at non graves, vel graves at breves, aliqualis virium debilitatio, et similia: hæc enim pro feminis adnexa sunt statui matrimoniali: ac proinde censentur volita fuisse in ipso contractu. — *b*) Non tenetur iis incommodis sese exponere, quæ sunt prorsus extraordinaria, ac proinde non volita. Ita ad reddendum non tenetur, si ex ipsa copula periculum sit contrahendi morbum mariti contagiosum; nec, si ex partu moriendi periculum timeat: addunt nec teneri, si vir culpâ suâ uxorem et prolem in summa egestate relinquit; imo, juxta plures, etsi absque culpa impar est proli numerosiori alendæ, dummodo pro ipsa periculum non habeatur incontinentiæ. Item nec tenetur obtemperare marito nimis frequenter petenti; ex. gr., ter vel quater eadem nocte.

ART. II. — QUÆNAM CONJUGIBUS LICEANT

606. **Principia. I.** Copula carnalis conjugibus licita est, quando ordinetur ad aliquem e finibus ipsi propriis et essentialibus; qui sunt prolis generatio, et sedatio concupiscentiæ: ille primarius est, hic secundarius.

II. Copula carnalis conjugibus licita est, quando ordinetur ad finem quemlibet honestum; dummodo finis ipsius essentialis et primarius, nec re nec intentione, excludatur.

III. Conjugi in usu conjugii liciti sunt actus impudici imperfecti, sive mutui sive solitari, qui ad actum conjugalem necessarii sunt, vel ad illum facilius, citius, aut perfectius exercendum utiles.

607. **Expositio.** *Princ. I.* — Deus ipse auctor est conjugii, quod voluit esse medium ad generationem prolis et ad propagationem et conservationem generis humani: quare, tum actus conjugii, tum hic ejus finis honestus et sanctissimus esse debet. Simul vero Deus alium actui conjugali indidit finem, ut esset remedium concupiscentiæ 5. Quare hæc sedatio concupiscentiæ non habet tantum rationem medii ad prolis generationem; sed simul est vere finis actûs conjugalis a Deo intentus, licet secundarius. Ergo actus conjugalis in hunc solum finem exercitus licitus est et honestus; satis est, quod primarius positive non excludatur.

608. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Eo quod copula conjugalis, nedum illicita non est, sed est positive bona et per se meritoria, confessarius debet quarumdam neoconjugatarum vanos timo-

5) I. Cor. *VII. 2 - 6.* — Cf Ballerini *Num. 553, seqq.*; Noldin *78, 1.*

res eluere, eisque animos addere ut promptiores se erga maritos exhibeant; addat, si opus sit, nihil inde eas prohiberi a sacra communione die sequenti sumenda.

2.ª Si quando finis primarius actus conjugalis sperari non possit, non inde cessat esse licita et honesta copula, quæ ad finem secundarium ordinetur; ideo licite et honeste coire possunt steriles et senes, qui sperent se posse copulam aliqua ratione perficere.

3.ª Licite copulam habet vir, cui uterque amputatus fuit testiculus; item uxor, cui exstirpata fuerunt ovaria aut etiam uterus excisus: probabiliter omnes, quibus post Matrimonium impotentia superveniat 6.

4.ª Licite coëunt maritus et uxor, optantes prolem inde non sequi; dummodo ad hoc consequendum nihil præstent.

5.ª Quia in dubio de validitate Matrimonium jam contractum haberi debet ut validum, ideo licite coëunt, qui de validitate sui Matrimonii dubio insolubili dubitant.

609. *Ex Princ. II.* — 1.ª Conjuges licite copulam habere possunt ad fovendum mutuum amorem, ad conservandam vel recuperandam corporis sanitatem: sunt enim fines honesti, et non impeditivi alicujus e finibus, ad quos naturâ suâ copula ordinatur.

2.ª Nec peccant conjuges, qui copulam habeant intendentes frui voluptate eidem connaturali; dummodo nec facto aliquo excludant prolis generationem, nec intentione velint in ea delectatione sistere, tamquam in fine: si hoc alterum fiat, peccatum habetur, at veniale 7; imo et « venialis culpa vix umquam reipsa aderit » 8.

610. *Ex Princ. III.* — 1.ª Non peccat vir, qui, intendens copulam perficere, prius se aut uxorem excitet tactibus per se inhonestis, vel pulchras imagines aspiciat: at cavere debet, ne hisce diutius immorando pollutio sequatur; quæ si præter intentionem involuntarie sequatur, culpâ vacat.

2.ª Neque peccat uxor, quæ sibi plenam voluptatem tactibus procuret immediate postquam, copulâ completâ, maritus recesserit, antequam ipsa voluptatem experta fuerit: id in simili casu viro non licet. Imo uxori hoc licitum esse videtur, etiamsi vir onanistice egerit 9.

3.ª Vacant lethali actus ad finem primarium conugii minus necessarii minusve utiles, qui eidem non obstent. Imo vacant et veniali tactus in partibus minus honestis, si fiant, licet non expresse, ad mutuum amorem fovendum, ad medendum concupiscentiæ, ad eam delectationem captandam quæ conjugatis licita est; et hoc, etiamsi quandoque involuntaria pollutio sequatur.

6) Noldin *Num. 66;* D'Ann. *470, 13;* Zanin. *2690, 2;* Gen. *543.*

7) Ex *Prop. 9* damnata ab Innocentio XI, apud Denziger *Num. 1159.*

8) Cf. Ball. *Num. 551, sequ.* Imo plures conjugati non deprehendunt peccatum in delectatione pollutionis ex actibus imperfectis ortæ præter intentionem; nec semper prudens erit eos ab hac falsa opinione retrahere. Lehmk. *863.*

9) Cf. Genicot *Num. 546;* Berardi *Praxis conf. Num. 1037.*

ART. III. — QUÆ CONJUGIBUS NON LICEANT

611. Peccata conjugum in actu conjugali exercendo possunt esse, tum ex frustratione finis primarii ipsius actus, quæ proveniat aut ex ipso actu, aut ex circumstantiis ejusdem; tum ex inordinatione ipsius actus in se.

Præter hæc possunt haberi peccata prorsus aliena a conjugio. Ita peccant conjugati, et gravius quam cœlibes, si se polluant voluntarie 10; item, si cum alia a conjuge persona congrediantur; quo in casu fornicatio eorum adulterium est, et insuper potest esse sacrilegium, incestus, stuprum, adulterium duplex, etc.

Peccare quoque possunt conjuges actum conjugalem exercentes, si ab eo exercendo ratione quavis subjectiva prohibeantur. Ita copulam petere prohibetur conjux, qui sit ligatus voto castitatis: petere ac reddere prohibetur, qui certo sciat se aut conjugem impotentem esse, vel inter se et conjugem impedimentum haberi et adhuc subsistere non dispensabile aut nondum dispensatum.

Hic agimus de iis peccatis, quæ a conjugibus committi possent ratione ipsius actus conjugalis.

612. **Principia. I.** Conjugibus in actu conjugali exercendo graviter illicitum est quidquid finem ejusdem primarium impediret, qui est prolis conceptio et generatio.

II. Conjuges in actu conjugali exercendo peccant graviter vel leviter, si, absque causa proportionata, iis circumstantiis illum exerceant, quibus consecutio finis ejusdem primarii valde vel leviter difficilis redditur.

III. Graviter illicita est ea fecundandi mulierem methodus, qua virile semen citra copulam perfectam arte in ejus genitalia introducatur 11.

613. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Graviter peccant conjuges, qui secum copulam habeant sodomiticam, seu in vase innaturali: talis enim copula adversatur fini primario conjugii.

4.ª Graviter peccant conjuges secum congredientes coitu Onam; qui *introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terra, ne liberi fratris nomine nascerentur: et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret* 12.

2.ª Hujus criminis reus est conjux uterque, si ex condicto fiat quod

10) Ex sententia moraliter certa, sic dicta pollutio feminea est peccatum mortale ratione sui. Cf. GEN. *Num. 398*; FERR. *532*; SABETTI *304*.

11) S. Inquis. die 24 martii a. 1897, apud *Monit. eccl.* X. P. I. 28.

12) GEN. *XXXVIII. 9,10.* — Cf. *Propp.* damnatas a S. Inqu. die 11 maji 1851, apud SCAVINI *Lib. III. Num. 922.*

vir ante seminationem in vase uxoris se retrahat, aut virile membrum involucro obducat; item, si ex condicto fiat, quod uxor spongia vel velo occlusivo ingressum in uterum semini præcludat, aut lotione semen abjiciat vel medicina corrumpat. Item ambo peccant, si alterutri facienti alter consentiat, etiam mere interne.

3.ª Criminis a viro perpetrati rea est uxor in causa, si illum ad crimen inducat conquerens de prole numerosiore, de incommodis aut ordinariis periculis partus; dummodo saltem in confuso crimen perpetrandum prævideat.

4.ª Onanismus nullâ causâ cohonestari potest: timor periculorum pro uxore, vel infirmitas alterutrius, vel paupertas familias, etc. cohonestare quidem possunt omissionem actus conjugalis, quandoque et ipsam debiti negationem; numquam vero congressum onanisticum.

5.ª Non sunt hujus criminis rei, qui casu fortuito aut ex necessitate subitanea copulam abrumpant, etiam cum effusione seminis; puta, si secus vitari nequeat scandalum puellæ supervenientis.

614. *Ex Princ. II.* — 1.ª Conjuges graviter peccant, si eo modo vel situ coëant, quo, aut ex ipso modo vel situ in se, aut ex experientia, norunt haberi non posse copulam sufficienter perfectam, ut semen in suam destinationem transmitti queat.

2.ª Coëuntes eo situ, quo effectus hic difficulter haberi possit, peccant saltem venialiter, si nulla causa habeatur situm naturalem impediens: hic est, ut mulier succuba sit, vir incubus.

3.ª Confessarius de his nihil quærat: si pœnitens quidquam confuse innuat, unice quærat num eo modo possibilis adhuc fuerit generatio; si respondeat negative, non absolvat eum, nisi de præteritis doleat, ac emendationem pro futuro proponat: excipe, quoad præterita casum bonæ fidei; quoad futura casum, quo confessarius monitionem obfuturam esse prævideat.

4.ª Ratione temporis *per se*, numquam copula prohibetur *sub gravi;* imo, juxta plures, ne *sub levi* quidem. Aut leviter malum, aut minus conveniens, est, quod ea habeatur tempore prægnationis ac menstrui: ne petatur nocte sacram communionem antecedente, consilium est 13, non præceptum, ne leve quidem.

5.ª Ratione temporis *per accidens*, graviter peccarent conjuges eo tempore coëuntes, quo sciant copulam suo effectu finali frustrandam esse propter ovuli separationem seu abortum, aut grave damnum allaturam esse uxori. Primum contingere potest primis post conceptum diebus; alterum duabus prioribus post partum hebdomadis: at neutrum prorsus certum est 14.

6.ª Ne coëant conjuges, cum eorum unus morbo laborat contagioso, præsertim syphilide, propter periculum inficiendi compartem et prolem;

13) Ex I. Cor. *VII. 15.* — Cf. Ball. *558 sequ.;* Noldin *81, seqq.*
14) Cf. Ferreres *Num. 1142* ex Capell. *Medic. pastor.* pag. 156.

at de his confessarius nihil doceat, nisi rogatus: et, si respondere nesciat, non inde arguetur ignorantiæ.

615. *Ex Princ. III.* — 1.ª Non constat illicitam esse eam fecundandi rationem, qua inter virum et uxorem copula habeatur, at ad ejus effectum habendum instrumentum aliquod in vase femineo aptetur.

2.ª Nec constat illicitam ac prohibitam eam fecundandi rationem, qua copula habeatur, semen vero vaginæ injectum ope siphunculi alteriusve instrumenti utero injiciatur.

3.ª Illicita est fecundatio artificialis, qua absque copula semen in vase collectum artificialiter in vaginam mulieris immittatur [15].

616. **Quaestiones.**— *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum uxor conjugaliter agere possit cum marito, quem prævidet recessurum esse?

Resp. Certe reddere potest, etsi ex negatione gravia incommoda non timeat. Petere prohibetur ex caritate, quam debet marito: at caritas cum gravi incommodo non obligat. Verum nec petere nec reddere potest, si maritus utatur involucro; cum in eo casu, jam ab initio actus illicitus sit [16]: at excipiendus est casus, quo secus mulier mortem aut vulnera aut gravissima mala pertimescat; tunc enim licite se habere potest passive [17].

Qu. 2. Ad quid teneatur uxor viri onanistæ?

Resp. *a*) Certe tenetur ei in crimine non cooperari formaliter, etiam per meras querimonias. — *b*) Tenetur ei, nec externe consentire, nec interne. — *c*) Imo tenetur virum ab eo crimine positive retrahere; tum, ne ille consentientem sibi existimet uxorem; tum ex caritate erga ipsum: at quoad primum, satis est quod ille sciat uxorem esse invitam, ad quod sufficere potest quod animum suum ei manifestet aliquando; quoad alterum, non tenetur eum monere, quando prævideat monitionem inutilem fore.

Qu. 3. Quomodo se gerat confessarius erga pœnitentem de re conjugali prorsus tacentem?

Resp. S. Alphonsus cum aliis docet: « Circa peccata conjugum respectu ad debitum conjugale, ordinarie loquendo confessarius non tenetur, nec decet, interrogare, nisi uxores an illud reddiderint, modestiori modo, quo possit: de aliis taceat, nisi interrogatus fuerit » [18]. Alii theologi notant nec uxores interrogandas esse, quando ex indole nota pœnitentis et ex confessione confessarius nihil suspicatur; interrogationes autem fieri posse forma generaliori « num aliquid addendum habeant circa officia erga maritum ».

Qu. 4. Quid agendum confessario, si ex confessione aut respon-

15) Genicot *Num. 545, VI;* Noldin; Ber. *5289, sepp.;* Tanqu. *37.*

16) Ferreres *Num. 1154.* — Cohæret S. Pœnit. die 6 apr. a. 1853.

17) Tanquerey *Num. 46.* — Alia res, si agatur de coitu sodomitico. Sebast. *587, 3.*

18) S. Ligorius *Praxis conf. § IV. 41;* quem locum laudat S. Pœnit. 8 junii 1842.

sione pœnitentis suspicetur aut percipiat eum, vel eam, onanistice agere ?

Resp. Quamvis in regionibus nostris dari nequeat in conjugatis absoluta persuasio quod onanismus in genere liceat, tamen confessariorum experientiâ constat non deesse christianos catholicos, qui ipsum non habeant ceu graviter illicitum in quibusdam circumstantiis difficilioribus. Causæ aliquando vere graves sunt; puta, si medicus declaravit vel experientia docuit novum partum valde periculosum fore uxori: quandoque causæ in se vere graves non sunt, at gravissimæ videntur conjugibus; puta, quod jam plures filios habeant, ulteriores vero pertimescant, ne familia egestate prematur aut a consueta vivendi ratione satis (et forte nimis) honesta recedere cogatur. Nedum confessarii, sed et theologi admittunt haud raro casus dari bonæ fidei, saltem quoad reatum mortalem; præsertim, si agatur de retractione ante seminationem, non de usu instrumenti præservativi. — Itaque:

1.° Confessarius, si pœnitens peccatum suum confiteatur, et ceu grave, ipsum absolvere non debet, nisi ille de peccato sincere doleat, et emendationem immediatam sincere promittat.

2.° Si pœnitens, præsertim femina, factum aut praxim quidem fateatur, at excusationes prætendat, confessarius numquam dicat onanismum licere; sed, antequam reatum ei faciat veri peccati mortalis quoad præteritum, videat num reapse hæc fuerit conscientia pœnitentis; si ejus conscientia talis hucusque non fuit, et eam quoad futurum imponere periculosum esse judicet, « ab onanismo sub pœna denegandæ absolutionis huic homini interdicendo abstinere posse videtur » 19.

Qu. 5. Quibus remediis confessarii obviare possint onanismo ?

Resp. 1.° Pœnitentibus, qui sunt in plena mala fide, prohibitionem intiment sub pœna denegandæ absolutionis; erga eos recidivos procedant ea ratione, qua alibi diximus agendum cum recidivis ex fragilitate, vel (sæpe cum uxoribus) cum recidivis ex occasione necessaria. At nequeunt esse in bona fide qui utuntur neomalthusianismo 20.

2.° Cum his, qui sunt in bona fide, sive certa, sive nonnihil hæsitante; si ex monitione fructum sperant, moneant, aperte gravitatem criminis urgentes et propositum exigentes firmum et efficax immediatæ emendationis.

3.° Cum his, qui sunt in bona fide, sive certa, sive hæsitante, at monitioni obtemperaturi non esse prævidentur, edicant et insistant eorum agendi rationem probari non posse, eam certe Deo plus minus displicere, ex ea timendas esse divinas punitiones. Hisce similibusque monitis studeant eos a tam nefario crimine deterrere; quin eis absolute edicant eos graviter peccare, et absolutionis ceterorumque sacramentorum incapaces fieri.

19) Cf. D'Annibale *Num. 469, 9;* Quev. *1347;* Zanin *2750.*

20) Cf. Antonelli *Medicina pastor.* II. 167-171 (Romæ 1920); Nardi *De sanctitate matrimonii contra onanismum* (Romæ 1907). — De semionanismo, S. C. S. Off. 23 nov. 1922, apud *Monit.* XXXV. 201-204.

4.° Omnibus hisce declarare possunt licitum eis esse a copula ex communi consensu abstinere, dummodo incontinentiæ periculum non habeatur. Addere possunt eisdem sub eadem conditione licitos esse actus imperfectos, ut sunt oscula, tactus, amplexus. Addere quoque possunt sub eadem conditione licitum ese iis diebus a copula se continere, quibus major generandi probabilitas habetur; qui sunt tres quatuorve dies ante menstrua, quindecim post ipsa: efficacia hujus abstinentiæ partialis penes medicos incerta est; ejus liceitas apud theologos certa 21.

5.° Uxoribus suadeant, ut precibus, blanditiis aliisque amoris manifestationibus curent maritos ad rem rite perficiendam permovere: sese promptas exhibeant ad incommoda gestationis et partus sustinenda, ad rem familiarem suis laboribus ac parsimoniis meliorandam. Sæpe quod viri ab hoc crimine cessent pendet ab uxoribus.

6.° Maritis et uxoribus commendent, ut devote sese divinæ Providentiæ committant, cujus nutibus omnes hujus mundi eventus reguntur.

ART. IV. — Regulæ practicæ pro confessariis

617. Post ea, quæ breviter disputavimus de licitis et illicitis inter conjuges, haud inopportunæ ad praxim confessariorum esse poterunt regulæ sequentes:

1.ª Doctrina communis est et certa, inter conjuges ea tantum esse graviter illicita, quæ generationi positive adversentur 22. Confessarius, itaque, si a pœnitente obscura quæpiam audiat de usu conjugii, unice quærat num satisfactio carnalis captata fuerit eo modo, quo effectus ejusdem primarius, seu generatio, impossibilis evaderet; et quidem ex parte ipsius pœnitentis. Non quærat quid et quomodo actum fuerit; imo pœnitentem hæc forte apertius declarantem a prosequendo cohibeat omnino.

2.ª Si confessarius ad eam quæstionem responsum accipiat affirmativum, judicabit peccatum, saltem materialiter, grave fuisse; dolorem (de peccato formali) exiget et promissionem non iterandi. Si judicet peccatum fuisse materiale (et non raro materialia, præsertim a feminis, accusantur *ad cautelam*), pœnitentem pro futuro monebit, vel non, juxta regulas practicas alibi traditas.

3.ª Si ad eam quæstionem responsum accipiat perobscurum, judicium de veritate et de gravitate vel levitate peccati Deo relinquet: ipse curet ut pœnitens de omnibus peccatis suis, ac de reatu qui forte actioni accusatæ insit coram Deo, sincere doleat, ac dolentem absolvat. Pro futuro pœnitentem, ordinarie feminam, remittat ad matrem, ad amitam, ad medicum vel obstetricem timoratæ conscientiæ.

4.ª Quæ inter conjugatos fœdissima contingant, gravia non sunt ra-

21) Ex responso S. Pœnit. 16 junii 1880. — Cf. Ferr. *Num. 1159;* Sabetti *941.*

22) Genicot *Num. 548 VI.;* Noldin *Op. cit. 89, 1;* Ferr. *1145 IV.*

tione sui; gravia esse possunt tantummodo ratione periculi proximi pollutionis, seu satisfactionis venereæ ex se inefficacis 23. Hinc, si confessarius, aut ex adjunctis suspicetur, aut ex obscura accusatione percipiat, contigisse fœdissima, de his nihil inquirat: unum quærat, num quidquam actum fuerit excludens possibilitatem generationis.

5.ª Confessarius ab iis interrogationibus abstinere debet, quæ scandalo possunt esse pœnitentibus, quatenus eos doceant quæ ignorabant, quæque occasionem præbere possint committendi nova peccata.

6.ª Non raro pœnitentibus, licet non ignaris, scandalo esse potest quod obscæna quædam confessarius interroget, aut etiam quod ea sciat sacerdos. Sacerdoti in rebus lubricis minus probrosum est quod suam fateatur inscitiam, quam quod suam prodat peritiam.

7.ª Unica, quam diximus faciendam esse, interrogatio non necessario exigit, in confessariis intimam physiologiæ sexualis cognitionem, ceu quibusdam videtur: generalitati confessariorum sufficiens est notio generica. Theologus insignis, studio et simul diuturna ac sollerti experientia edoctus, septuaginta abhinc annis scribebat: « Suaderi velint confessarii, non esse necessarium ut omnia perlegant, quæ hac de re quidam prolixiores Moralistæ (hodie et quamplures physiologi sacerdotes) conscripserunt » 26.

8.ª Confessarius, suæ infirmitatis usque memor ac suæ æternæ salutis in primis sollicitus, quoties lubrica audit, osculetur effigiem Jesu Crucifixi, quam fenestellæ sedis confessionalis affixam habet; illaque devote ingeminet: « Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam:... inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, meipsum non perdam ».

23) Tanquerey *Suppl. cit. Num. 33* Nota *1*; Noldin *94, 1*.

APPENDIX

MODULI AD PETENDAS A S. PŒNITENTIARIA DISPENSATIONES PRO FORO INTERNO.

Juxta destinationem operis nostri ad usum confessariorum, damus tantum formulas petitionum, quæ a confessariis quandoque directe mittendæ sunt ad S. Pœnitentiariam. Itaque epistola, sub nomine oratoris fictitio, subsignata a confessario, incluso pretio pro remissione postali, mittatur: « A Sua Eminenza Rev.ma il Signor Card. Prefetto della Sacra Penitenziaria - Roma ».

I. Ad petendam dispensationem a voto privato.

Eminentissime ac Rev.me D.ne.

Titia, postquam annum decimum octavum ætatis expleverat, voto absoluto voverat castitatem perfectam et perpetuam [1] (vel; ingredi in religionem votorum solemnium) [2]. Nunc vero, rebus domesticis et personalibus mutatis, opportunum ducit et vix non necessarium contrahere matrimonium, cujus propitia eidem offertur occasio. Itaque humillime supplicat pro dispensatione aut commutatione prædicti voti, ut tuta coscientia matrimonium contrahere valeat. Dignetur Eminentia Vestra jubere responsum transmitti ad subscriptum.

Humillimum servum
N. N.

II. Ad petendam dispens. super impedim. occulto.

Eminentissime ac Rev.me D.ne

Cajus matrimonium contracturus est cum Caja, cui ligatur impedimento consanguinitatis in secundo gradu lineæ collateralis, quod ne Cajæ quidem notum est, quodque nemini revelari consentit. Ipse natus est ex Leonilde, quæ genita fuerat ex copula adulterina Liviæ cum Cajæ patre Sempropnio. Nunc ergo per me infrascriptum dispensationem petit super ipso impedimento consanguinitatis. Dignetur...

1) Si votum castitatis perfectæ et perpetuæ ad normam Canonis 1308 § 1 publicum sit, petitio dispensationis per tramitem Ordinarii mitti debet ad S. Congregationem *De religiosis.*

2) Si matrimonio obstet unum e tribus votis Canonis 1058 § 1 non reservatum, confessarius super impedimento occulto, et pro foro interno, parochus super impedimento publico et pro foro externo, dispensationem petant ab Ordinario loci, vel a superiore religionis clericalis exemptæ relate ad professos, novitios, aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmæ valetudinis. CODEX *Can. 1313,* coll. *Can. 514* § *1.*

III. Ad petendam dispensationem super duplici impedimento, uno publico, altero occulto.

Eminentissime ac Rev.me D.ne

Sejus, matrimonio Liviæ conjunctus, adulterium commisit cum Seja sua consobrina, cui et fidem dedit et accepit de matrimonio ineundo. Nunc, cum defuncta sit Livia, Sejus ducere vellet Sejam; erga quam impedimento occulto criminis detinetur: accedit quod jam matrimonium civile cum eadem contraxit. Cum vero crimen suum ne parocho quidem aperiri consentiat, per me infrascriptum humiliter supplicat, ut, obtenta prius dispensatione super impedimento publico consanguinitatis, licite et valide matrimonium contrahere valeat cum Seja. Dignetur...

IV. Ad petendam sanationem in radice [3].

Eminentissime ac Rev.me D.ne

Linus et Lina jam triginta abhinc annis in quadam regione Americæ, ubi Tridentinum Concilium promulgatum fuerat, matrimonium mere civile inter se contraxerunt; ac paulo post in hoc oppidum venerunt, ubi ab omnibus ut legitime conjuncti habentur. Nunc Lina suæ conscientiæ consulere vult; sed prævidet se inutiliter celebrationem matrimonii canonicam petere a Lino; qui, jam animo ab ea alienus, forte jurgia et scandala præsertim inter filios crearet. Itaque, vitæ anteactæ vere pœnitens, per me infrascriptum confessarium supplicat, ut Sancta Sedes dignetur suum matrimonium in radice sanare ac habitam prolem legitimare, et insuper ipsam Linam deobligare velit ab onere, sive petendi a Lino renovationem consensus, sive ipsum de obtenta sanatione monendi. Dignetur....

3) Quantum fieri potest, hæc petitio fiat per medium Ordinarii, aut saltem Ordinario consulto.

INDEX ALPHABETICUS

Indicantur numeri marginales

ABSOLUTIO: forma 226-231: conditionata 230-239: danda, etc. 335; differenda 344; occasionariis 386-391; recidivis 392-397; pueris 398-400, moribundis 405-412.

Abusus confessionis 371-384.

Adulterium v. *Crimen.*

Ætas impedimentum 490, 491.

Affinitas 526-530.

Applicatio Missæ 172-177.

Approbatio confessarii 297, 300, 302.

Articulus mortis v. *Periculum.*

Attentio ad sacramenta 23, 24.

Attritio 236-243.

BAPTISMUS 59: ejus necessitas 61-64; materia 65-70; forma 71-72; minister 73-77; subjectum 78-84; patrini 85; effectus 86-87.

CASUS reservati 296-308.

Celebratio matrimonii 541-558.

Character sacramentalis 58.

Circumstantiæ peccatorum 270.

Civile matrimonium 583, 584.

Clandestinitas 565.

Cognatio spiritualis 534, 535; legalis 536, 537.

Communio præcepta 136-138: licita 140-145; fructuosa 146, 147; frequens 148-49; spiritualis 150.

Complex: num liceat ejus nomen petere 269; num liceat eum absovere 372-378.

Conditio in sacramentis 27; in sponsalibus 467; in Matrimonio 563.

Confessarius: ejus officia 316-349: scientia 318-321: caritas 322-325; judex 326-339; medicus 340-344; doctor 345-349; sigillum 351-366; errores corrigendi 367-370.

Confessio 252: integritas 253-269; confessio generalis 270.

Confirmatio 88-101: pro Ordine 449; pro Matrimonio 571; elementa 91-94; minister 95-97; subjectum 97-101.

Conjuges, quæ sibi debeant 601 - 605: quæ eis licita sint 606 - 610; quæ illicita 611-616.

Conjugicidium v. *Crimen.*

Consanguinitas 520-525.

Consensus matrimonialis 559-564.

Contrahentes Matrimonium 554-558.

Convalidatio Matrimonii ordinaria 580-584; in radice 585.

Contritio 235-244.

Crimen 511-519.

DENUNTIATIO sollicitantis 384.

Devotæ personæ quoad directionem 401-404.

Diaconus an baptizare possit 75; an Eucharistiam distribuere 123.

Disparitas cultus 500-502.

Dispensatio matrimonialis 538; auctor 539-544; causæ et petitio 546-550; exsecutio 551, 552.

Dispositiones pœnitentis 235-251.

Dissimulatio sacramenti 45.

Divortium proprie dictum 592-597; minus proprie dictum 598, 599.

Dubia peccata num accusanda 259.

ECCLESIA: ejus potestas in re matrimoniali 451-454: quando jurisdictionem suppleat 286.

Episcopus proprius quoad ordinationem 452: quid circa Matrimonia 539.

Error in contractu matrimoniali 561-563.

Errores confessarii 367-370.

Eucharistia sacramentum 102-162: credenda 104-160 materia 107-113:

forma 114-117 ; minister 118, 119: asservatio 120, 121: ministrandi potestas 122-124 ; obligatio 125-127 ; modus 128-132 ; subjecti capacitas 133-135 ; obligatio 136-138 ; dispositiones animæ 139-149, corporis 151, 160: effectus 161, 162.

Eucharistia sacrificium v. *Missa.*

Examen conscientiæ 261-264.

Excommunicatus quoad matrimonium 481.

Extrema Uncto 413: materia 414-418 ; forma 4198-420 ; minister 421-423 ; subjectum 424-427: effectus 428, 429.

FECUNDATIO artificialis 608, 611.

Fetus baptizandus 98.

Fictio sacramentorum 45.

Forma matrimonii 565-572.

Forma sacramentorum 12-21.

Fructus Missæ 169-171.

HABITUATI quoad absolutionem 392, 393.

Honestas publica 531-533.

IGNORANTIA num excuset a reservatione 302 ; ab impedimentis matrimonialibus 482-511

Impedimenta prohibentia 485-487 ; irritantia 488-537 ; dispensatio 538-549.

Impositio manuum in sacra ordinatione 433-437.

Impotentia.

Indissolubilitas Matrimonii 589-596.

Infantes baptizandi 78-84.

Infirmi relate ad communionem 152-157; eorum cura spiritualis 430, 431.

Intentio quoad sacramenta 23-27.

Interpellatio conjugis infidelis 594.

Interrogationes in confessione 330.

Iteratio sacramentorum 18-21.

JEJUNIUM eucharisticum 152-157.

LIGAMEN v. *Vinculum.*

Litteræ dimissoriæ 442 ; testimoniales 447.

MATERIA sacramentorum 12-21.

Matrimonium: theoretica 455-459; investigatio impedimentorum 477-484; impedimenta 485-537; convalidatio 576-582 ; celebratio 565-572 ; notatio 573; liturgia 571-578: proprietas 589: officia 600-616.

Matrimonium conscientiæ 573 ; civile 586, 587.

Mendacium in confessione 259.

Metus in contractu matrimoniali 562.

Missæ sacrificium 163: theoretica 164-167 ; efficacia 168-177; minister 178-182; ejus obligationes 183-199; præscriptiones liturgicæ 200-212.

Mixta religio impedimentum 487.

Moniales relate ad absolutionem 405-412; ad Extremam Unctionem 424-427.

Mors apparens 409, 412.

NAVIGANTES quoad confessarios 292.

OCCASIONARII quoad absolutionem 386-391.

Ordinarius v. *Episcopus.*

Ordo 432: theoretica 433: materia et forma 434-439; minister 441-444; subjectum 445-449; effectus 450-452; accessoria 453, 454: impedimentum matrimoniale 503, 504.

Onanismus 609, 612.

Ovariotomia 604.

PAROCHUS: ejus officia quoad sacramenta 34-37; quoad applicationem Missæ 183-186; quoad sponsalia 463; quoad Matrimonia 545, 570.

Patrini in Baptismo 85; in Confirmatione 102; relate ad Matrimonium 534.

Peccator publicus quoad sacramenta 39-45; quoad Matrimonium 487.

Peregrini quoad absolutionem 290, 294.

Periculum mortis pro absolutione 293, 306; pro Extrema Unctione 426.

Pœnitentia 213; theoretica 214-219: materia 220-225; forma 226-231; subjectum 232; obligatio suscipiendi 233, 234; contritio 235-244; propositum 245-251; confessio 252-270; satisfactio 271-280: effectus 281-283: minister 284, 285; jurisdictio 285-315; officia 316-370; ratio agendi cum occasionariis 386-391, cum abituatis et recidivis 392-397, cum pueris 398, 399, cum personis devotis 401-404; cum moribundis 405-412.

Polyandria, Polygynia 587.

Privilegium Paulinum 589, 592.

Procurator pro Matrimonio 557.

Propositum 245-251.

Publicationes matrimoniales 477-480.

Pueri quoad communionem 138; quoad confessionem 398-400.

RAPTUS impedimentum 508-510.

Recidivi quoad absolutionem 392-397.

Regulæ confessariis quoad interrogationes 330; relate ad conjugatos 617.

Regulares quoad jurisdictionem 290, 292; quoad ordines suscipiendos 442.

Religiosæ v. *Moniales*.

Reservatio casuum 499-502

Reviviscentia sacramentorum 57.

Rubricæ in sacramentis ministrandis 33; in Missa 202, 211, 213.

SACERDOS quoad obligationem celebrandi Missam 179-182.

Sacramenta 1-58; theoretica 2, 3, 6-8; divisiones 9; elementa 12-21; minister 22; requisita ad confectionem 23-33; ministranda 34-38; denegandа 39-45; subjectum 46-49; requisita ad susceptionem 50-54; effectus 55-58.

Sacramenta Veteris Legis 4.

Sacramentalia 5.

Sanatio in radice 582.

Satisfactio sacramentalis 271-280.

Schema consanguinitatis 521.

Scientia confessarii 318-321, sacerdotis 447.

Sigillum 351-366.

Simulatio sacramentorum 45

Sollicitatio 379-384.

Sponsalia 456; elementa 457-463; effectus 470-472; dissolutio 473-475.

Stipendium Missæ 187-192.

Syndici adsistentia 584.

TESTES in Matrimonio 570.

Titulus pro ordinatione 447.

UNITAS Matrimonii 590.

VAGI quoad Matrimonium 570, 571.

Viaticum 138, 152, 156.

Vinculum impedimentum 495-499.

Vis v. *Metus*.

Vocatio clericalis 447.

Votum impedimentum impediens 486; dirimens 505-507.

EXPLICIT LIBER QUARTUS ET OPUS

CASA EDITRICE MARIETTI
TORINO (118) Via Legnano


239.02
P625
Pighi, Can J.B
1458
AUTHOR
Theologiae Moralis
TITLE
Vol.III & IV
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
Ed.4a
ROOM NUMBER
FR. DONNELLY
STORAGE - CBPL
1458